

I

TENTAMEN HERMENEUTICUM IN HIEROGRAPHIAM CRYPTICAM VETERUM GENTIUM; ET DISQUISITIO DE NATURA, AUCTORIBUS, ET LINGUA HIEROGRAMMATUM ABRAXEORUM:

SIVE

PROBLEMATA, THEOREMATA, ETYMA, ET LEMMATA

SELECTA EX HIEROGRAPHIA

HEBRAEORVM, SYRORVM, PHRYGUM, GRAECORUM, ITALORUM, SCANDINAVORUM, AEGYPTIORUM, PERSARUM, INDORUM, ET SINENSIUM

PER LEXEOGRAPHIAM TEMURICOSEMITICAM

TENTATA

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO,

ET ACADEMICO HERCULANENSI.



NEAPOLI MDCCCXXXI.

RAPHAEL MIRANDA EXCUDIT

PUBLICA AUCTORITATE.



Sapientiam omnium Antiquorum exquiret SAPIENS,
et in Prophetis vacabit.

Narrationem Virorum nominatorum conservabit, et
in versutias Parabolarum simul introibit.

Occulta Proverbiorum exquiret, et in absconditis
Parabolarum conversabitur.

ECCLESIASTICUS Cap. XXXIX. Ver. 1. 2. 3.

LECTORI BENIGNO
C. JANNELLIUS.

1. Quum in *Fundamentis Hermeneuticis* in publicam lucem praeterito Anno iam editis demonstrasse putarem, non modo *Hieroglyphica Aegyptiorum*, et *Sinensium*, sed etiam *Hiero-Emblemata*, et *Theogrammata*, tum horum ipsorum *Aegyptiorum*, et aliqua ex parte etiam *Sinensium*; tum *Indorum*, *Syrorum*, *Graecorum*, *Italorum*, *Scandinavorum*, etc. esse *Lexeoschematica*, et adeo per Canones *Scripturae Lexeographicae*, et per *Linguam Semiticam* puriorem et vetustiorem esse explicanda: impositum mihi onus, et iniunctum officium esse sensi, ut ipsâ *Monumentorum Hierographicorum* discussione et examine, ipsâ *Hiero-Emblematum*, et *Theogrammatum* interpretatione *Canones* illos *Formationis*, et *Linguam* illam *Semiticam* apertis argumentis, si possem, manifesta facerem et demonstrarem. Verum quidem est, quod aeque sentiebam plurima et gravissima mihi obstare, ne officium hoc pro dignitate exsequerer et obirem: Quo tamen pacto illud totum abiicerem et detrectarem non videbam. 1. Primo quia Lectores meos haud ita duros et asperos potui mihi fingere, qui nescio quae exquisita, elaborata, mira statim efflagitarent, sed bonos potius et benignos futuros esse sum ratus, et qui conamina prima, ut ut rudia et imperfecta, humaniter exciperent, et amice complecterentur. 2. Secundo, quia *Hiero-Emblemata*, et *Theogrammata Graecorum*, *Italorum*, *Phrygum*, *Aegyptiorum*, quin modo *Indorum*, et *Scandinavorum*, prae *Hieroglyphicis Aegyptiis* et *Sinensibus*, quae duo-

bus Voluminibus iam tentavimus, sunt notiora et vulgatiora, et omnibus Studiis nostris longe magis coniuncta et connexa. 3. Tertio tandem, quia si in his *Disquisitionibus* necessaria sunt aliqua *Data*, et quasi *Concessa*, quibus veluti certis *Criteriis* utatur Lector ad aequum iudicium ferendum de *Interpretatione* proposita: non tantum quoad *Hieroglyphica Hori-Apollinis*, quoad *Obeliscum Flaminium*, quoad *Tabulam Rosettanam*, de quibus egimus, haec *Data* et quasi *Concessa* in *Textu Graeco* respondente inveniuntur: Sed *Data* sua, et *Criteria* sua sunt etiam *Hiero-Emblematibus*, et *Theogrammatibus* veterum Gentium. Nam quum dubitare fas non sit, quin inter Partes *Hierologiae* cuiuscumque *Typi Theologici* antiquae Gentis, scilicet inter *Nomina*, *Characteres*, et *Symbola* certa relatio, et intimus nexus intercedat; quum certissimo tenendum sit *Nomina*, et *Symbola* ex. gr. *Aegidis*, *Caducei*, *Sphyngis*, etc. *Palladis*, *Bacchi*, *Isidis*, *Bhavani*, *Freiae*, etc. esse quasi expressiones et explicationes *Characterum*, *Munerum*, *Officiorum*, quae his *Typis* tribuuntur: quod nos in *Fundam. Hermen.* Libr. II. Cap. 2. Pag. 105. 106. 107. etc. animadvertimus: fit inde necessario, ut *Datis* et definitis *Characteribus* et *Officiis* alicuius *Typi Theologici* sit *Datum* et *constitutum Criterium* certum, et argumentum manifestum significationis tum *Nominum*, quibus distinguitur, tum *Symbolorum*, quibus efficitur, et exornatur. Adeo ut illa *Methodus*, et illa *Lingua*, per quae perspicue pateat intimus *Nexus*, et certa *Relatio* inter *Nomina*, *Characteres*, et *Symbola* dati *Typi Theologici*, illa *Methodus*, et illa *Lingua* dicendae sint necessario genuinae et legitimae, ut contra falsae

et extraneae illae, per quas *Nexus* ille, et illa *Relatio* clara et manifesta fieri non possit. Atqui per Poëtas, per Mythographos, quin saepius per ceteros fere omnes Scriptores, si minus omnium, plurimorum certe *Hiero-Emblematum*, et *Theogrammatum Characteres*, Munera, Officia sunt tradita et descripta: Ergo praesto propterea sunt *Data*, et *Criteria*, per quae vis et potestas *Nominum*, et *Symbolorum* possit agnosci et definiri. Quamobrem quum plerique Lectores haec *Data* et *Criteria* possint sibi facile parare, et constituere; et *Lexica Semitica* Schindleri, Thorndiki, Castelli, Weitenaveri, et aliorum ad *Criteria* ista probanda sufficientia et satis opportuna, sint obvia et plurimis nota: Hinc necesse fuit ut munus illud, quod dicebam, pro virium mearum modulo, et adiumentorum ratione suscipere et obire conarer: tum *Problemata* quaedam, tum *Theoremata*, *Etyma*, et *Lemmata* explorans, quo plures ex veteribus Gentibus in *Tentamine* attingere valerem.

II. Prima autem Problemata desumta sunt ex *Hierographia Hebraeorum*, tum ob claritatem et vetustatem Gentis, tum ut in ipso veluti vestibulo Operis pateat, non modo pleraque *Vocabula Linguae Theographicae* et *Hieroglyphicae* omnium veterum Gentium, sed elementa etiam ipsa *Scientiae Lexeoschematicae*, ipsam *Methodum Temuricam* in Sacris *Hebraeorum* Libris contineri: Et quidem necessario spectata ipsa intrinseca *Linguae Hebraicae* constitutione. Nam quum *Lingua* huiusmodi sit *Grammatodynamica*, ut saepius in *Fundam. Hermeneuticis*, et singillatim Libr. III. Sect. III. indicavimus, utque peculiari opere quamprimum, Deo dante, ostendemus; et *Lingua Grammatodynamica* servari et

durare diu non possit, maxime per diversa Climata, pura et sincera, nisi ope *Temurarum*, per quas *unas* nativa et originalis potestas singularum Literarum animadverti, percipi, recoli animo, et servari diutissime possit: dubitare minime fas est, quin *Hebraei* a vetustissimis usque temporibus agnoverint et adhibuerint, et crebris occasionibus usurpaverint: Maxime si animadvertimus, quod in *Lingua Radicali*, *Triliterali*, et *Consonantica*, ut est *Hebraica*, *Temurarum* usus in imponendis *Nominibus*, sive *Personalibus*, sive *Geographicis*, sive *Theologicis*, sive *Liturgicis* sit praestantissimi commodi, et mirae plane utilitatis. Nam ubi *duae* tantum *Radices Hebraicae* sollerter deliguntur et adiunguntur, vel ubi *una Vox quadrilitera*, vel *quinquelitera* ingeniose componitur, non *una* amplius, vel *altera Vox* obtinetur, sed integrum *Lemma*, prolixum *Effatum*, plena *Sententia* colligitur; qua gestum, factum, casus, ritus, mos, caeremonia integra describatur et servetur, et eo pacto *Historia* Generis humani ingenti adiumento ditetur et augeatur. Plures docti Viri *vim Historicam* Nominum *Adam*, *Hevae*, *Abel*, *Sethi*, *Noachi*, *Isaaci*, *Iacobi*, *Mosis*, etc. iamdiu agnoverunt: Sed nemo, nisi imperfecte, animadvertit vim *Historicam* Nominum *Noachi*, *Abrahami*, *Iosephi*, *Rubenis*, *Simeonis*, etc. una ope *Temurarum* et Crypticae compositionis posse plene et perfecte definiri. Et propterea si *Temurae*, et *Historia*, vel *Liturgia* possunt amicissime mutuo conspirare, et componi, haud iniuria nos firmasse putamus per *Temuras Historiam* in *Serpente aeneo*, vel *Liturgiam* in *Vacca rufa*. Ita ut si quis obiiciat videri hoc modo *Historiam*, vel *Ritum* non in *re* et facto, sed in *literis* certarum *Vo-*

cum collocari; ei respondemus, ut ipse potius videat, an *Historiam Noachi*, *Abrahami*, *Isaaci*, *Iacobi* etc. ipsemet velit non *rei* et veritati, sed *literis* eorum *Nominum* impie adscribere. Nam nos quemadmodum in *Abrahamo Patrem multarum Gentium*, in *Iacobo Supplantatorem*, et *Luctatorem*, ita in *Serpente aeneo Salutare anathema*, et in *Vacca Rufa Cinerem expiatorium* et *Historice* et *Temurice* agnoscimus et profitemur. Quin si certum praeterea est ope *Temurarum*, et *Lexeoschematum* parari posse plurima *Aenigmata*, plurimas *Parabolas*, plurima *Dramata*, vix dubitare possumus, quin in *Psalmis*, in *Parabolis*, et *Visionibus Prophetarum Hebraeorum* plurima sint invenienda per huiusmodi *Methodum* condita et composita. Pauca sane sunt ad docendum, quae ex *Amoso*, *Hieremia*, et ex *Nummis Hebraicis* a Pag. 4. ad 16. collegimus: Sed satis sunt ad indicandam viam, et impellendum Adolescentes bonae et aequae voluntatis. Quod autem *Lemma Chaldaicum Mane*, *Tequel*, *Phares* inter *Problemata Hebraica*, et primo loco collocaverimus factum, scilicet 1. Quia eius *Lemmatis* auctor fuerit *Deus opt. max. Hebraeorum*. 2. Quod *Hebraeus Propheta* fuerit illud interpretatus. 3. Quod servaverint *Hebraei* origine et gente *Chaldaei*: et 4. Quod inde arguatur summa auctoritas et praestantia *Temurarum*, quum impossibile sit alia ratione *Lemma* illud plene explicare, et intelligere perspicue.

III. Ex *Hierographia Palaestinorum*, *Syrorum*, et *Chaldaeorum* paucissima tantum *Problemata* desumere valui. Nam sive quod hae Gentes iam inde ab origine sua usae sint *Pantheo Oligotheistico* et simpliciore; sive quod adhibuerint pauca quaedam et communia *Symbola*, veluti Arbo-

res, Lapides, Columnas, Obelos, Pyramides, etc. sive quod mature probassent Systema Theologicum *Asterotheisticum*, vel *Stoecheiolatricum*, et adeo factae sint *Iconoclastae*, vel *Iconomisetae*: paucissima profecto eorum *Monumenta Hierographica* ad nos pervenerunt, eaque ita obscura et involuta, ut vix possint adhuc tractari. Quae autem hic attigimus illa sunt, quae Sacri *Hebraeorum* Scriptores servarunt, et quae indefinitae hactenus et ambiguae potestatis, quidquid pertinacissimo labore moliti fuerint plurimi et praestantissimi ex Doctoribus *Iudaeorum*, et *Christianorum*, novos aliquos conatus cuiuscumque generis expostulabant.

IV. Plura et clariora sunt *Problemata* selecta ex *Hierographia Graecorum*, et *Italorum*, quia Monumenta harum *Gentium* sunt plura, et testimonia Scriptorum frequentiora et clariora. Diximus autem *Graeca* non illa tantum *Emblemata*, quae ad *Hellenes* Europaeos spectant, sed etiam illa, quae iure et legitime *Graecis* sunt tribuenda, quaecumque in Regione consederint. Contra vero diximus *Italica* illa *Emblemata*, quae frequentius et solemnius *Italae Gentes* usurpaverint; etsi ex his *Gentibus*, plures fuissent *Graecae* originis, et etiamsi *Emblemata* illa ab aliquot Gentibus *Graecis* extra *Italiam* fuissent adhibita. Nam quum *Italiam* inferiorem et mediam non uni *Graeci*, sed etiam *Phoenices*, *Syri*, *Palaestini*. *Lydi* habuissent, et nemo adhuc demonstraverit *Graecos* potius, quam *Syros*. vel *Phoenices* illa *Emblemata*, de quibus agimus, condidisse, facta est propterea mihi necessitas appellandi ea a *Regione*, non a *Gente*. Ex pluribus autem *Emblematibus Graecis*, et *Italicis*, quae colligi possunt ex *Nummis*, *Vasis*, *Sar-*

cophagis, *Statuis*, *Anaglyphis* etc., vulgatiora tantum et notiora selegi: non spicilegium, sed plenissimam messem horum Studiorum Amatoribus relinquere cupiens. Doluit tamen me praeteriisse penitus *Stemmata Camarinae* Siculae, quum nimis sero comperissem doctum Virum Siculum (*V. Giornale di Scienze*, *Lettere*, *ed Arti di Sicilia Dicembre* 1829. Pag. 269. 270. etc.) in *Typo Nummi*, qui nullis certis adhuc et invictis argumentis isti *Camarinae* adtribuitur, et quem ediderunt Combe in *Museo Hunteriano* Tab. LXVIII. etc. Visconti in *Museo Pio-Clement.* Tom. VI. Tab. B. III. V. Pag. 70. 71. 294. 295. Inghirami in *Monum. Etruschi* Ser. VI. Tav. N. Pag. 6., aliique; in *Typo*, inquam, bicipiti. senili, trunco, quatuor alis instructo, cui Taurus androprosopus est adpositus, voluisse agnoscere non *Demiurgum* et Protogonum Orphicum, sive Phaneta, sive Bacchum, sive Eanum et Ianum mavis appellare, ut viri praestantissimi plures iam merito agnoverant; sed contra *Palladem* Camarinensem, illam ipsam Atticam Virginem armipotentem; vel nescio quam Aegyptiam *Neith*, quae quoad formam nec plurimum potuit a *Pallade* Attica et Camarinensi distare. Nam per *Methodum* nostram facile potuissem tum illorum doctorum Virorum sententiam tueri, tum intrinsecis argumentis illum *Nummum* ad *Oanum* et *Camarinam* Siculam vindicare. Et re quidem vera in illo *Typo bicipiti* exhiberi *Conditorem* et *Demiurgum*, praeter Characteres manifestos, qui colliguntur ex Pseudo-Orpheo, et aliis, ostendunt *Lexeoschematice* quatuor *Alae* ארבע ARBO, אבר ABR, quarum vocum utraque est *Temura* omiophona vocis ברא BRA *Creavit*, condidit, *Demiurgus*: et quoniam *Pennae* alarum sunt

curvae incurvae קרס QRS indicabitur eis חרש CRSC *Opifex*, *Artifex*, *Demiurgus* : Cuius quidem *Nomen* sit IANUS, EANUS, OANUS, quae hic unum sunt. Nam 1.*Duplex Forma*, qua constat, Hominis nempe, et Volucris est שני SCNI, השני ESCNI, צור TZUR. Atqui IANUS, EANUS, OANUS est temura homiophona שני SCNI, השני ESCNI, et יצר ITZR est qui *efformat*, *effingit*, condit, Demiurgus. 2. *Duplex Facies* est שני SCNI, השני ESCNI, פני PHNI, sive OANUS, PHANE, qui nempe שנה SCNE *vertit*, convertit. פני PHNI *faciem*, *formam* Rerum, quod Demiurgi est. 3.*Duplex Caput* est שני SCNI. ראש RASC, sive EANUS, vel OANUS שריא SCRIA *principium* et *initium* Rerum. 4. *Senilis Figura* est ישן ISCN, כון KUN, sive EANUS, OANUS, כון KUN *aptans*, *disponens*, *creans*, producens Res. 5. *Ovum*, quod manibus tenet, Symbolum Ideographicum praestantissimum *Generationis*, et *Demiurgi*. Graece dicitur *Ωον*, quod est homiophonon OANI. 6. Tum si *Taurus Androprosopus* est *Achelous*, ut ostendimus Part.I.Sect.IV.Pag.61.62. et *Achelous* fuit Symbolum omnium *Fluviorum* teste Servio ad *Georg*.I. v.9. Si auctore Dracone Corcyraeo apud Athenaeum Lib.XV. *Deipn*.Pag. 692. IANVS Demiurgus et Conditor, ut ostendimus Part. II. Sect. IV.Pag. 125.ad 129.dictus est etiam *Fluvius* Ποταμος; certo tenendum est illo *Typo* senili, bicipiti, duplici, etc. *Demiurgum* exhiberi, appellatum IANUM, EANUM, vel OANUM. Atqui *Nummus* is, de quo agimus, nec spectavit, nec spectare potuit ad IANUM Latinorum, et Romam : Et contra ad *Camarinam* Siculam, cuius *Nomen* legitur in alia *Nummi* parte, fluit OANUS fluvius

apud Veteres celebris et illustris, et qui potuit iure repraesentari *Stemmate Demiurgi* OANI, quia IANUS etiam *Fluvius*. Ergo revera in illo *Typo* est agnoscendus OANUS Siculus. Quod autem in alia Parte *Nummi*, qua conspicitur *Anser*, et vox MARA legendum sit CAMARINA facile concedet, qui animadverterit *Anserem* Graecis dici KHN, et Dorice KAN; et hanc vocem debita ratione divisam, et illi voci MARA adiectam efficere KA-MARA-N sive *Camarinam* ipsam Siculam, et minime aliam. Cuius insuper *Camarinae* praestantius *Stemma* est agnoscendum in illis *Iconibus* testaceis, quas in ista *Camarina* inventas, et ab erudito Dominico Schiavo missas edidit illustris Comes Caylus in suo *Recueil* Tom. VI. Pag. 119. 120. Nam illis exhibentur *Puellae* pulcrae, Sacerdotalibus vestibus amictae atque obtectae, et Porcellum gestantes. Atqui *Sacerdos* est כמר KMR, CAMARA. 2. *Tecta*, obtecta קמר QMR, CAMARA. 3. Et *Virgo* quandoque etiam קמר QMR, CAMARA, quia *tecta* et *occulta*. 4. *Porcellus* חמר CMR, CAMARA. 5. G*estare* portare חמל CML homiophonon חמר CMR, CAMARA. Tum 6. pulcher, venustus, elegans, congruus, opportunus est נאי NAI. Et propterea hac voce נאי NAI additâ vocibus כמר KMR, קמר QMR, חמר CMR, et חמל CML, quater, vel potius quinquies habebimus כמר-נאי KMR-NAI, sive KMR-INA: et CAMARINA, quae ipsa quinquies est *Sicula* illa urbs nobilissima. Adeoque patet minime errasse, qui inter hanc *Camarinam*, et *Camertem*, deinceps *Clusium* Etruscorum nescioquam relationem quaerebant. Nam in *Camertis* Etruscae *Nummis* est insculptus pariter *Porcus* חמר CMR, CAMER, et *Meniscus* sive *Luna* קמר QMR, CAMER. Sed

de his non est hic amplius opportunus disserendi et agendi locus.

V. *Emblematibus Graecis*, et *Italicis* cupiissem addere etiam *Aegyptia*, *Indica*, *Scandinavica*. Sed deficientibus mihi Monumentis *Certis* et *Datis*, quin Libris etiam pluribus, et opportunis adiumentis id praestare non potui. Quum tamen de *Diis* et *Theogrammatibus* istarum *Gentium* notiora et vulgatiora sint plura, ut has etiam *Gentes* hoc in *Tentamine* attingerem, aliqua *Theoremata* de praecipuis earum sive *Diis* sive *Daemonibus* demonstrare constitui. Quumque sentirem cardinem Quaestionis fundamentalem, immo totam fere Rei summam positam esse, ut dicebamus superius Pag.IV.V.in *Nexu* intimo partium, quibus constet *Hierologia* cuiuscumque *Typi Theologici*: Scilicet in relatione mutua *Nominum*, *Characterum*, et *Symbolorum*: ideo hunc ipsum *Nexum*, et hanc ipsam *Relationem* in his *Theorematibus* mihi demonstrandam adsumsi. Ne autem viderer *Nexum* hunc *fundamentalem* in unis *Diis* externarum et remotarum *Gentium* quaerere, addidi etiam nonnulla *Theoremata* de *Diis Graecorum*, *Romanorum*, et *Phrygum*.

VI. *Hierogrammata* autem *Parsorum*, sive *Persarum Avesticorum*, ut et *Sinensium*, neque in *Problematibus*, neque in *Theorematibus* attingere potueramus, tum naturâ *Panthei* eorum spectatâ, tum Monumentorum *datorum* defectu. Ne tamen has duas praestantissimas *Gentes* hoc in *Tentamine* penitus praeteriremus, immo ut ostenderemus, eas etsi carentes *Pantheo Polyschematico*, in suâ tamen *Hierographiâ* et illam ipsam *Linguam Semiticam*, et illas ipsas *Temuras*, et illos ipsos *Canones Lexeographicos* ad-

hibuisse: *Etyma* aliqua ex earum *Lexico Liturgico* desumsimus, et in veritatis argumentum in tertiâ *Tentaminis* Parte disposuimus. Et quoniam *Hierographia Indica* et *Scandinavica* levius ex adiumentorum inopiâ in *Theorematibus* tractari potuerat, ut constitutas in eis *Linguae sacrae* origines novo argumento firmaremus, aliquot etiam *Etyma*. ex *Lexico Hierographico* harum *Gentium* selecta, illis adiungere placuit. Quin eo etiam consilio omnia haec *Etyma* protulimus, ut ubi ea adiecta illis *Etymis* erunt, quae pro opportunitate in *Problematibus* et *Theorematibus* tentavimus, iam nunc commode patere incipiat, quod in *Fundam. Hermeneuticis* saepius innuimus, et quod alio in Opere quam primum, Deo dante, fuse ostendere conabimur, omnes veteres *Linguas* claras et illustres, et earum potissimum *Lexicum Hierographicum* summâ curâ, acri studio, profundâ sollertiâ, miro artificio a Collegiis Sacerdotalibus fuisse conditas et compositas ex vetere *Lingua Semitica*, *Grammatodynamica*, *Radicali*, *Consonantica*, *Gutturali*, et *Indeclinata*. Quoad *Etyma* vero *Sinensia* data opera *Mythicos* illos *Imperatores* selegimus, ut eximii illi Viri Galli, Angli, Germani, et etiam Russi, qui praestantem operam navant *Sinicae* Literaturae, haec addentes illis, quae de *Sinica Scriptura* in *Fundam. Hermeneuticis*, et in *Centuria Sinogrammatum* attigimus, occasionem adsumere velint acrius meditandi, et profundius investigandi origines *Literaturae* et *Gentis Sinicae*, quae immanibus adhuc difficultatibus premuntur, et de quibus paratum iam nobis est Systema funditus diversum ab illis, quae modo recepta sunt et late celebrata.

VII. *Hierogrammata Abraxea*, in quibus plu-

res *Typi Aegyptii*, *Syri*. *Phoenicii*, *Palaestini*. *Persici* conspiciuntur, et plurima *portentosa Lemmata*, praeterire penitus et negligere omnia visum est nefas. Sed quoniam mihi deerant *Data* illa, et *Probata*, quae prudenti Lectori essent aequa *Criteria* veritatis: ideo necesse fuit *Disquisitionem* parare de *Natura*, *Auctoribus*. et *Lingua Hierogrammatum Abraxeorum*, qua *Interpretationes Hieroschematum*, et *Lemmatum Abraxeorum* possent merito superstrui, et institui. Hinc ipsis *Interpretationibus* pro virium nostrarum modulo concinnatis, quartam et postremam *Tentaminis* partem confecimus et absolvimus, plura adhuc de hoc labore *Praefatione* peculiari dicturi. Quod si autem sit, qui miretur nos hoc in *Tentamine Hierogrammata* quidem *Cutaeorum*, *Hamatensium*, *Pisidarum*, *Palmyrenorum*, tum *Mithriacorum*, *Nechepsicorum*, *Isiacorum* curiose quaesisse, et interea universam *Hierographiam* praestantissimae Gentis *Etruscorum* praeteriisse, is debet animadvertere *Hierographiam Etruscorum* esse prorsus obscuram, et longe ceteris difficiliorem ob summam paucitatem *Symbolorum*, et Testimoniorum. Sciat vero nos quidem hic praeteriisse, non tamen eam omnino neglexisse. Nam de ea agemus peculiari Opere, quod iam iam proximis mensibus, Deo dante, typis dabitur, et quod poterit iure haberi veluti alterum *Tentaminis Hermeneutici* et *Hierographici* volumen.

VIII. Erunt fortasse non pauci qui amassent, ut *Problemata* saltem, et *Theoremata* huius *Tentaminis* plenius et distinctius pertractassem. At hos, si sunt, velim monitos plura mihi obstitisse, ne id praestarem. Et primum, quia veritus sum, quod et in aliis *Tentaminibus* sum praefatus, ne plura cumulans et aggerans, ne varias

et pugnantes in singulis Articulis opiniones proferens et expendens, vel refutans *Methodum* ipsam *Hermeneuticam*, et fundamentum *Quaestionis* obscurius et implicatius redderem, et fere perderem. Contra vero ratus sum, et reor, prima potissimum *Specimina* brevia, simplicia, et fere nuda esse proferenda et sistenda Lectori, ut facile is et perspicue propositum saltem et consilium Auctoris capiat et teneat. 2. Secundum, quia hoc in *Tentamine Mystica* et *Arcana* veterum Religionum attingi non potuerunt: et contra nullum est *Hiero-Emblema*, nullum *Theogramma*, in quo non sint aliqui *Characteres*, vel aliqua *Symbola* ad istam Religionem arcanam spectantia: Adeo ut plura sciens praeterire, vel potius resecare coactus fuerim. Immo necesse fuit, ut integros aliquos *Typos* veluti *Herculem* Thebanum, *Balderum* Scandinavum, *Krisnam* Indicum, etc. utpote profunde Mysticos in aliud Opus reservarem. 3. Tertium, quia *Lexica Semitica* Vocum *Schematicarum* sunt adhuc manca, imperfecta, et ad tantum opus parum apta: De quo et alibi questi sumus: Et nisi inveniatur animosus aliquis et eruditissimus Semitoglossus, qui *Lexico Edmundi Castelli* opportunis supplementis aucto, adiiciat uberrimum et plenissimum *Indicem*, sive potius *Lexicon Latino-Semiticum*: in quo inveniantur omnes Voces et Nomina *Latina*, et *Semitica*, quae unis literis Hebraicis poterunt satis commode exprimi et addi: sive Nomina Animalium, Plantarum, Vasorum, Vestium, Ornatuum, et universae Supellectilis humanae, quin Membrorum corporis Hominis, et Brutorum, quin Gestuum, et variorum habituum, et actionum humanarum; additis etiam et collectis diligenti cura *Synonymis* et *Homiodynamicis* Voci-

bus: numquam horum Studiorum amatores *Hiero-Emblemata*, et *Theogrammata* veterum Gentium plene et perfecte explicabunt. 4. Quartum, quia, ut innuimus, quoad *Hierographiam Scandinavorum*, *Persarum*, *Indorum*, et *Sinensium* et Libri plures, et adiumenta opportuna nobis defuerunt, quo alia et distinctius proferremus. Quin addam et defuisse quoad *Hierographiam* etiam *Syrorum*, *Aegyptiorum*, *Phrygum*, *Graecorum*, et *Latinorum*. Nam ne unus quidem *Typus Theologicus* harum *Gentium*; non *Isis*, puta, *Atergatis*, *Cybele*, *Iuno*, *Bacchus*, *Apollo*, *Ianus*, *Mars* etc. ita a *Philologis* fuit hactenus tractatus, ut tu omnia eius *Nomina*, omnes eius *Characteres*, officia, munera, omnia *Symbola* et *Hieroschemata* certa auctoritate demonstrata uno in conspectu invenias et lustres. Quin ne *Lexicon* quidem *Symbolorum*, et *Hieroschematum* adhuc paratum est, et nemo potest nisi multo cum labore nosse quot et quibus *Diis Laurus* ex gr. et *Hedera* sacrae fuissent, quot et quibus *Canis*, *Lupus*, *Anser* etc. Atqui *Problemata* et *Theoremata Hierographica* tum tantum poterunt plene et perfecte tractari, quum *Hierologia* singulorum *Typorum*, quum omnia *Nomina*, omnes *Characteres*, omnia *Symbola* eorum erunt summa diligentiâ collecta, definita, et probata.

IX. Erunt fortasse alii, quibus *Voces Semiticae* Vocibus Graecis, Latinis, Persicis, Scandinavicis, Aegyptiis, Indicis, Sinensibus a nobis collatae, haud ita homiophonae, et similes videantür, ut nos videri voluimus. At hos, si erunt, rogamus, ut exceptis erroribus nostris, qui dubio procul sunt plures et graves, antequam de huiusmodi *Homiophonia* severe iudicent, velint antea profunde meditari, et graviter exqui-

rere de varietate *Pronuntiationis* in *Dialectis Semiticis*: velint diligenter excutere Fragmenta *Hexaplorum* Origenis, et quae in Editione D. Hieronymi a Martianaeo exornata Tom.I.etII.adferuntur; Velint considerare *Nomina propria*, ut Libris originalibus *Hebraeorum* describuntur, utque in *Versionibus Graecis*, *Latinis*, et aliarum etiam Gentium exprimuntur. Colligant ex Operibus *Irenaei*, *Hieronymi*, *Epiphanii*, *Theodoreti*, et aliorum Patrum *Voces Semiticas literis Graecis*, vel *Latinis* expressas, easque attente expendant. Quin videant quomodo Viri in Semiticis Linguis longe doctissimi *Schindlerus*, *Buxtorfius*, *Castellus*, *Bochartus* soleant *Voces Semiticas* literis nostris exprimere. Nam ubi id fecerint, auguratur contra animus, quod tantam potius *Vocum* similitudinem, tantam *Homiophoniam* agnoscent, ut fateri potius cogantur, in tam dissitis et diversis *Gentibus*, et per tot saeculorum intercapedinem nisi peculiari et evidenti *Dei opt. max.* providentia tam similia et cognata *Linguae Sacrae elementa* non potuisse servari.

X. At quid porro iis faciemus, qui ubi animadverterint nos uti *Radicibus Semiticis Indeclinatis*, et *Polydynamicis*: non agnoscere *Puncta Vocalia*: non manere in unâ et eâdem *Dialecto*: *Temuras* inducere: et *Homiòphònias* probare: in illam suspicionem incidant, quod *Nexus* ille, quem praedicamus, et *Relatio* illa, quam magnopere extollimus inter *Nomina*, *Characteres*, et *Symbola* dati *Typi Theologici* non sit necessaria et intima, non sincera et legitima, sed apparens et fallax, inducta et obtrusa? Hos scilicet, si erunt; 1. Primo rogabimus, ut velint iterum iterumque recolere, quae in *Fundam. Hermeneuticis* de *Natura Scripturae Crypticae*, et

Publicae Pag. 62.ad 74.etc. disseruimus: vel proprio marte quaerere per quae *Elementa* possint condi *Hiero-Emblemata*, et *Theogrammata*, quae oculis omnium spectentur, et manibus plurimorum tractentur, et quorum potestas et significatio vix paucissimis ex solertissimis et doctissimis Viris esset nota et perspecta. Nam ubi haec quis profunde consideraverit, perspicue potius videbit nullam aliam viam, nullas sane alias rationes huius *Crypticae Formationis* superesse, nisi illa *Elementa polydynamica*, quae diximus. Adeo ut, si huiusmodi *Elementa* vere et proprie *Polydynamica* et *indefinita* in semetipsis perpetuo manerent, et unâ tantum *voluntate* et arbitrio *Conditoris* et Auctoris *Hiero-Emblematis*, vel *Theogrammatis* possent definiri et determinari, id omnino satis esset, et horum arbitrio esset adquiescendum: ut modo adquiescimus in interpretatione Vocabulorum cuiuscumque *Linguae*. Si tu probas *Etymon* Latinae vocis *Coeli* a Graeco κοιλω *cavo*, itane propterea appellabis *Coelum Lebetem*, *Catinum*, *Cophinum*, quod aeque sunt κοιλα cava? Si vocem *Terrae* a *terendo* deducis, appellabisne *Cotem*, et *Molam Terram*, quia aeque *terantur*? Et profecto; non quod probatis istis *Etymis* absurdum esset ita haec *obiecta* appellari, sed quod *Latini*, penes quos arbitrium fuit Sermonis sui, id noluerint, et reprobaverint. Et propterea quum *Conditor Theogrammatis*, vel *Hiero-Emblematis* consilium et propositum suum in *Characterum*, *Munerum*, et *Officiorum Typi Theologici* determinatione expresserit et manifestaverit; hi *Characteres*, haec *Munera*, et *Officia* expressa erunt aeternum *Criteria* tuta et opportuna, quibus tum *Nomina*, tum *Symbola* eius explicentur et definiantur, quaequae esse possit illorum *Elementorum Polydynamis*, quae revera

nec tanta est, et quae *repetitione* et *coacervatione Homiophonarum*, vel *Homiodynamicarum* Vocum, ut dicetur paullo post, penitus tollitur. 2. Secundo monemus, ut si minus directis argumentis persuaderi se sinunt, tentent id saltem obtinere *per absurdum*, ut Dialectici loquuntur: Scilicet si *Elementa Interpretationum* nostrarum sunt intrinsece ambigua, et revera incerta, tum necessario fiet, ut datis *Nominibus*, et *Symbolis* alicuius *Typi Theologici*, puta *Palladis*, et *Bacchi*, tu possis et debeas in eis invenire *Characteres* et Officia cuiuscumque alterius *Typi*, puta *Bhavani*, et *Veneris*, *Iani*, et *Vulcani*. Atqui id secundum omnes conatus nostros impossibile est. Et propterea nisi quis in *Bhavani* Indica*Minervae* Atticae, in *Freia* Scandinavorum *Vestae* Romanae *Characteres*, etc. prolixo Commentario inveniat et probet, inepte et frustra de *Elementorum* in *Methodo* nostra adhibitorum *Polydynami* obloquetur. 3. Tertio rogamus, ut ubi ad plenam persuasionem suam *Nomina*, et *Symbola* a nobis adlata non sufficiant, alia, quae nos praetermisimus, colligat, et exploret, immo aggeret, et cumulet, quot sunt, et inveniri possunt. Nam nos certi sumus, quod qui id fecerit, non modo persuasus et convictus, sed numero et pondere argumentorum plane fatigatus et pressus quiescet. Nam solertissimi illi *Theogrammatum Conditores*, quum ob necessarium *Crypticismum* paucissimis, et certissimis *Elementis* uti minime potuissent, plurima, et disiecta adhibuerunt, quae si quis inveniatur, qui patienter colligat, et scite unâ cogat, quemadmodum Opticus per ustorium Speculum ex dubia et tenui luce vivissimum iubar educit; ita ille ex omnibus *Symbolis*, et omnibus *Nominibus* unâ coactis et collectis *Cha-*

racteres, *Officia*, et *Naturam Typi Theologici* penitus clarissime et invicta evidentia intelliget et comprehendet.

XI. Erunt tandem alii, qui inter maxima *Paradoxa* reputabunt, *Scripturam Hiero-Emblematicam*, et *Theoschematicam* omnium veterum Gentium, *Sinensium* et *Latinorum*, *Indorum* et *Graecorum*, *Aethiopum* et *Scandinavorum* per eamdem *Linguam*, per eamdem *Methodum*, per eosdem *Canones* conditam et compositam fuisse. Sed hos oro, ut si *Fundamenta* nostra *Hermeneutica* non probant, alia et potiora condant et proferant: Et dent nobis interea veniam palam profitendi *Scripturam Polyschematicam*, *Hiero-Emblematicam*, et *Theographicam* nisi *Lexeoschematicam*, et *Scripturam Lexeoschematicam* et *Polygraphicam* nisi factam per *Linguam Semiticam* esse aeque et absolute impossibilem. Et propterea esse absolutae necessitatis, ut ubi *Sinensis* et *Latinus*, *Indus* et *Graecus*, *Aethiops* et *Scandinavus* velint uti *Scripturâ Polyschematicâ* et *Theographicâ*, aeque cogantur adhibere *Linguam Semiticam*, et *Canones Lexeographicos*. Quod autem tam dissitae Gentes iisdem Elementis *Scripturae* et *Linguae* utantur illis tantum videri poterit *Paradoxum*, qui omnes, vel fere omnes Patres Generis humani in absurdissimam barbariem proiiciunt, et potrudunt, et in singularum Regionum faecibus et limo obvolutos sensim sensimque per proprios conatus et singularia tentamina ad civilitatem suam pervenisse contendunt. At contra qui de bonitate et providentia *Dei opt. max.* convenientius et rectius cogitant; qui unum humanae Civilitatis centrum, unum veluti focum Humanitatis per profundissimas rationes constituunt; qui sanctis *Hebraeorum* Traditioni-

bus inhaerentes paucis a Diluvio saeculis *Imperium* dubio procul *Glossosemiticum* circa *Euphratem* et *Tigrim* conditum tenent: qui hoc *Imperium* per plura saecula durasse sibi demonstrant, et in eo, vel ad illud olim habitasse Patres *Latinorum*, et *Sinensium*, *Graecorum* et *Indorum*, *Scandinavorum* et *Aethiopum* gravissimis Rerum argumentis probant atque evincunt: Quod nos ipsos facturos aliquando, Deo adiuvante, pollicemur: Qui praeterea sciunt Linguam *Hebraicam* cum sanctis *Bibliis* per *Iudaeos*, Linguam *Arabicam* cum *Corano* per *Muhammedanos*, Linguam *Graecam* per *Macedones*, Linguam *Latinam* per *Romanos* in plurimas, diversissimas, et longissime dissitas Regiones inlatas et constitutas: Alphabetum *Ionum* receptum a *Graecis*, ab *Etruscis*, a *Latinis*, a *Celltiberis*, a *Scandinavis*, a *Moesogothis*, ab universa *Europa*, adhiberi ab *Europaeis* in omnibus Terrae angulis, et in omnibus Regionibus Mundi: Qui tandem meminerint et fuisse et esse plurimos, qui pertinacissime contendant omnem *Civilitatem Humanam*, omnes Scientias et Artes ex uno plane *Populo*, sive *Phoenicio*, sive *Bactriano*, sive *Indico*, sive *Siberico*, sive *Aegyptio*, sive *Aethiopico*, esse deducenda et arcessenda: Hi profecto haud *Paradoxam* habebunt *Sententiam* nostram, sed ut genuinarum *Originum Generis humani* maximum argumentum et pignus tenebunt, et totis viribus, ut spero, tuebuntur, et defendent.

XII. Restant modo tantum partes tuae, Lector, restat nempe, út nostra quaecumque sunt emendes et corrigas, augeas et expleas sapienter. Nam Tentamen hoc ad quodcumque finale iudicium de *Methodo* et *Systemate* proposito ferendum sive propitium, sive adversum non sufficit, sed necesse omni-

no est ut plura Ingenia, ut varia et multiplex sollertia accedat adhuc et experiatur. Quin illud sedulo recole animo et cogita, quod *Methodus* haec *Hermeneutica*, si falsa est et inepta, non nocet tamen, non officit, sive *Mythologiae*, sive *Historiae* Humanae. Nam Cardo noster *Hermeneuticus* substantialis est Fides *Monumentorum*, Testimonia *Mythographorum*, Auctoritas *Scriptorum*. Nulli *Dii* novi et inauditi cuduntur: nulla Facta et Gesta receptis et probatis adversa proclamantur: Nulli Deorum *Characteres* et Potestates notis repugnantes inducuntur. Sed vetera, et recepta firmantur semper magis, et demonstrantur. Quod si potius *Methodus* nostra vera est et genuina, si haec sincera via est, qua *Hiero-Emblemata*, *Theogrammata*, et *Vocabula* sacra veterum *Gentium* possint explicari et verti, quae quantaque bona et emolumenta possint eâ colligi, quoad *universam veterem Historiam Generis humani*, cogitandum tibi, Lector, potius relinquam, quam pluribus hîc ego exponere adlaborabo. Vale.

Scribebam Neapoli Kal. Martii 1831.



IN DISQUISITIONEM

ABRAXEAM

PRAEFATIO.

1. Iamdiu erat, ex quo plura me incitabant, ut per *Lexeographiam Temur'co-Semiticam* aliqua etiam *Hierogrammata Gemmarum*, quae vulgo dici solent *Abraxeae* explorarem. Nam consideratis earum *Ectypis*, quae exhibuerunt Pignorius, Chiffletius, Kircherus, Sponius, Gorlaeus, Montfauconius, Passerius, Caylus, et alii plures, tantum videram esse earum *Gemmarum* numerum, et varietatem, tantam copiam, et singularitatem formarum, tot elementa clarorum *Pantheorum* in eis contineri, ut nefas omnino ducerem in *Tentamine Hermeneutico Hierographiae Crypticae veterum Gentium*, quod parabam, eas omnes plane negligere. et penitus praeterire. Idque eo magis, quod *Hieroschematibus* harum *Gemmarum* adposita plerumque sunt sive aliquot *Verba*, sive *Lemmata* etiam prolixiora *Barbarophona* ignotae adhuc et incompertae potestatis; et quae propterea novâ Methodo, et quibuscumque rationibus viderentur tentanda et agitanda. At vero quid facerem, si firmiter mihi in animo proposueram ea tantum attingere et moliri, quibus essent iam aliqua *Data* et *Concessa*, vel utcumque *Probata* et *Demonstrata*, quae tum mihi ipsi, tum Lectori essent *Criteria* aequa et rationalia iudicandi de *Interpretationibus*, quae proferrentur? Atqui contra nec Auctores et Conditores harum *Gemmarum* erant solidis argumentis demonstrati: Nec praestantiorum *Typorum* et Schematum natura et potestas explicata: Nec *Lemmatum Lingua* fuerat idoneis rationibus indicata: Nec Patria ipsa, nec Aetas

Gemmarum huiusmodi probata. Adeo ut omnia *Data*, et *Probata*, per quae una potuissem *rationali* modo *Interpretationem* horum *Hierogrammatum* tentare et moliri mihi deesse dolerem. Non negaverim quod literati Viri, iique plerumque praestantissimi, qui a fine Saeculi XVI. ad hos ipsos annos, qui excurrunt, de his *Gemmis* egerunt: veluti Fulvius Ursinus circa annum 1585. Caesar Baronius 1586. Abrahamus Gorlaeus 1600. Iosephus Scaliger 1603. Ioannes Macarius 1610. Laurentius Pignorius 1620. Claudius Peirescius 1620. Ioannes Seldenus 1628. Claudius Salmasius 1647. Ioannes Chiffletius 1657. Athanasius Kircherus 1660. Andreas Frisius 1660. Andreas Bayerus 1680. Iacobus Sponius 1685. Gisbertus Cuperus 1690. Baudelotus de Dairval 1693. Leonardus Augustinus 1696. Laurentius Begerus 1696. Raphael Fabrettus 1700. Philippus a Turre 1700. Iacobus Gronovius 1707. Samuel Basnagius 1708. Bernardus Montfauconus 1708. et 1719. Renatus Massuetus 1710. Ioh. Albertus Fabricius 1720. Erhardus Reusch 1721. P. Ernestus Iablonskius 1730. Iohannes Lamius 1743. Dominicus Schiavo 1755. Franciscus Ficoronus 1757. Paulus Paciaudus 1760. Augustinus Georgius 1762. Hieremias a Bennettis 1767. Dietericus Tiedemannus 1787. Carolus Franciscus Dupuis 1800. Ennius Quirinus Viscontius 1800. Fridericus Munterus 1815. Ioachimus Bellermannus 1817. Iosephus Hammerus 1818. Bigerus Thorlacius 1821. Iosephus Tacconius 1824. Fridericus Creuzerus, et J. D. Guigniaut 1825. Bernardus Quaranta 1826. Iacobus Matterus 1827., et alii plures, quos modo non praestat recensere: omnes quasi agmine facto *Gemmas* huiusmodi *Gnosticis* Haereticis Christianis adtribuerint: At verum

aeque est plerosque ex his Literatis viris id fecisse non praemisso diligenti et profundo Quaestionis examine, sed quod alii ante se id dixerint et tenuerint: non longa serie argumentorum, sed simplici et levissima affirmatione. Alii porro, qui visi sunt plenius et prolixius de his *Gemmis* egisse, veluti Macarius, Chiffletius, Kircherus, Reuschius, Montfauconius, Matterus praedicarunt quidem Gnosticismum Abraxeum, non demonstrarunt, supposuerunt, non apertis argumentis deduxerunt: Et si qui sunt, ut Iablonskius, Schiavo, Bellermannus, qui moliri nonnulla momenta sunt visi, fallaces quasdam apparentias et inania phantasmata pro solida realitate sunt sequuti et complexi. (V. Disquisit. Pag. 340. 341. 345. 346. 349. 352. 355. etc. etc.) Quin incredibile, sed verum est, neminem ex hoc immani doctorum Virorum agmine inventum, qui *Systemate Theologico* tum *Gnosticorum*, tum *Abraxeographorum* per partes et articulos suos explicato et constituto, utrumque mutuo contulerit et comparaverit: Qua comparatione poterat tantum Veritas elucere, agnosci, et comprehendi. Contra vero inventus est circa ann. 1734. Isaacus Beausobrius, qui plura et solide obiecit in *Pseudo-Gnosticismum Abraxeum*, et qui alia plura et graviora adiecit ann. 1750. Ioannes Baptista Passerius, et qui omnia fere ab his doctis viris prolata probavit et recepit Laurentius Moshemius, vir in his studiis exercitatissimus, et multae auctoritatis. Nec leve est Comitem Caylus vulgatam opinionem, quam olim sequutus fuerat, deinceps 1762. solemniter retractasse, et abiecisse, et hoc nobilissimum exemplum nuperrime 1824. secutum fuisse Rolle auctorem *des Recherches sur le Culte de Bacchus*.

Quamobrem, ut dicebam, nulla mihi esse poterant *Data*, et *Probata*, super quae *Interpretationes* meas superstruerem et imponerem.

II. At quum totam hanc *Hierographiam Barbarophonam* negligere et praeterire me non posse sentirem, ut iam non semel monui, et contra arbitrarer, quod attenta et prolixa consideratione *Typorum*, *Symbolorum*, *Verborum*, et *Lemmatum* harum *Gemmarum*, et magis etiam comparatione et collatione diligenti horum *Hierogrammatum* cum *Hierogrammatibus* ceterarum sive Gentium, sive Sectarum, possem aliqua mihi *Elementa* demonstrare, et quasi *Data* et *Criteria* parare: constitui hunc laborem quamvis asperum et molestum adsumere, et has propterea *Quaestiones* mihi solvendas proposui.

1. Habendane sunt *Schemata*, et *Lemmata Gemmarum Barbarophonarum* ut lusus inanes Artificum, ut ludibria Iatromagorum, ut fictiones Circulatorum et Impostorum omni aequa et congrua sententia carentes, quam opinionem frequenter et pertinaciter habuit et praedicavit Ioh. Baptista Passerius in *Gemmis Astriferis*? An contra tenendum est harum *Gemmarum Schemata*, et *Inscriptiones* certo consilio, certo studio, immo simili consilio, et simili industria fuisse conditas, ac condita fuisse putantur *Hierogrammata Isiaca*, *Mithriaca*, *Cybelica*, et cetera omnia huiusmodi?

2. Si *Gemmae Barbarophonae* certo studio, certaque industria sunt exculptae, spectantne omnes ad unum et idem *Pantheum*, ad unum et idem *Systema Theologicum*, ad unam et eamdem sive *Sectam*, sive *Gentem*; vel potius diversis *Pantheis*, *Sectis*, vel *Gentibus* sunt tribuendae?

3. Si omnes *Gemmae Barbarophonae* minime

spectant ad eamdem sive *Sectam* sive *Gentem*, quae illae sunt, quae dici possint et debeant *Abraxeae*, et quibus *Criteriis* et argumentis a ceteris discernuntur?

4. Si *Gemmae Abraxeae* certo consilio et certâ curâ sunt conditae, quodnam *Systema Theologicum* in eis exhibetur, qui *Typi Theologici* earum *Schematibus* exprimuntur?

5. Qua Aetate, quo Saeculo condi primum et celebrari coeptae sunt huiusmodi *Gemmae*, et quamdiu durasse et viguisse merito tenere possumus?

6. Qua Regione, qua Urbe sive omnes, sive plerasque *Gemmas Abraxeas* conditas atque exsculptas fuisse tenendum est?

7. Possuntne *Gemmae Abraxeae* tribui *Basilidianis*, *Valentinianis*, *Ophitis*, vel aliis etiam *Gnosticis* Haereticis Christianis, qui viguerunt potissimum secundo et tertio saeculo Christiano?

8. Et si huiusmodi *Haereticis Gemmae Abraxeae* tribui minime possunt, possuntne saltem adscribi *Hierophantis* Aegyptiorum, vel *Nechepsicis* Alexandrinis, sive Sectatoribus *Iatromagiae* et *Astrologiae Pseudo-Nechepsi*, et *Petosiridis* Aegyptiorum: vel *Isiacis*, *Hellenistis*, et *Iudaeis Ethnicophilis*, qui magno numero, et per plura saecula in Alexandria Aegyptia sedem habuerunt?

9. An potius tribuendae tandem sunt huiusmodi *Gemmae Abraxeae Samaritanis Alexandrinis*?

10. Quibus *Samaritanis*, si revera *Hierogrammata Abraxea* sunt tribuenda, possuntne *Voces* adscriptae, sive paucae, sive multae, sive omnes haberi *Copticae*, quemadmodum tenuerunt Salmasius, Kircherus, Montfauconus, Beausobrius, Iablonskius, Bellermannus, aliique plures, vel potius *Graecae*, sed barbare corruptae

et foede depravatae ab imperitis et ignaris, quod tenere et defendere visus est Ioh. Baptista Passerius in *Gemmis Astriferis*, et cuius exemplum plures alii sunt deinceps imitati: Vel potius *Lemmata Abraxea Barbarophona* habenda sunt *Semitica*, *Vocibus* per *Alphabetum Graecorum*, perque alias Crypticas rationes deformatis?

III. Has autem *Quaestiones* quum diu multumque mecum versassem, et expendissem hoc pacto, pro ingenii mei modulo, solvere et explicare conatus sum. Scilicet putavi:

1. *Schemata*, figuras, *Typos*, quin *Voces* et *Lemmata Gemmarum Barbarophonarum* nullo pacto posse haberi lusus inanes Artificum, imposturas Iatromagorum, vacuasque fictiones Circulatorum; sed habenda omnino esse *Hierogrammata* simili studio, simili consilio condita, ac quaecumque alia cuiuscumque nobilis Gentis, vel Sectae. 1. Primo quia plerique Veterum non religiosi tantum erga Deos suos extiterunt, sed miserrime superstitiosi: Adeo ut plurimos Artifices consensisse, ut receptis *Diis* suis, per figuras et formas absurdas, et portentosas voces inepte illuderent impossibile fuerit. 2. Secundo, quia huiusmodi *Gemmae Barbarophonae* sunt ingenti numero, et quae nec levi labore condi et excudi ab Artificibus, nec levi pretio potuerint ab emtoribus comparari. Atqui magno labore et studio a pluribus et pertinacissime fraudes et imposturas nullius sententiae et significationis componi, et a plurimis magno pretio et incommodo comparari possibile non est. 3. Tertio, quia fraudes et imposturae, cuiuscumque generis et naturae sint, ex legibus Cosmologicis, ex ordine Mundi necessario nec late obtinere, nec diu vigere possunt. Atqui *Gemmas Barbarophonas* per plu-

res Gentes, et per plura saecula viguisse certum est. (V. *Disq*. Pag. 313. 314.) 4. Quarto, quia *Typi* et *Schemata* harum *Gemmarum* maxima ex parte similia sunt *Typis* et *Schematibus Panthei Aegyptii*, *Syri*, *Phoenicii*, *Persici* etc. (V. *Disq*. Pag. 303. 310.) et propterea si nemo sanus negaverit *Typos*, *Schemata*, et *Lemmata* horum *Pantheorum* rationibus, et *elementis* suis *Theologicis* inniti et constitui, omnis homo sanae mentis aeque affirmabit, et tenebit *Typos*, *Schemata*, et *Lemmata Panthei Abraxei* rationibus, traditionibus, et elementis suis *Theologicis* pariter inniti et superstrui.

2. Quum porro diligenter considerassem *Ectypa Gemmarum Barbarophonarum*, quae habent Pignorius, Chiffletius, Gorlaeus, Kircherus, Ebermaierus, Montfauconus, Matterus, etc. facile perspexi eas omnes haudquaquam uni et eidem sive Genti, sive Sectae posse tribui, et multo minus posse omnes appellari *Abraxeas*. Sed omnino *Gemmas* huiusmodi esse in *Abraxeas*, et in *non Abraxeas* discernendas.

3. Quamombrem conatus sum aliquot *Canones* et *Criteria* mihi constituere, quibus *Gemmas Abraxeas* a *non. Abraxeis* valerem discernere. Vid. *Disq*. Pag. 273. ad 276. Et quum per ea invenissem insigniorem et potiorem partem harum *Gemmarum Barbarophonarum* esse factam ex *Abraxeis*, de his potissimum, et fere unice agendum mihi et tractandum esse sum arbitratus.

4. Distinctis et definitis Characteribus, quibus *Gemmae Abraxeae* a reliquis discernuntur; illisque ad certam Sectam vel Gentem adsignatis; Vid. *Disq*. Pag. 301. ad 312. vidi etiam *Pantheum*, quod in eis continetur, appellandum esse *Asterotheisticum*, et *Angelolatricum* Pag. 286.

ad 293. Et Typos Classicos *Panthei Abraxei* habendos esse *Solem* Hemerodromum, *Solem* potissimum Menstruum, *Solem* Annuum, *Lunam*, *Planetas*, *Aeonem*, *Demiurgum*, etc. Pag. 277. 280. 287. 290. etc.

5. Quoad *Aetatem* vero *Abraxeogrammatum*, a fine primi Saeculi Christiani ad finem sexti eam esse collocandam certo teneri posse sum ratus. V. *Disq*. Pag. 311. 312.

6. Quoad *Patriam* autem, eam unam *Alexandriam Aegyptiam* esse habendam pluribus argumentis suadere sum conatus. V. *Disq*. Pag. 366. 368.

7. Quum porro diu multumque quaesissem an *Haeretici Gnostici* haberi possint sive omnium, sive multarum *Gemmarum Abraxearum* auctores et conditores, ingenti numero et pondere argumentorum fateri coactus sum nec fuisse umquam, nec esse potuisse. Vid. *Disq*. Pag. 329. ad 365. Adeo ut, qui *Abraxam Basilidis*, in *Sole*, et *Stellis* collocat, qui *Aeones*, vel *Archontes Gnosticos* in *Milite Gallicipite*, in *Anubide*, et *Harpocrate Abraxeo*, qui Animas Gnosticorum per Coeli Regiones errantes in *Hierogrammatibus Abraxeis* agnoscere vult, is dicendus est funditus ignorare ipsa Elementa prima *Systematis Gnostici*, et *Abraxei*. Nec dubitare fas est, quin si Viri illi praestantissimi Scaliger, Salmasius, Chiffletius, Kircherus, Iablonskius, Montfauconius, Paciaudius etc. utrumque *Systema Theologicum* vel leviter tum expendissent, statim et manifesto intrinsecam repugnantiam agnovissent. Et si unus ex eis inventus esset, qui de origine Vocis *Abraxas* diligentius cogitasset, et de usu, auctoribus, et vetustate *Lemmatum Barbarophonorum*, et *Vocum portentosarum* in Amuletis et Periaptis quae-

sisset apud *Aegyptios*, *Iudaeos*, *Arabes*, *Palaestinos*, *Graecos*, *Latinos*, etc. Si quis de *Grammatibus Ephesiis* Veterum auctoritates collegisset, numquam dubio procul tot tantique Viri *Gnosticos* haereticos in explicandis *Gemmis Abraxeis* adhibuissent.

8. Neque praeterea *Hierophantis* Aegyptiorum, neque *Iatromagis Nechepsicis*, neque *Isiacis*, *Hellenistis*, vel *Iudaeis Alexandrinis* posse huiusmodi *Gemmas Abrxeas* adtribui aeque evidenter me perspexisse sum ratus. (V. Pag. 368. ad 371.) Sed contra dubitare non potui, quin ex *Gemmis non Abraxeis* plures essent, quae his ipsis sive Sectis, sive Gentibus essent tribuendae. Scilicet arbitratus sum: 1. Omnes *Gemmas*, quibus insculptus est *Serpens Leonto-Cyno-cephalus radiatus*, qui plerumque inscribitur *Chnoubis*, vel *Chnoumis*, et probabiliter etiam illas, quae habent *Herculem Leonicidam*, adscribendas esse *IatromagisNechepsicis*. V. *Disq*. Pag. 284. 286. 364. 365. et *Lemm*. Pag. 263. 270. 2. *Gemmas* vero, quibus essent insculpta simulacra *Isidis*, *Serapidis*, et *Anubidis* manifesta, certa, perspicua, tribuendas esse *Isiacis* proprie sic appellatis. 3. Illas quibus essent *Schemata* et *Symbola Planetarum* Gentilia, sed *Nomina Iudaica*: ut illa, cui est *Hieroschema Lunae*, cum nomine *Gabrielis*, *Mercurii* cum nomine *Michaelis*; *Veneris* cum nomine *Anaelis*; *Iovis* cum nomine *Satquielis*; quod est ipsum צדיק TZDIQ, SATQ: tribuendas esse *Iudaeis Ethnicophilis*. 4. Et illas tandem, quibus esset insculptus *Mercurius Hellenicus Hellenistis Alexandrinis*.

9. Hinc rationibus omnibus collectis et pro ingenii mei captu excussis, comperi *Gemmas*

Abraxeas unis *Samaritanis Alexandrinis* esse adscribendas et adsignandas. V. *Disq.* Pag. 368. 389.

10. Et tandem quum diligenter de *Lingua Lemmatum Abraxeorum* quaesissem, inveni nec haberi posse *Copticam*, sive illam ab *Ecclesia Coptitarum* adhibitam, scriptam potissimum Saeculo IV. et V. Christiano, nec *Graecam* barbare corruptam, sive in ore vulgi et plebeculae, sive ab imperitissimis et ignarissimis *Gemmarum* conditoribus. Sed contra habendam esse sensi *Semiticam* usu *Alphabeti Graeci*, et aliquot aliarum rationum factam *Barbarophonam*, et *Crypticam*. V. *Disq.* Pag. 389. ad 398.

IV. His autem excussis, et constitutis, ratus sum me tandem habere aequa et rationalia *Fundamenta Hermeneuticae Abraxeae*, et posse utcumque aliqua *Hieroschemata*, et *Lemmata* huiuscemodi *Gemmarum* explorare et tentare. Hinc revera praecipua ex his selegi, alia nonnulla ex *Gemmis non Abraxeis* adieci, omniaque per *Methodum Temuricam* et *Lexeoschematicam* tractata in quartâ et postremâ Parte *Tentaminis* nostri disposui: Sperans fore, ut inveniatur aliquis, qui tum de *Lemmatibus* et *Inscriptionibus* Veterum *Barbarophonis* et *Crypticis*, additis illis etiam, quae *Abraxeis* satis similia ex *Vasis Mithograptis* nuperrime a Principe Canini editis colliguntur, et per quae morem hunc adhibendi Lemmata huiusmodi iam a quarto quintoque Saeculo Prochristiano usurpatum certo novimus; tum de ipsis *Hieroschematibus Gemmarum* non tenuiter et leviter, ut nos fecimus, sed plene, docte, et solerter velit tandem agere et disserere.



PARS PRIMA

PROBLEMATA HIEROGRAPHICA.



SECTIO I.

PROBLEMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA HEBRAEORUM.

1. MANE, TEQUEL, PHARES (1).

In unis Vocibus מנא MNA, תקל TQL, פרס PHRS *totam Danielis Interpretationem per Temuram invenire.*

1. אמן AMN *verax*, veridicus, ipsa *Veritas*, Deus veracissimus.

2. אנמ ANM, qui creavit et condidit omnia, *Conditor* rerum *Deus.*

3. מנא MNA *numeravit*, destinavit, attribuit, Tibi, Balthassar, et Patri tuo. Vid. Daniel. Cap. V. v. 18. 19. 20.

4. מנא MNA ditionem, *Regnum*, imperium.

5. נמא NMA *auxit*, amplificavit, complevit illud.

(1) Vid. Daniel. Cap. V. v. 26. etc. Pfeiffer. in *Dub. vex.* pag. 425. Tit. Giccon. *de vi trium verborum.* et ceteros Interpretes.

6. נאם NAM *loquutus* est Deus, monuit per prodigia, et per Prophetas.

7. מאן MAN, tu *fastidiisti*, renuisti, elevatus es contra Dominatorem Coeli. Vid. Daniel. Cap. V. v. 22. Ideo

8. תקל TQL *appendit* te, ponderavit te Dominus tuus. Et tu

9. ת-קל T-QL *levis*, nullius ponderis inventus es, bonorum operum plane vacuus. Jure propterea

10. לקא LQA proiecit te, repudiavit te: Adeoque

11. פרס PHRS *effringet*, dividet regnum tuum

12. פרס PHRS Persis, filiis Persarum

13. רשף RSCPH vehementibus sagittariis: qui Regnum tuum

14. רפס RPHS calcabunt, et possidebunt.

15. ספר SPHR *scripsit*, descripsit

16. פשר PHSCR *decretum*, iussum, statutum אמן AMN Veritas, תקל TQL qui appendit te.

II. CAIN PRIMUS INFANS (1).

Quaeritur Vox, *qua primus Infans Hominis recte et plene significetur.*

Sume vocem קין QIN, CAIN: In eâ habebis 1. קנה QNE *gignere*, *parere*, et *possidere*, *habere*, quae omnia de *Infante* verissima sunt, 2. Habebis ניק NIQ ipsum *Infantem*, qui 3. ינק INQ *sugit*, *exsugit* lac. 4. Habebis נאק NAQ *vagientem*, vagitus edentem. 5. Et נקא NQA *innocentem*, carentem adhuc culpis voluntariis. 6. Et si vis etiam קנא QNA *zelotem*, *aemulum*,

(1) Genes. Cap. IV. v. 1.

invidum, ita ut sit ipse prorsus קין QIN *Cain* Biblicus.

III. JACOB LUCTATOR (1).

Dato Nomine Jacobi יעקב *IOQB eius Lexeodramata*, *si sunt*, *indicare*.

1. Primum *Lexeodrama* habetur in ipsa *Jacobi* nativitate. Infans enim adhuc in ipso Matris utero *Jacobus* יעקב IOQB quasi *colluctabatur* יאבק IABQ cum Fratre gemello Esau: Atqui יעקב IOQB *Jacobus*, et יאבק IABQ *luctari* sunt Temurae homiophonae. Quin exiens in lucem *Jacobus* Fratris calcem עקב OQB prehendit, et eum *supplantare* עקב OQB conatus est, unde factum nomen יעקב IOQB, sive *Jacobi*.

2. Secundum *Lexeodrama* habetur in benedictione, quam *Jacob* יעקב IOQB *dolo* et *astutiâ* עקב OQB impetravit a Patre Isaaco, quia voces sunt homiophonae.

3. Tertium *Lexeodrama* est in *Lucta* Angeli. Nam *luctari* est יאבק IABQ, ut diximus, temura homiophona יעקב IOQB Jacobi. Quin *Angelus* eum supplantans יעקב IOQB proprio plane nomine *Jacobum* appellavit.

IV. VACCAE PHARAONIS (2).

Quomodo septem anni fertilitatis Aegypti perspicue indicantur a septem Vaccis pinguibus?

1. *Vacca* dicitur פרה PHRE, et ipsum פרה

(1) Genes. Cap. XXV. v. 22. 25. Cap. XXVII. v. 19. 20. et 36. Cap. XXXII. v. 34.
(2) Geneseos Cap. XLI. v. 2. etc.

★

PHRE est crescere, augeri, fructificare, fructus ferre. Ergo *Vacca* פרה PHRE est idoneum Lexeoschema fertilitatis, et ubertatis פרה PHRE, פרי PHRI, *Terrae*, ut iam adnotavimus in *Hieroglyph. Scriptis* Sect. III. num. 7. pag. 55. Ex quo factum revera est ut *Vaccam* quasi Symbolum praestantissimae fertilitatis Aegyptii in *Iside*, Phoenices in *Astarte*, Scandinavi in *Oedumla*, Indi Brachmanes in *Camadenu* constituissent.

2. *Pinguis*, *opimus* est בריה BRIE. Atqui רבע RBO temura homiophona est germinare, fructificare, quod *Terrae* proprium; et ipsum בריה BRIE, ברה BRE est *cibus* esca, et בר BR est *frumentum* ipsum.

3 *Septem* est שבע SCBO, et ipsum שבע SCBO est *saturitas*, satietas, copia, abundantia.

Igitur *Septem* שבע SCBO, *Vaccae* פרה PHRE, *pingues* בריה BRIE significant aperte et evidenter שבע SCBO Saturitatem, satietatem, פרי PHRI fructuum Terrae, et בריה BRIE omnis escae, et singillatim בר BR frumenti: Et propterea *septem annos* summae *fertilitatis*.

V. MURUS PERPENDICULI (1).

Quid Perpendiculum, quid Murus Perpendiculi apud Prophetam Amos cum calamitatibus et excidio Israelis?

1. *Perpendiculum* dicitur אנך ANK, et homiophonon אנח ANC est gemitus, suspirium, moeror, et aliud homiophonon אנק ANQ est clamor gementium, est angor dolentium.

2. *Murus* dicitur חמה CME, quod ipsum est

(1) Amos Cap. VII. v. 8.

aruit, exaruit, arsit. *Murus* est חמות CMUT, et חמט CMTH est depressus, prostratus.

Murus est קיר QIR, et קרע QRO est disruptus, evulsus, extirpatus.

Murus igitur *Perpendiculi* sive חמה CME, אנך ANK est egregium Lexeoschema moeroris magni, et excidii funesti.

VI. CALATHUS AESTIVORUM (1).

Quid Calathus aestivorum apud eumdem Prophetam cum captivitate et excidio?

1. *Calathus*, *corbis* est כלוב KLUB: et idem כלוב KLUB est Carcer, Cavea plerumque angusta et foetida, qua animalia bruta coërcentur et detinentur, et quae propterea est egregium Symbolum Captivitatis miserrimae.

2. *Aestas*, *aestivus* est קיץ QITZ, at idem קיץ QITZ est vexare, divexare, קצץ QTZTZ est caedere, absumere, perdere, et קץ QTZ est finis, absumtio.

Calatho igitur sive כלוב KLUB, *aestivorum* קיץ QITZ argute significatur Captivitas כלוב KLUB, et excidium קץ QTZ.

VII. VIRGA AMYGDALINA (2).

Quomodo apud Prophetam Hieremiam vigilantia Dei Domini significatur Virgâ Amygdalinâ?

1. *Virga*, *baculus* dicitur מקל MQL, temura homiophona מלך MLK est Rex, Rector.

2. *Amygdalus* dicitur שקד SCQD, et vigilare, advigilare, attendere est ipsum שקד SCQD.

(1) Amos Cap. VIII. v. 2.
(2) Hierem. Cap. 1. v. 11.

Eius autem vocis Temura est קדש QDSC Sanctus, purus, perfectus.

In *Virga* igitur *Amygdalina* legitur מלך MLK Rex; קדש QDSC Sanctus, שקד SCQD invigilat: Quae respondent *Verbis* ipsius Dei Domini v. 12. *Vigilabo ego.*

VIII. OLLA BULLIENS (1).

Quid Olla bulliens a facie Aquilonis, quam idem Propheta Hieremias videt cum ingenti malo, quod veniet ab eodem Aquilone?

1. *Olla* dicitur סיר SIR, et tempestas, procella symbolun Ideographicum et idoneum ingentis mali dicitur סער SOR, שער SCOR, et idem שער SCOR est horrenda, terribilis.

2. *Bulliens* est נפח NPHC, quod נפח NPHC est etiam flans, spirans, ingruens, vox tempestati aquilonari aptissima.

3. *A facie* est מ-פני M-PHNI: et פנה PHNE est etiam vastare, desolare, perdere.

Ollâ igitur סיר SIR, *bulliente* נפח NPHC, *a facie* מ-פני M-PHNI *Aquilonis* צפון TZPHUN, significatur tempestas סער SOR, horrenda שער SCOR, ingruens נפח NPHC, ab Aquilone מ-צפון M-TZPHUN, qua omnia פנה PHNE desolabuntur.

(1) Hierem. Cap. 1. v. 13.

IX. FICUS BONAE, ET MALAE (1).

Quomodo Calathus Ficuum bonarum apud eumdem Prophetam Hieremiam significat afflictionem utilem et brevem, Calathus contra Ficuum malarum afflictionem pessimam et duraturam?

1. *Ficus* dicitur תאנה TANE, et תנה, TNE, תין TIN, תנן TNN sunt queri, lamentari, aversio, tyrannis, vastatio. Et certum insuper est in Mysteriis *Bacchi*, et *Osiridis* sive *folia* sive *ramos Ficus* fuisse Symbola passionis et afflictionis gravissimae.

2. *Ficus bona* תאנה TANE, טוב THUB utilis, commoda, quae fert bona et commoda, et voluptatem generat: Et quoniam mala diuturna et longi temporis numquam possunt appellari *bona*: Ideo תאנה TANE, טוב THVB *Ficus bona* indicabit afflictionem quidem, sed brevem, et in bonum et commodum cedentem.

3. Praeterea *Calathus* dicitur דוד DVD, nempe charus, dilectus, amatus. *Calathus* ergo *bonarum Ficuum* indicabit afflictionem utilem, quae charis et amatis datur in bonum.

4. Contra vero *Ficus mala* תאנה TANE, רעה ROE esse nequit nisi afflictio pessima, nisi vexatio teterrima, et quia *Calathus* est etiam כלה KLE, כלי KLI. nempe finis, consummatio, perditio, vel כלוב KLUB carcer, cavea foetida, ut diximus paullo supra: Ideo *Calathus Ficuum malarum* significabit afflictionem, exitium pessimum, et diutissime duraturum.

---

(1) Hierem. Cap. XXIV. v. 1.

X. CHERUB CURRUS DEI (1).

Currus Dei Omnipotentis, de quo saepius est sermo in Sacris Libris (2), *potuitne aliquando iure appellari Cherub?*

Ita quidem : Nam

1. רכב RKB Temura כרוב KRUB est *Currus*, sedes, qua homines vehuntur, et ducuntur.

2. רבך RBK est *sonitus*, strepitus, magnus, terribilis.

3. כבר KBR est *magnus*, potens, validissimus.

4. כבור KBUR est *gloria*, maiestas, decor, dignitas.

5. ברך BRK est *benedictus*, adorandus, venerandus.

5. בכור BKUR est *primogenitus*, qui omnium primus in lucem editur et apparet.

Cherub igitur sive כרוב KRUB est 1. *Currus*, 2. *perstrepens*, 3. *Potentissimi*, 4. *Gloriosissimi*, 5. *Benedicti*, 6. *Primogeniti Dei.*

XI. CHERUBIM CURRUS, ET ARCÆ DEI (3).

Data Voce כרוב *KRUB formam et figuram Cherubim Currus et Arcae Dei per Lexeotropos divinare.*

1. בחור BCUR temura homiophona כרוב KRUB

---

(1) V. Psalm. XVIII. v. 10. 11. יְהוָה IEVE יִרְכַּב IRKB עַל OL כרוב KRVB *Deus equitavit super Cherub.* Ezechiel. Cap. IX. v. 3. X. v. 4.

(2) Vide Psalm. LXVIII. v. 18. LXXIX. v. 2. XCIX. v. 1. Ezechiel. Cap. I. v. 25. etc. Ecclesiast. Cap. XLIX. v. 10.

(3) Vid. Gregor. Michael. ad *Gaffarell.* pag. 83. ad 93. Pfeifferi *Dub. vex.* pag. 17. et 126. Spencerum *de Legib. Hebraeor.* Tom. 11. pag. 823. 860. Witsii *Aegypt.* pag.

est *Iuvenis*, Adolescens pulcher, decorus. צפיר TZPHIR alia temura homiophona est etiam *Iuvenis*, adolescens: רביא RBIA tertia temura homiophona est *Adolescens*, puer. Tum חבר CBR sodalis, socius, collega. גבר GBR potens, robustus, heros, כביר KBIR magnus, grandis dicuntur potissimum de Hominibus. *Cherubim* ergo sive חבר CBR *socii* collegae, בחר BCR *selecti pulchri*, erunt specie et forma צפיר TZPHIR. *adolescentium*, רביא RBIA *puerorum*, גבר GBR Heroum, scilicet *Humana forma*.

2. At כרב KRB est *arare*, *Terram* proscindere, quod *Boum* proprium, et בקר BQR temura homiophona est *Bos*, et אביר ABIR est etiam *Bos*: et כ-אביר K-ABIR quasi *Bos* est temura homiophona כרוב KRUB. Ergo etiam forma *Bovis* erit *Cherubo*.

3. Praeterea *Leo* dicitur כפיר KPHIR, et dici potest כביר KBIR, et אביר ABIR ob ingentes vires; Atqui hae voces sunt temurae homiophonae vocis כרוב KRUB. Ergo etiam *Leonis* forma erit *Cherubo*.

4. Tandem *Ala* dicitur אבר ABR, כ-אבר K-ABR quasi ala, et *Avis* dicitur צפיר TZPHIR, quae temurae homiophonae vocis כרוב KRUB. Ergo forma *Cherubi* erit etiam *Volucris*. Et profecto haec forma mixta ex *Homine*, *Bove*, *Leone*, et *Ave* aperte colligitur ex locis Biblicis accurate et diligenter expensis. Ipsamque hanc formam *Cherubis* Arcae Dei praestantiores Interpretes et Doctores tribuerunt. Quumque Eccle-

---

152. 130. Dorjen in *Thesauro Ugulin*. Tom. VIII. pag. 512. Dav. Michael. in *Act. Acad. Gotting*. Tom. 1. pag. 170 171. etc.

sia Catholica, ut Symbola Sanctorum Evangelistarum, qui habendi sunt quasi veri Cherubim viventis Arcae Dei, nempe Servatoris nostri, et veri Angeli novi Testamenti, figuras et formas *Adolescentis*, *Bovis*, *Leonis*, et *Aquilae* probaverit, ingens plane pondus, et auctoritas huic opinioni accedit.

XII. CHERUBIM EDENIS (1).

Adestne alia ratio, qua Angeli a Domino Deo ante Paradisum Edenicum collocati appellantur Cherubim a Mose?

Ita quidem. Nam propositum, et destinatio alios ex parte *Lexeotropos* expostulat.

1. בחר BCR temura homiophona כרוב KRUB, ut diximus, est *Iuvenis*, pulcher, decorus, electus.

2. כביר KBIR est *validus*, robustus, potens.

3. חבר CBR *socius*, sodalis, quia sunt plures, qui eidem officio sunt addicti: Adeoque *Cherubim* erunt *pulchri*, et *potentes Juvenes*, *Angeli*, qui

4. חרב CRB *Gladio*, ense

5. חרב CRB aestuante, *ignito*,

6. ברק BRQ *coruscante*, splendente, fulmineo

7. ברח BRC *expellunt*, et fugant

8. כרב KRB *vexant*, affligunt

9. גבר GBR *audaces*, contumeliosos, qui conantur praevalere,

10. כפר KPHR *rebelles*, reprobos, infideles, inobedientes Deo opt. max.

---

(1) Geneseos Cap. III. v. 24.

XIII. VITULA RUFA (1).

In duabus Vocibus פרה *PHRE Vitula*, *et* אדמה *ADME rufa*, *totum ritum Expiationis per Lexeotropos invenire.*

1. ערף ORPH temura homiophona פרה PHRE est *mactare*, iugulare, decervicare.

2. בער BOR alia temura homiophona est *urere*, comburere.

3. עפר OPHR, vel אפר APHR alia temura homiophona פרה PHRE est *cinis*, pulvis, qui ex combustione superest.

4. פאר PHAR est *ramus*, surculus, quo aqua est aspergenda.

5. רעף ROPH est *stillare*, destillare, per aspersionem stillas rorare, demittere.

6. רפא RPHA est mederi, sanare, remedium malo adferre.

7. אדמה ADME *rufa* est homiophonon אדם ADM *Homini*, דמה DME *silenti*, mortuo; et temura homiophona טמא THMA est *pollutus*, immundus.

Si igitur *Homo* אדם ADM, *pollutus*, inquinatus טמא THMA, ob *attactum* hominis אדם ADM, *mortui* דמה, DME vel מות MUT, *aspergatur* רעף ROPH, aqua imbuta *cinere* אפר APHR, *Vitulae* פרה PHRE, *rufae* אדמה, *mundabitur* רפא RPHA.

---

(1) Vid. Numerorum Cap. XIX. Epistol. ad Hebr. Cap. IX. v. 13. Maimonid. *de Vacca Rufa*. Spencerum *de Legib. Hebr.* tom. II. pag. 482. 483. Deyling. *Observat. Tom.* III. Pag. 89. Calmet *Comment. ad Caput XIX. Numeror.* etc.

XIV. SERPENS AENEUS (1).

Quae Cap. XXI. Numerorum de Serpente aeneo narrantur in unis Vocibus נחש *NCSC*, שרף *SCRPH per Lexeotropos invenire.*

Si iustâ irâ Dei omnipotentis

1. נחש NCSC *Serpens*, coluber, שרף SCRPH *ignitus*, adurens
2. חשן CSCN *durus*, ferus
3. נשך NSCK *momordit*, appetiit morsu: Et
4. שחן SCCN ulcere, pustula pessima
5. שנק SCNQ torquet et excruciat aegros.
6. שרף SCRPH *Serpens*, coluber, נחש NCSC aeneus,
7. שרף SCRPH *elevatus*, sublimatus in
8. פרש PHRSC perticam, in vexillum
9. רפס RPHS *infringit*, levat, emollit malum: Et aeger
10. שפר SCPHR bene se habet, aptus et idoneus fit ad munia sua;
11. פשר PHSCR pacificatione, reconciliatione, pace cum ipso Deo opt. Max. peracta et restituta.

XV. SICLUS ISRAEL (2).

Inter Symbola Sicli Iudaici, et verba adiecta intimum nexum deprehendere.

Symbola Sicli Judaici sunt: 1. *Calix vacuus*,

(1) V. in Numerorum Cap. XXI. Calmeti, et alior. *Interpret. Comment.* Tum Deyling. *Observat.* Tom. 11. pag. 207. 208. Saubert. *Palaestr. Theolog.* pag. 329 330. etc. etc.

(2) Vid. Kircheri Oedip. Tom. 11. P. 1 pag 91. 92 Morin.

et 2. *Flores Amygdali*: Verba autem adiecta sunt: 1. שקל SCQL, 2. ישראל ISCRAL. et 3. ירושלם IRUSCLM, 4. קדשה QDSCE: Atqui

1. שקה SCQE est *potare*, bibere, et ל-שקה L-SCQE temura שקל SCQL *Sicli*, est ad bibendum: Et *Calix* Latinorum, et *Cylix*, sive *Calix* Graecorum fieri a ל-שקה L-SCQE est vehementer probabile. *Calix* ergo est idoneum Lexeoschema שקל SCQL *Sicli*.

2. *Calix* porro Nummi est *Calix* intectus, apertus, adeoque profanus et impurus, ut constat ex Numeror. Cap. IV. v. 12. et XIX. v. 15.: et qui propterea haberi non potest pro *Vase Mannae* sacro, et adeo obtecto et clauso, quod plerique perperam tenuerunt. At *Vas* apertum et non tectum est necessario *vacuum* et inane קל QL, quia Vasa plena obteguntur. *Calix* ergo Nummi erit omnino Vas קל QL, imo ש-קל SC-QL addito Prothetico ש SC Chaldaico, Syro, et Rabbinico more: et adeo erit iterum opportunum Lexeoschema שקל SCQL *Sicli*.

3. Porro *Calix Sicli* non est inclinatus, inversus, obliquus, sed plane rectus, ישר ISCR, et elevatus אל AL, scilicet habet Lexeoschema Nominis ישראל ISCRAL.

4. *Calix* insuper dicitur כלי KLI, גלה GLE, et גאל GAL temura homiophona est *redemptio*, liberatio, quae ipsa vox in aliis Nummis Iudaeorum aperte occurrit.

Tum *Mensura* liquidorum Iudaica dicta לוג LUG temura homiophona גאל GAL est omnino par *Calici* et *Vasculo* ad bibendum apto. *Calix* ergo sive גלה GLE, *rectus* ישר ISCR et *elevatus*

---

de Ling. prim. Hadrian. Reland. et Perez-Bayer *de Numm. Samaritanis*.

אל AL penitiore potestate significabit גאל GAL *redemtionem Israelis* ישראל ISCRAL.

5. *Flos Amygdali* est נצ NTZ, שקד SCQD. At נצ NTZ, נצה NTZE est Temura homiophona ציון TZIUN *Sionis*, et קדש QDSC *sanctus* est temura שקד SCQD *Amygdali*. *Flos* ergo *Amydali* נצ NTZ, שקד SCQD est Lexeoschema legitimum *Sionis Sanctae*. sive ציון TZIVN, קדשה QDSCE, quae est saepe homiodynamica, *Hierusalem Sanctae*, quae verba sunt ipsi *Siclo* insculpta.

XVI. NUMMUS ANNI SECUNDI (1).

Dato Nummo Iudaico in cuius antica parte sit Vas sive Urna ansata, et verba שתים *SCTIM secundo*, שנת *SCNT anno*: *Et in postica Folium vitis, sive Pampinus, et verba* חרות *CRUT Liberatio*, ישראל *ISCRAL Israelis intimum nexum inter Symbola et Verba constituere.*

1. שתים SCTIM est *Secundus*, et שתה SCTE est *bibere*, potare, et שתיה SCTIE *poculum*, vas. Ergo *Vas* שתיה SCTIE erit aptum Lexeoschema *Secundi* שתים SCTIM. Tum שני SCNI, שנת SCNT *secundus* homiodynamicum Voci שתים SCTIM est homiophonon Voci צנצנת TZNTZNT *Urnae*, *urnulae*, *vasi*.

2. *Annus* porro dicitur שנה SCNE, et שן est *dens*, *ansula*. *Ansula* ergo שן SCN erit Lexeoschema *Anni* שנה SCNE, et duae *Ansulae* erunt Symbola aptissima *Anni secundi*. Tum quia שנה SCNE *Annus* est homiophonon צנה TZNE

(1) Vid. Perez-Bayer *de Num. Hebr. Samarit.* pag. 94 95.

etiam illâ Urnâ צנצנת TZNTZNT indicabitur *Annus*. Et propterea *Urna ansata* significabit pluribus modis *Annum secundum*.

3. *Pampinus* dicitur ורק URQ, ורקת URQT, carptus, excisus חרת CRT, כרת KRT. Atqui חרות CRUT *liberatio*, *redemptio* est homiophonon חרת CRT *excisi* decerpti; et temura homiophona ורקת URQT *Pampini*. Praeterea ורק URQ, ורקת URQT est temura homiophona קיר QIR, קרת QRT *Urbis*, *Civitatis*, quae hic alia esse nequit a *Hierusalem*, ut *Urbs* Latinis *Roma*, et Αστυ Atticis *Athenae*. Ergo *Pampini* ורקת URQT *Folio*, חרת CRT recte significabitur *Civitatis Hierusalem* et *Israelis* חרות CRUT *liberatio* et *redemptio*.

Nummi *Anni tertii* sunt his similes, additur tantum *Vasculo* vel *Urnulae operculum* acutum(1), ut habeantur tres ansulae, sive *tres* שלש SCLSC *dentes* שן SCN, sive symbola *trium* שלש SCLSC, *Annorum* שנה SCNE.

XVII. NUMMUS ANNI QUARTI (2).

Inter Symbola Nummi anni quarti, et Voces appositas perfectum nexum demonstrare.

Symbola Partis anticae *Nummi* sunt 1. *Duo fasces Plantarum* vel Ramorum *fructiferorum*, et 2. *Malum Citreum in medio* eorum *erectum*. In Parte postica *Palmae arbor* media 4. inter *duos Corbes fructibus rotundis* plenos.

Parti anticae inscriptum שנת SCNT *Anno* ארבע ARBO *quarto*, חצי CTZI *dimidium*. Posticae לגאלת LGALT *redemptionis* ציון TZIUN *Sionis*.

---

(1) Vid. Perez-Bayerum. *Oper. cit.* pag. 116. 117.
(2) V. Perez-Bayer. *Oper. cit.* pag. 122. 123. etc.

Atqui *duo* שני SCNI , quot sunt *Fasces* , et *Corbes*, est homiophonum שנה SCNE *anno*. Ergo in *numero Fascium* et *Corbium* erit Lexeoschema *Anni*. Praeterea *Corbes* et *Fasces* Fructuum sunt munera *dona* נשא NSCA , quae donantur, feruntur נשא NSCA , in usum et commodum nostrum : Atqui temura homiophona נשא NSCA est שנה SCNE *anni*. Tandem *Fasces* et *Corbes* fructuum Ideographice *Annum* ipsum ut apud Virgilium Eclog. 1. v. 70. *Aristae* designant.

2. *Duo* porro *fasces*, et *duo corbes* sunt *quatuor* ארבע ARBO , adeoque indicabunt *Annum quartum*. Et quia רבע RBO homiophonon ארבע ARBO *quarto* est *germinare* , fructificare , ideo *quartus Annus* per ipsam *Germinationem* et *Fructus* significabitur.

3. *Malum citreum* , quod est in medio duorum *fascium* dicitur תרג TRG , et quia decerptum , erit חרת CRT , atqui חרות CRUT est *liberatio redemptio* , . et vox est homiodynamica גלאת GALT redemtionis , quae legitur revera in Nummo, et חצי CTZI *medius* est etiam *realis*, genuinus , proprius.

4. *Duo* autem *Corbes* כלי KLI , גלה GLE , *rotundi* עגל OGL , referti fructibus *rotundis* גלגל GLGL sunt opportuna Lexeoschemata גאלת GALT *redemtionis* , liberationis Israelis.

5. Tandem *Palma humilis* , quae conspicitur in aversa *Nummi* parte dici potest תמר TMR, צאן TZAN , et propria voce צנין TZNIN. Atqui תמד TMD homiophonon תמר TMR est *perpetuus* , perennis , et צאן TZAN , atque צנין TZNIN sunt homiophona ציון TZIUN *Sionis* , Ergo *Palma humilis* est egregium Lexeoschema *Sionis aeternae*. Et adeo intimus nexus intercedit inter *Symbola*, et *Lemmata* huius *Nummi*.

SECTIO II.

PROBLEMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA SYRORUM.

I. BAAL בעל BOL (1).

Infamiam cultus Baalis per Lexeotropos Nominis sui firmare.

1. בעל BOL est desiderare, amare, concupiscere, nequitias patrare.
2. בלע BLO comedere, vorare, ligurire.
3. לבע LBO, לב LB liba, placentae, cupediae.
4. לעב LOB salax, lascivus, petulans.
5. עלב OLB scommata, dicteria, iocos iacere.
6. עבל OBL ambulare, incedere unâ simul, in pompa procedere.

Atqui hic omnino fuit processus Festorum *Baalis*.

II. ASCRE אשרה (2).

Obscoenitatem אשרה ASCRE Syrorum ex ipso Nomine manifeste deprehendere.

1. אשרה ASCRE *Lucus*, arbor; ת-אשור T-ASCUR *Buxus*, vel *Myrthus* Veneris, et הדסה EDSE temura homiophona est iterum *Myrthus* Veneris.

---

(1) Vid. Selden. et Beyer. *de Diis Syriae* pag. 8. 9. 120. et 276. 277. Schedium *de Diis German.* pag. 90. 110. 112. etc. Kircher. *Oedip.* T. 1. pag. 262. 263. Godwin in *Mose* pag. 688. et Carpzov. *in Godwin* pag. 482. 508. Mayer in *Thesaur. Ugulin.* tom. XXIII. p. 792. 793. etc. etc.

(2) V. Auctores citatos.

2. אשר ASCR homiophonon est voluptas, felicitas, beatitudo.

3. ארסה ARSE, ערסה, ORSE, ערס ORS temurae homiophonae sunt nova nupta, nuptiae, convivium, thalamus nuptialis.

4. שרה SCRE tabernaculum, tentorium, epulum, comessatio.

5. שאר SCAR caro, ithyphallus.

III. SACAEUM FESTUM BABYLONIORUM(1).

Ex Nomine Sacaeorum. quod factum videtur ex Voce ששך *SCSCK servata a Hieremia Cap. XXV. v. 25. et Cap. LI. v. 41. et a Voce* שחק *SCCQ servata ab Amoso Cap. VII. v. 9. infamiam Festi deprehendere.*

1. שש SCSC pars vocis ששך SCSCK est gaudium, voluptas: Et

2. שקה SCQE homiophonon שך SCK, quae potest haberi ut altera pars Vocis, et iterum homiophonon שחק SCCQ, est potare, compotare.

3. שקק SCQQ est currere, discurrere, quod fit in Festis.

4. שחק SCCQ ipsum est ridere, risum edere, iocari.

5. ישק ISCQ est osculari, exosculari, quod etiam significat temura חשק CSCQ.

6. חקץ CQTZ temura homiophona est obscoenitas, turpitudo.

---

(1) Vid. Selden. *de Diis Syr.* Pag. 226. 269: et Beyer Pag. 335. Voss. *de Idololatr.* lib. 11. pag. 256. Histor. Univ. Anglor. Vol. 1. Part. 15. pag. 6744. Ed. Nap. Georgi *Alphab. Tibet.* pag. 20: 21. 135. etc. etc.

IV. POMPA MOLOCHI (1).

Pompam Molochi descriptam a Propheta Amos Cap. V. v. 26. in Nomine Chamos כמש *KMSC per Lexeotropos explicare.*

1. סוך SUK Amosi nempe *Tabernaculum* et Tentorium. sive מסך MSK homiodynamicum est משך MSCK temurae כמש KMSC, quod est *Pellis*, corium animalium, ex quo plerumque Tabernacula confecta sunt.

2. כיון KIUN Amosi, sive *Loculus*, Aedicula, quae vox fit a כון KUN sede, basi fixa firma, et כנע KNO curva, respondetque Temurae Italorum *Nicchio*, latet in שכם SCKM *sedi* paratae, loco vacuo, et שכין SCKIN *sedi*, habitaculo. כיון KIUN Amosi fuisse etiam *Nomen Idoli* non negamus: Immo auctoritate S. Stephani Actor. VII. v. 43. et LXX. Interpretum Parte IV. in *Lemm. Hierograph.* Sect. II. Cap. I. Art. 6. singillatim animadvertemus. Sed voci esse etiam hanc potestatem cum Cocceio, Maio, Gussetio, Turnovio, aliisque contendimus, et si in Amoso legimus: vos portastis כיון KIUN צלמיכם TZLMIKM ex ingenio Linguae, et parallelismo commatum aliquod corporeum, et simile Tabernaculo intelligendum omnino videtur.

3. צלם TZLM *Amosi* sive Imago, simulacrum respondet voci homiodynamicae משח MSCC fingere, efformare; et שכה SCKE, משכה MSCKE figurare, formare, et סכם SKM figurae, simulacro.

---

(1) Vid. Selden. et Beyer *de Diis Syriae* Pag. 99. 100. 276. Kircher *Oedip.* tom. I. pag. 326. 327 Deyling. *Observat.* tom. II. pag. 444. Jablonski *de Remph.* in *Thes. Ugulin.* tom. XXIII. *Pag.* 571. 572. etc.

4. כוכב KUKB Amosi, sive *astrum*, stella respondet voci שמח SCMC illuxit, resplenduit, ortus est, exhilaravit, quae plane *astro* congruunt.

5. Ipsa *pompa* et gestatio Idoli נשא NSCA, משא MSCA respondet temurae משך MSCK trahere, ducere; et שכם SCKM est humerus, dorsum, quo Statuae gestantur.

In Voce ergo כמש KMSC habemus 1. *Tabernaculum* סוך SUK, 2. *aediculam* כיון KIUN. *Simulacrum* צלם TZLM. 4. *Stellam* כוכב KUKB 5. *Pompam* נשא NSCA *Molochi* Ammonitici: Adeoque non modo iure possumus colligere, quod iam alii fecerunt (1), *Chamos* nempe Deum Moabitarum fuisse *Molochum* fratrum Ammonitarum; Sed etiam *Moabitas* servasse *Vocem* classicam et fundamentalem Cultus, et Liturgiae tam celebris *Dei*, qui potest etiam latere in *Camese* sive *Cameseno* Latinorum, de quo esset diligenter quaerendum.

V. PAEDOTHYSIA MOLOCHI (2).

In voce MULCIBER, quam Latini servarunt originem et caussas Paedothysiae Syrorum detegere.

1. *Mulciber* Romanis dictus est *Vulcanus* Deus *Ignis*, et *foci*, Deus combustionum. Quumque Arabibus כאנון KANUN sit *ignis* et *focus* do-

---

(1) Vid. Calmet *Comment. in Numeros* Tom. II. pag. 125. 127. etc.

(2) Vid. Selden. et Beyer *de Diis Syriae*. pag. 107. 108. etc. 257. 258. etc. Spencer. *de Legib. Hebr.* Tom. I. pag. 360. 372. Saubert. *de Sacrif.* pag. 460. 470. Schwab *de Molocho, et Remph.* et Ziegra *de Paedothys. in Thesaur. Ugulin.* Tom. XXIII. pag. 889. 890. etc.

mesticus, et בל BL, בעל BOL sit *dominus*, herus dubitari vix potest, quin *Vulcanus* Latinorum sit בל-כאנון BL-KANUN, sive Deus et *Dominus focorum*. Atqui *Mulciber* est מלך MLK Rex, dominus בער BOR combustionis, *foci*, incendii. Tum Deus *Moloch*, est ipse Deus מלך MLK Rex dominus; Et *Moloch*, cui pueri incendebantur, est מלך MLK *Moloch*, בער BOR, *Rex* incendii et *combustionis*: Adeoque dubitari non licet, quin vox בער BOR fuisset vox religiosae, et profundae potestatis. Atqui revera data voce בער BOR per *Lexeotropos* hanc sententiam colligimus. Si רעב ROB *fames*, vel alia quaecumque עבר OBR *ira* et indignatio Dei מלך MLK *Molochi*, עבר OBR *ingruat* et vexet, tu עבר OBR *transiice* transduc per בער BOR *ignem* incendium tua ערב ORB *pignora*, sive בר BR *filios*, vel totos בער BOR *igne* absume. Ita enim *Terra* רבע RBO *germinabit*, et *fructus* suos feret, et עבר OBR *adveniet*, appropinquabit עבר OBR *Annona*, ערב ORB *iucundissima*.

VI. TERAPHIM SYRORVM (1).

Data voce תרף *TRPH formam Teraphim Syrorum definire.*

1. תרף TRPH est *imago*, figura, simulacrum: et praeterea *Phallus*, turpitudo virilis.

2. פרת PHRT est *pellis villosa*, tunica pellicea; est etiam *lacerare*, disrumpere, discerpere.

(1) Vid. *Kircher*. Oedip. Tom. I. pag. 255. 256. Michael. *ad Gaffarell*. pag. 197. 198. Spencer. *de Legib. Hebr*. Tom. II. pag. 935. Carpzov. *ad Godw*. pag. 527. 539. Witsii *Aegypt*. pag. 29. 30. Pfeiffer. *Oper. Philol.* I. pag. 81. 553. Wichmannhausen in *Thesauro* Ugulin. Tom. XXIII. pag. 474. 475. Calmet *in* 1. *Regum* Cap. 14. v. 13. T. II. pag. 379.

3. תפר TPHR contra est *suere*, adsuere, consuere.

4. רפט RPHTH est *tremere*, moveri, nutare.

5. פתר PHTR est *declarare*, manifestare, exponere.

6. תרף TRPH tertio est *bonis abundare*, commodis affluere. Quamobrem, si quis sumat 1. פרת PHRT *pelles villosas*, tunicas pelliceas, et eas 2. פרת PHRT debita ratione *laceret*, et dividat: et tum ita 3. תפר TPHR *consuat*, adsuat, ut inde efficiat et efformet 4. תרף TRPH *simulacrum*, iconem Hominis, et maxime cum 5. תרף TRPH *Phallo*, turpitudine: ita ut utrumque 6. רפט RPHTH *nutet*, oscillet, motitari facile possit: Ex oscillationibus et *nutibus simulacri Phallophori* 7. Divinatio פתר PHTR *declarabitur*, et omnia *bona advenient*, et consequentur 8. תרף TRPH.

Atqui excussis diligenter locis Biblicis, et sententiis praestantiorum Interpretum consideratis haec ipsa forma, haec natura *Theraphim* colligitur, et suadetur: Et propterea dubitari vix potest, quin ex genere *Teraphim* fuerint illa *Simulacra Nevrospasta*, quae Herodotus lib. II. Cap. 48. pag. 107. aperte describit quinto saeculo Prochristiano, et quae S. Epiphanius quarto iam saeculo Christiano in fine magni Operis adv. Haeres. libr. III. pag. 1092. 1093. innuit et caute indicat.



SECTIO III.

PROBLEMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA GRAECORUM.

I. AMALTHEAE CORNU (1).

Quomodo omnis bonarum Rerum copia significari perspicue potuit dextro Cornu Caprae Amaltheae.

1. *Capella* dicitur עז OZ, et עז OZ est *robur*, potentia, firmitas. *Capella* dicitur etiam גדה GDE, גדיא GDIA. Atqui גד GD est *Fortuna*, Fors Rerum potentissima, *Sors* Mundi, et *Dea* omnium bonorum *Proma* et datrix a plurimis Gentibus Asiaticis potissimum incredibili modo culta (2). *Capella* ergo sive גדה GDE, עז OZ erit legitimum Lexeoschema *Fortunae* potentissimae et firmissimae, omnium bonorum ubertatis datricis.

2. *Capella* porro sive גדה GDE, עז OZ *Iovis* Regis *Nutrix* אמונה AMUNE omni iure habebitur cunctorum animantium *Nutrix*, et

(1) Vid. Arati *Phoenom*. v. 163. Apollodor. *Biblioth.* lib. I. pag. 7. ed Clavier. Callimachi *Hymn. in Iovem* v. 49. *et ibi* Spanheim pag. 46. 47. Ovidium *Fastor*. V. v. 103. ad 115. Lactant. *Div. Inst.* lib. I. Cap. 21. pag. 138. Menag. ad *Laert.* lib. IX. Segm. 46. p. 413. Rasche *Lexic. Numism.* in *Cornucop.* Museum Capitolin. Tom. IV. tab. 7. pag. 13. 14. etc. Gruter. Corp. Inscript. Tom. I. pag. 1075. Banduri Num. Imper. Tom. I. pag. 257. etc.

(2) Vid. Selden., et Beyer de *Diis Syr.* Millii *Dissert. de Gad et Meni*. Salmas. *de Annis Climat.* Nat. Comitem *Mytholog.* lib. IV. Cap. IX. Rasch. in *Lex. Numism.* voce *Fortuna* etc.

omnium bonorum *datrix*, tum ratione Mythicae suae dignitatis, tum ratione verborum. Nam מנה MNE homiophonon אמונה AMUNE est *tribuere*, dare, praebere, et temura homiophona נמה NME est *augere*, accrescere, multiplicare, et אמן AMN est *alere*, nutrire.

3. Praeterea *Cornu dextrum* est קרן QRN, ימין IMIN. At קרן QRN est etiam vis, potentia, robur, et illud diuturnum, aeviternum, perpetuum: מנה MNE porro homiophonon ימין IMIN, ut diximus, est dare, tribuere, נמה NME temura homiophona est augere, accrescere. Ergo *Cornu dextrum* est opportunum *Symbolum* abundantiae et *copiae maximae* et *diuturnae*.

4. Quod si, ut mihi videtur, *Cornu* etiam *Capellae* dici potuit יובל IUBL aliud argumentum boni ominis habebimus. Nam יבל IBL est *afferre*, proferre *fructus*, fruges, bona omnia.

5. Nomen porro *Amaltheas* fit a מלא MLA *Copia*, abundantia; אלם ALM *fasce*, colligatione, לעם LOM *eduliorum*, ciborum, escarum: et a מישה THISCE mixtura, mixtione, *satura*: שית SCIT posita, *parata*, constituta: Atqui in *Cornu-copiae* haec ipsa *Satura*, haec ipsa collectio et mixtio *fructuum* conspicitur.

Iure igitur *omnis bonarum Rerum Copia*, et quaevis fructuum *abundantia* significabitur *a dextro Cornu Caprae Amaltheae Nutricis summi Jovis*.

II. CAPRICORNUS ZODIACALIS (1).

Qui fieri potuit, ut ingens prosperi as, et summa felicitas a Capricorno Zodiacali Veteribus portenderetur?

1. *Capricornus* est גדי GDI, *quia Haedus*, Hircus, homiophonon גד GD, GAD sive *Fortunae* illi *omnipotenti*, quam totus Oriens ab aetate saltem Isaiae Prophetae, et Occidens a tempore Caesarum impense colebat, ut modo innuimus. *Piscis* autem adiectus, dicitur דג DG temura גד GD, et adeo vocem illam firmat et declarat: Tum ipsum דג DG est crescere, augeri, multiplicari: Adeo ut *Capricorno* significetur ingens et praestans *Fortuna* גד GD, quae perpetuo insuper *augeatur* et *crescat* דג DG.

III. CORNUA REGUM ARIETINA (2).

Quaeritur cur veteres Reges saepe Cornua Arietina sibi in Signis, et imaginibus imposuerint et gestaverint?

1. *Aries* dicitur איל AIL; fortis, *potens*, magnus איל AIL; ipse *Deus* dicitur איל AIL.

2. *Cornu* קרן QRN est *robur* vis, potestas, dignitas, imperium, saeculum, aevum, lux, splendor, irradiatio. Adeo ut *Cornu Arietis* sit legitimum Symbolum coruscationis et *Epiphaniae*, *imperii*, *et potestatis aeternae magni Dei*: Et Homo qui sit דו DU, אל-קרנין AL-QRNIN

---

(1) Vid. Caesium in Coel. Astron. pag. 88. 89. Patin, et P tisc. *in Sveton. August.* Cap. 94. Haym *Tesor. Britann.* Tom. I. pag. 108. 109. Rasche. *Lex. Numism.* in *Capricornu.*

(2) Vid. Spanheim *de Praest. Num.* Tom. I. pag. 387. 408. Begeri *Thes. Brandeb.* Tom. I. pag. 520. 521. Rasche *Lex. Num. in Cornu.* pag. 1003. etc.

possessor, dominus duorum Cornuum, duplici *Cornu* instructus, necessario sit Dominus duplicis imperii praesentis, et futuri, orientalis et occidentalis. Quamobrem dubitari non potest, quin Reges adsumentes Symbola *Cornuum Arietinorum* in simulacris suis professi sint: *se esse Epiphaniam*, *lucem*, *splendorem Dei*, Sibique traditum omne robur קרן QRN, per omnem aetatem קרן QRN, quasi vicariis magni et potentissimi Dei איל AIL.

3. Tertio *Arietis Cornu* est איל AIL, יובל IUBL, et יבל IBL est proferre, producere fruges, bona omnia. Et propterea *Cornu Arietis* est praestans Lexeoschema *fertilitatis uberrimae*. et *copiae* bonorum felicissimae. Quin יובל IUBL est etiam *proclamatio*, clangor, sonus bonus, laetus ad liberationem a servitute, ad redemtionem a malis. Quamobrem *Capite* ריש RISC, *Regis* מלך MLK, *Cornibus* קרן QRN, *Arietinis* איל AIL instructo; significabitur advenisse *Regem* מלך MLK, *Principem* שר SCR cum potestate et *robore* קרן QRN, *Dei* איל AIL; advenisse quasi *lucem* et coruscationem קרן QRN ipsius Dei איל AIL, adesse cum *novo* et alio קרן QRN aevo aetate, feliciore meliore; attulisse liberationem a malis, Jubilaeum יובל IUBL, et omnem insuper rerum optimarum *Copiam* יובל IUBL.

Sunt qui putant veteres *Reges Cornua Arietina* in Signis suis adsumsisse intuitu *Jovis Ammonis*. At plane perperam. Nam hi Reges nec Filios *Ammonis* se iactarunt, nec Deum hunc Libycum peculiari saltem cultu, peculari veneratione sunt prosequuti. Tum si qui umquam Reges *Cornua* illa *Arietina* intuitu *Ammonis Libyci* assumere potuisse viderentur, fuissent *Re-*

ges *Cyrenenses*, et *Alexandrini*. Atqui id tamen non factum. Longe ergo aliae esse debuerunt caussae, ob quas *Reges* Macedoniae, Thraciae, Minoris Asiae, et Syriae cornua illa adsumerent: et eae esse positae non potuerunt nisi in *Schematibus Polydynamicis* Vocum איל AIL, קרן QRN, et יובל IVBL. A qua ipsa *Polydynami Hieroglyphica* necesse fuit fieri, ut *Cornua* habita semper fuerint tum apud Veteres, tum apud Recentiores, ut potentissimum *Amuletum*, et tutissimum *Apotropaeum*.

IV. CAPITA REGUM VITTATA (1).

Quaeritur cur veteres Reges tenui Fasciola, qua caput praecingebant summam suam potestatem clare significare potuissent.

1. *Fascia*, *Vitta* dicitur חתל CTL. *Mundus*, *aevum* חלד CLD temurà homiophona חתל CTL. *Caput* est ריש RISC, *princeps* Rex est שר SCR: *Cingere* praecingere est כפה KPH, *fascia Vitta* כפה KPHE, curare gubernare est כפה KPH. *Caput* ergo. *cinctum Fasciâ*, sive ריש RISC, כפה KPH. חתל CTL significabit *Regem*. principem שר SCR, *regentem* כפה KPH. *Mundum* חלד CLD.

2. Praeterea *Fasciola* ex filis contexta est שבך SCBK, et שבח SCBC est *laudabilis*, laudandus, honorandus. *Fasciola* est פאר PHAR decus, gloria, ornamentum. *Fasciola* est חשק CSCQ, et eadem vox significat *amabilem*, desiderabilem, amore dignum. *Fasciola*, vitta est

(1) Vid. Haym Tesor. Britann. Tom. II. pag. 2. 6. 9. 13. etc. Spanheim *de Praest Num.* I. pag. 406. ad 431. Eckel *Doctr. Num. vet.* Tom. I. pag. 253. et 111. pag. 86. Rasche *Lex. Num.* in *Diadem.* pag. 206.

מצור MTZUR, quae vox significat etiam *custodem*, defensorem, tutorem.

Vitta ergo illa, qua *Caput Regum praecingebatur*, significabat *Regem Mundi laudabilem gloriosum*, *tutelam et praesidium Populorum*.

Huius autem *vittae* auctor primus habebatur *Bacchus* (1), tum quia *Rex Mundi*. tum quia *Vitta* שבך SCBK est temura בכש. BKSC *Baccus*, sive *Bacchi*, ut animadvertemus etiam Part. II. Sect. 3. Cap. 4. ubi de *Baccho* agemus.

V. CAPUT SELEUCI NICATORIS (2).

Quaeritur quid faciant ad Seleucum Nicatorem in parte adversa Nummi eius Caput humanum pelle Leonina obtectum, Alâ avis auri adpositâ; et Bos quasi procumbens, et cornupeta, qui in parte aversa Nummi conspicitur?

1. *Caput Leonis* est ריש RISC, שחל SCCL; atqui ריש RISC, vel שר SCR est *Princeps*, Rex, et שחל SCCL est temura שלח SCLC, sive ipsius *Seleuci*. *Pellis* porro sive *corium* dicitur גלד GLD, cuius homiophonon est חלד CLD *Mundus*, *aevum*, Terra. *Pelle* igitur *Capitis Leonis* significabitur שלח SCLC *Seleucus*, ריש RISC, שר SCR Caput *Princeps* חלד CLD *Mundi*.

2. *Ala* porro dicitur אבר ABR, אביר ABIR est *potens*, magnus. *Ala* dicitur נצה NTZE, et נצח NTZC homiophonon receptum est *victoria*, triumphus. Atqui *Seleucus* primus est *Nicator*,

---

(1) V. Millin *Mon. Ined.* I. pag. 135. 136.

(2) V. Haym *Tesor. Britann.* Tom. I. pag. 20. Vaillant *Num. Reg. Syriae.* pag. 37. 38.

nempe נצחת NTZCT, quae etiam sono similia, quia νικη Graecorum est a נצח NTZC Semitarum. Ergo *Ala* erit legitimum Symbolum *Seleuci Nicatoris*. *Auris* insuper dicitur אזן AZN temura homiophona נצח NTZC *victoriae*: adeoque *ala* נצה NTZE, super על OL, aure אזן AZN indicabit נצח NTZC, על OL, נצח NTZC, sive *victoriam super victoriam*, Regem semper victorem et triumphatorem, omnino Νικάτορα.

3. *Bos procumbens* est שור SCUR, כשיל KSCIL; at שר SCR est *Princeps*, *Rex*, et SELEUCUS est quasi שליך SCLIK temura homiophona כשיל KSCIL.

4. Tandem *Bos cornupeta* est תור TUR, נגח NGC. Atqui נגח-תור NGC-TUR est homiophonon NICATORI.

Ergo in *Tauro procumbente* et *Cornupeta* sunt alia etiam Lexeoschemata *Seleuci Nicatoris*.

VI. CAPUT ET LYRA ORPHEI (3).

Unde oriri potuit Graecus Mythus de Capite et Lyra Orphei, quae unà dicuntur proiecta in Hebrum, unà semper decucurrisse, et unà in Lesbo Insula fuisse sepulta?

1. ערף ORPH est *iuvenis*, *pulcher*, *comatus*, *doctus*, *citharoedus*, *vates*, *sacerdos*, est *Orpheus*: Tum idem ערף ORPH est *cervix*, *collum*, decervicare, cervicem abscindere: Infelici igitur ערף ORPH *Orpheo* fuit abscindenda ערף ORPH, *cervix* ערף ORPH.

(3) Vid. Virgil. *Georg.* IV. v. 524. 525. Ovidii *Metam.* XI. v. 49. 50. etc. Hygin. *Astron.* in *Lyra.* pag. 440. Senecae *Medeam.* v. 631. 632. Phanocl. *apud Stobaeum Serm.* LXII. Philostrat. *Heroic.* Cap. IV. pag. 704. et Cap. X. pag. 713.

2. Praeterea ערף ORPH, vel certe eius homiophonon ארביע ARBIO est *Lyra*, *Chelys*, Cithara. Adeoque quis a *Cervice* ערף ORPH, *Orphei* ערף ORPH, separasset *Chelym* ערף ORPH, vel ארביע ARBIO?

4. *Lyra* ergo ערף ORPH, et *cervix* ערף ORPH *coniuncta* חבר CBR proiicienda fuerunt in היבר EBR sive *Hebrum*, et una חבר CBR, *transire* עבר OBR, usque dum *sepelirentur* קבר QBR, *coniuncta* חבר CBR, sua stabili *Sede* ל-שבה L-SCBE, sive in *Lesbo*.

VII. CAPUT GORGONIS (1).

Qua de caussa Graeci, et eorum imitatione Latini, Capiti Gorgonis vim formidandam, perditricem, lapidificam tribuerunt?

1. *Caput Puellae* est ראש RASC, בת BT: Atqui ראש RASC est etiam *venenum*, et בתה BTE est *vastare*, desolare. *Facies Puellae* est פנה, בת BT. Et פנה est *respicere*, et *perdere*, cernere, et destruere, בתה BTE, ut diximus, est desolare.

2. *Facies Mulieris clamantis*. quo habitu saepe *Gorgon* exhibetur, est פני PHNI, אשה ASCE, שוע SCUO. At פנה est, ut animadvertimus, *videre*, cernere, et insuper *immutare*, convertere: שואע SCUAO autem homiophonon שוע SCUO, et temura homiophona אשה ASCE, est *lapis*, *petra*. *Facies* ergo פנה PHNE. *Mulieris* אשה ASCE, et potissimum *clamantis* שוע SCUO,

---

(1) Vid. Nat. Comitis *Mythol.* lib. VII. Cap. 11. p. 739. Staveren *ad Hygin. Astron.* pag. 946. et 655. 657. Spanheim *ad Callim.* pag. 754. 755. etc. Rasche *Lex. Numism.* in *Gorgone.* et *Medusa.* Chauss. *Mus. Roman.* Tab. 57. pag. 39.

convertet פנה PHNE , *respicientes* פנה, in *lapides* שואו SCUAO.

3. *Capilli Puellae* sunt שער SCOR, בת BT, et capilli turbati, *hirti* sunt שער SCOR, שער SCOR. Atqui שער SCOR est etiam *timendus* , metuendus, horribilis. Ergo *Capilli* שער SCOR , *turbati* שער SCOR, prorsus *horrendam* שער SCOR, prorsus metuendam שער SCOR *desolationem* exitium בתה BTE significabunt.

4. *Ala* prima *Capitis* est נצה NTZE , ראש RASC: at נצה est etiam *iurgium* , contentio , pugna ; et ראש RASC est *venenosum*, amarum, triste. *Ala* secunda est iterum נצה NTZE homiophonon נצח NTZC *sanguini* , *caedi* , *cladi*.

5. *Serpentes* נחש NCSC significant חשן CSCN *mala* , *fera* , atrocia , נשך NSCK *mordentia* , lacerantia , שנק SCNQ *torquentia* , cruciantia.

Iure igitur Veteres vim *perditricem* et *maleficam Capiti Gorgonis* tribuerunt.

VIII. GORGON MEDUSA (1).

Tam dirum Caput appellaturne recte Caput GORGONIS MEDUSAE?

Rectissime. Nam *Gorgo* fit 1. a גרג GRG *excitare* , stimulare ad malum: 2. ab הרג ERG *necare* , occidere. 3. a גער GOR vel *Gogor* profligare, perdere. 4. a גרע GRO *imminuere* deminuere. 5. a רגע RGO *ruere* celerrime , irruere velocissime , et tandem 6. a רעג ROG *tremore* , pavore , convulsione.

2. *Medusa* vero fit a מדה MDE *perdidit*, nocuit , a דמי *Sanguine*, *caede*, pernicie, et a שאה SCAE *vastatione* et *desolatione*.

(1) Vid. Auctores citatos.

3. Haud porro praetereundum est מדה־שאה MDE-SCAE sive *Medusa* esse temuram homiophonam דמה · אשה DME - ASCE, sive imaginis et *formae muliebris*, quae est *forma* ipsius *Gorgonis*: ut pateat intimum nexum interesse non modo inter *Nomina*, et *Characteres* Ethicos *Gorgonis*, sed etiam inter *Nomen*, et *Formam.*

IX. LORICA PALLADIS (1).

Quaeritur qua ratione Veteres Loricae Caprinae, et fimbriatae Palladis vim plane terrificam et horrendam in Bello tribuerint?

1. עיר OIR *Pellis* est etiam *vigilare*, excitari ad agendum: ער OR homiophonon עיר OIR, est *hostis*, adversarius, caedere, necare; ערער OROR destruere, perdere. *Caprina* est שער SCOR, שעיר SCOIR. Atqui שער SCOR est *metuendus*, horrendus, terribilis. Et propterea *Pellis* עיר OIR, *Caprina* שעיר SCOIR significabunt *vigilantem* et sollertem עיר OIR, timendum terribilem שער SCOR, ad caedendos ערער OROR, *adversarios* et hostes עיר OIR.

2. Praeterea *Capra* est עז OZ; *Capra*, *Haedus* est גדה GDE vel גדי GDI, homiophonon גד GD agmini, turmae, exercitui. *Haedus*, hinnulus Caprae est צבי TZBI, *exercitus* militia est צבא TZBA. Tandem *Hircus* est בריח BRIC, et ipsum בריח BRIC est *profugus*, fugitivus ab a-

(1) V. Homer. *Iliad. lib* V. v. 738. 340. Virgil. *Aeneid.* VIII. v. 437. 438. et ibi Servium. Martial. *Epigr.* VII. 1. Delrio ad *Senec. Hercul. fur.* v, 900. pag. 285. Nat. Comit. *Mythol* Lib. IV. cap. 5. pag. 295. Meurs. *Lect. attic.* VI. cap. 10. pag. 1263. Visconti di *Giove Egioco.* Opusc: tom. 1. pag. 191. Mus. Pio Clem. t. 1. pag. 90. tav. VIII. Museo Borbon. tom. IV. tav. 7.

cie gladii, sive a ברק BRQ, חרב CRB. *Pellis* ergo *Caprina* pavores, et mala *Bellorum* immania egregie significabit.

3. *Fimbriae* sunt שפל SCPHL, deprimere *humiliare* hostem etiam שפל SCPHL. 2. *Fimbriae* sunt שול SCUL, et שלל SCLL est *rapere*, diripere. 3. *Fimbriae* sunt תכלא TKLA, et ת-כלה T-KLE est *absumtio*, perditio. 4. *Fimbriae* sunt טרף THRPH, quod est etiam *rapere*, diripere, discerpere. 5. *Fimbriae* sunt חשיה CSCIE, nempe *pavor*, et metus: Quae omnia in bellis et praeliis sunt.

4. Si addimus in medio *Loricae Caput Gorgonis*, de quo modo egimus Pag. 30. 31. exsurget *Emblema* profundissimae potestatis, et quod omni iure *Bellorum Dominae* poterit tribui, et adsignari.

X. AEGIS PALLADIS (1).

Appellaturne recte AEGIS AEGIDIS Lorica huiusmodi?

1 *Haedus*, *Capra* est גדי GDI, vel הגדי EGDI. *Capra* est etiam שה SCE, ex qua voce fuisse factum temurice Graecum αἴξ, sive *aics* pro שה SCE, dubitari non potest. Si duo nomina coniungimus, erit הגדי - שה EGDI - SCE homiophonon *Aegidis*. *Loricae* ergo *caprinae pellis* egregie convenit nomen *Aegidis*.

2. Praeterea סגר SGR est quidquid munit,

(1) V. Pierres gravées d'Orleans Tom. 1. pag. 63. 64. 65. Chauss. *Mus. Rom.* Tom. 1. *Tab.* 57. Winkelmann *Monum. Inedit.* T. 11. pag. 9. 10. 19. Venuti *Acc. Corton.* Tom. VIII. pag. 1. 12. Millingen *ancient uned. Monum. Ser.* 11. Plate. 7. pag. 9. 10. 11. Museo Borbonico Volum. IV. Tav. 7.

tuetur, coërcet, adeoque *Lorica* dici potest סגר SGR, et הסגר ESGR, et Temurice et homiophonice *Aegidis*. Et quum *Fimbriae* etiam dicantur סגר SGR, valde probabile est revera hoc *munimentum* pectoris *fimbriatum* etiam a סגר SGR appellatum fuisse *Aegidis*.

3. Tandem temura *Aegidis* est שדי SCDI, גאה, GAE, nempe qui *exagitat*, insequitur, vexat שדד SCDD, superbos, rebelles, insolentes גאה GAE: Quae egregie conveniunt *Palladi Aegidiferae*, et *Giganticidae*.

XI. CHIMAERA SERIPHIORUM (2).

Quid sibi volunt in Nummo Seriphiorum Chimaera, et Avis pedibus alam suam premens?

1. *Seriphi* nomen scribi potest Semitice צריפ TZRIPH, vel צריב TZRIB, quia *Insula* est aestuosa, calida, et ad metallorum conflationem idonea.

2. Atqui 1. *Leo* est כפיר KPHIR. 2. *Hircus* צפיר TZPHIR. 3. *Serpens* שרף SCRPH. 4. *Corona* צפירה TZPHIRE: temurae omnes homiophonae צריף TZRIPH *Seriphi* insulae. Ergo *Chimaera*, et *Corona* in antica Nummi parte sunt Lexeoschemata ipsius *Seriphi*.

3. In postica autem parte Nummi 1. *Avis* צפיר TZPHIR, qui *unguibus* צפר TZPHR, insistit *Alae* אבר ABR et ציץ TZITZ, in medio, *Coronae* צפירה TZPHIRE iterum indicat nomen צריף TZRIPH *Seriphiorum*, et dubio procul illam

(1) Vid. Rasche *Lex. Numism.* in *voce Seriph.* Montfauc. *Ant. Expl.* Tom. IV. tab. 114. Begeri *Thes. Brand.* 1. pag. 436. Spanheim *de Praest. Num.* 1. pag. 266. 267.

metallorum conflationem, quam aliquando ibi fuisse volunt. Aii autem his ipsis Symbolis *Seriphii* aliqua etiam sua insignia facta socialia indicaverint et significaverint quaerant alii.

XII. SPHYNGIS THEBANAE SYMBOLA (1).

Respondentne SPHYNGIS Thebanae Symbola Characteribus eius ethicis?

1. *Caput Puellae* est ראש RASC, עלמה OLME; At ראש RASC est temura homiophona סור SUR vel סרה SRE *arcanus*, occultus, secretus, et עלמה OLME est *Scientia*, *Sapientia* rerum maxime *abditarum*, quia עלם OLM est *abditus* et *occultus*: Ergo erit in *Sphynge* summa et plenitudo *arcanae* et *profundae Scientiae*.

2. *Pectus Puellae* est חדה CDE, עלמה OLME. At חד CD vel חוד CUD est *loqui aenigmatice*, *loqui per parabolas*, proponere *aenigmata*; et חדע CDO est *fallere*, decipere, et עלמה OLME, ut diximus, est *scientia arcana*, et secreta. *Pectus* ergo *Puellae* indicabit *Scientiam Aenigmatum*, *Parabolarum*, *loquutionum ambiguarum*, et decipientium.

3. *Corpus Canis*, vel *Leonis* et *Canis* unâ mixtum est גשם GSCM, שחל SCCL. At גשם GSCM *corpus* est homiophonon קסם QSM *oraculo*, *augurio*, divinationi, et שכל SCKL homiophonon שחל SCCL *Cani* et *Leoni* est *prudentia* et scientia. Erit ideo in *Sphynge* pro-

---

(1) Vid. Nat. Comit. *Mythol.* lib. IX. Cap. 18. p. 1006. Hofman. in *Lexic.* Spanheim de *Praest. Num.* 1. pag. 241. Staveren ad *Hygin* Fab. 67. pag. 136. 137. Rasche *Lexic. Numis.* in *voce*. Montfaucon *Ant. expl.* 11. 2. Tab. 129. 130. *Suppl.* Tom. 11. Tab. 48. etc.

funda *Scientia Oraculorum* et *Aenigmatum.*

4. *Alae volucris* sunt גף GPH, צפיר TZPHIR. At גף GFH est *claudere*, occludere, et פיח PHIC temura homiophona est *illaqueare*, innectere laqueos, et צפר TZPHR est *involvere*, circumdare. *Sphynx* ergo erit *Monstrum illaqueans*, et *involvens aenigmatibus* Homines.

5. *Cauda Serpentis* est רגן RGN, נחש NCSC. At רגן RGN est etiam *murmurare*, *mussitare* arcana, secreta, *mystica recitare*, et נחש NCSC est *oraculum* divinatio. *Sphynx* ergo erit Typus *divinationis*, *oraculi*, et *formularum Mysticarum* et arcanarum.

6. *Unguis Leonis* est טפר THPHR, שחל SCCL, Sed טפר THPHR est etiam *vincere*, superare, et שכל SCKL homiophonon שחל SCCL *Leoni* est *Scientia*, *sollertia*. *Sphynx* ergo significabit *vincere sapientia*, *superare sollertia*. Omnia ergo *Sphyngis* Symbola Characteribus eius Ethicis respondent, et eos perfecte exprimunt et exhibent. Adeoque iure Veteres praestans hoc Emblema addidisse Galeae *Palladis* sapientis, et Tripodi *Apollinis* oracularis, et Symbolis *Homeridum* Chii fatendum est.

XIII. SPHYNGIS CADMEAE ETYMON (1).

Congruitne SPHYNGIS nomen characteribus et proprietatibus eius?

1. *Sphynx* sive *Sphynchs* scribi potest Semitice שפה - נחש SCPHE - NCSC. Atqui שפה SCPHE est *labium*, *os*, *sermo*, interpretatio; נחש NCSC est *oraculum*, divinatio, *aenigma.*

---

(1) Vid. Vossii Etymolog. in *voce;* Bocharti *Chanaan* Libr. I. cap. 16. pag. 433. 434.

Sphynx ergo erit *interpres aenigmatum* et oraculorum, quod omnino est eius character essentialis.

2. Praeterea vocum שפרה־נחש SCPHE-NCSC, temura homiophona שוח־פיח־נש SCUC-PHIC-NSC est *sermo*, eloquium, *illaqueans*, involvens homines. Atqui id etiam *Sphingis* proprium.

3. Tandem שפרה־נחש SCPHE-NCSC temurice est פשח PHSCC, נהש NESC, vel אנש ANSC, scilicet *lacerans* et *diseerpens homines*, qui tertius character proprius *Sphyngis* Cadmeae,

XIV. GRYPHES RYPHAEI (1).

Gryphis formam ex uno ipsius nomine clare arguere et definire.

1. גור GUR est speciatim *catulus Leonis*, et פרס PHRS est *genus Aquilae* acre et ferox. Si duo nomina coniungimus erit nobis גור־פרס GUR-PHRS, ex quibus contracta litera duplicata habebimus גור־פס GUR-PHS, sive ipsum *Gryphus*, nempe *Leo-Aquila*; Quae forma *Gryphis* est.

2. Praeterea *ales* alitis est צפיר TZPHIR, et *Leo* est כפיר KPHIR, quae sunt Temurae homiophonae גריף GRIPH, sive *Gryphi*, qui propterea constabit ex *Alite*, et *Leone*, ut revera constat.

3. Tandem גף GPH, צפיר TZPHIR, est *a-*

(1) Vid. Spanheim *de Praest. Num.* I. pag. 270. 272. etc. Chauss. *Mus. Rom.* Tom. II. Tab. 8. Buonaroti *Medaglion.* pag. 136. 138. Rosini *Ant. Rom. cum* Dempster. pag. 155. 156. Bochart. *Hierozoic.* Part. II. pag. 811. Seguin *Num. Select.* pag. 151. Acc. Ercolanesi *Pitture* Tom. 1. Tav. 38. Visconti *Mus. Pio-Clem.* Tom. V. Tav. X. pag. 200.

la avis, et גף GPH, כפיר KPHIR, est *corpus Leonis*. Ergo contractis literis duplicibus, et homiophonia instituta erunt in *Gryphe alae Avis*, et *corpus Leonis*.

XV. PEGASUS (1).

Diciturne recte PEGASUS Equus alatus et saepius fraenatus.

1. סוס SUS est *equus*, גף GPH est *corpus*. Erit ergo *Pegaso* corpus *equi*. At גף GPH est etiam *Ala*, addentur igitur *Corpori Equi alae* volucris. Sed פג PHG temura גף GPH, est *fraenum*; Erit ergo *Pegasus Equus alatus*, et *fraenatus*.

XVI. PEGASUS HELICONIUS (2).

Quomodo Pegasus, qui Ungue pulset Lapidem Heliconium, et fontes Hippocrenes et Aganippes educat, potest esse Symbolum aequum et perspicuum Musices, et Poëseos praestantissimae?

1. *Pegasus* est *Equus*. *Equus* dicitur חיל CIL homiophonon חלל CLL *Psallere*, Choros ducere. *Equus* est סוס SUS, ששן SCSCN est instrumentum *Musicum*, et שש SCSC est *gaudium*, voluptas, quae Choros Musicos solet co-

(1) Vid. Hofman *in Lexic.* Spanheim *de Praest. Num.* I. pag. 274. 275.

(2) Vid. Ovid. *Trist.* III *Eleg.* 7. v. 15. 16. Propert. III. *Eleg.* 2. v. 1. Persii *Proëm* Satyr. v. 1. ad 14. Statium in *Genethl. Lucani* v. 4. et *Thebaid* IV. v. 61. et ibi Scholiast. veter. Pausan. *Corinth.* pag. 46. et 74. Vid. et Thorlacii *Prolus.* et *Opusc.* Vol. IV. pag. 67. a 90 de *Pegaso*.

mitari. *Equus* est פרס PHRS, פרש PHRSC, quae sunt dividere, discernere, distinguere, quae in *Musicis* et *Carminibus* necessaria.

2. *Pegasus* est *alatus* : *Ala* dicitur נצה NTZE, et נצה NTZE dicitur *certamen*, contentio frequens in *Musicis*, et נצח NTZC est *victoria*, et singillatim *Praecentor*, *Musicus*, Praeses rei Musicae.

3. *Unguis* dicitur צפר TZPHR, פרס PHRS temura homiophona est *divisio*, discretio, ut diximus, in Musicis necessaria. *Unguis* dicitur טפר THPHR, et טפר THPHR est etiam *victoria*, et temura פרט PHRTH est *Musicus*, Musices studiosus et peritus. Ergo *Unguis* טפר THPHR, *Equi* חיל CIL, *alati* נצה NTZE pluribus modis *Musicos Choros* significat.

4. *Rivus Scaturigo* נהר NER *Aganippe*, sive הגה EGE, נפע NPHO, est רנה RNE *cantus*, modulatio, imo הגה EGE *melos*, sonus meditatus, נפע NPHO *gratus*, placens, suavis, vel הגן EGN *sonus*, cantus יפה IPHE *decorus*, pulcher, gratus.

5. *Fons* et *Rivus Hippocrene* est quidem *fons Equi*, sed *Equi musici* : non est *Hippu-crene*; sed *Hippoc-rene*, sive יפק IPHQ *harmonicus*, concors, unisonus, רנה RNE, *cantus*, *sonus*, modulatio, melodia.

6. Tandem *Equus* חיל CIL, *Alatus* נצה NTZE, qui *Ungue* צפר TZPHR, *pulsat* צלל TZLL, *lapidem* שועא SCUOA, *Heliconium* הלל ELL, כון KUN, et *educit rivos* נהר NER, *Aganippes* הגה-נפע EGE-NPHO, et *Hippocrenes* יפק IPHQ, רנה RNE: Est חלל CLL *Chori Musici*, נצח NTZC Praecentor, Rector, Praefectus, qui פרש PHRSC sapienter *dividit*, צלל TZLL *sonos* organorum, et שוע SCUO *vocem*, cla-

morem humanum, in הלל in *hymnis* et *canticis*, כון KUN apte, idonee, egregie, et inde educit רנה RNE, vel הגה EGE *sonos*, voces, נפע NPHO *iucundas*, gratas, imo יפק IPHQ, רנה *melos mirum*, harmonicos *cantus*, concordiam iucundissimam Vocum, et Organorum musicorum.

XVII. TRIPUS DELPHICUS (1).

In formâ Tripodis Delphici Sellam oracularem Pythiae invenire.

1. *Forma pedum Tripodis* fuit forma pedum sive *Leonis*, sive *Lupi*, sive *Canis*, nempe שחל SCCL; Quia *Apollo* esset *Lycius*, et *Lupus* ei sacer, ut pluribus animadvertimus in *Disput. de Obel. Hermapion.* Pag. 124. 125. Immo quia שכל SCKL homiophonon שחל SCCL esset *intelligentia*, ratio, prudentia, et לחש LCSC temura essent *praestigiae*, et ritus *arcani*, et *murmurationes* magicae, quae in parandis et fundendis *Oraculis* fuerunt dubio procul adhibitae.

2. Impositus est *Tripodi Lebes* דוד DUD, vel כיר KIR, *rotundus* כור KUR, *perforatus* חור CUR, et *aheneus* נחש NCSC; Ut *Spiritus* רוח RUC, temura homiophona כיר KIR *Lebetis*, כור KUR *rotundi*, חור CUR *perforati*; *Oracularis* נחש NCSC, homophonon נחש NCSC

(1) Vid. Chaussenm *Mus. Roman.* T. II. Tab. 10. Visconti *Mus. Pio-Clem.* Tom. VII. Tav. 42. pag. 207. Winckelm. *Monum. ined.* Tom. II. fig. 44. Vandale *de Oraculis* pag. 130. 131. 136. Schotti in *Biblioth. ancien. de le Clerk.* Tom. III. p. 216. Barthelemy *Voyag. d' Anachars.* Tom. II. pag. 393. Clavier. *des Oracles* pag. 76. 77.

ahenei; amicus, benevolus, amatus דוד DUD, adveniret דדא DDA, ad Fata aperienda.

3. Additus saepe *Serpens* נחש NCSC, *aheneus* נחש NCSC, ut Oraculum נחש NCSC, divinatio, prophetia semper clarius significaretur.

XVIII. CORTINA PHOEBI (1).

Cur Latini Tripodem Phoebi Oracularem saepius CORTINAM appellarunt?

1. *Lebes* est כיר KIR, קער QOR, et *sonans*, strepens, adeoque *aheneus*, est טנן THNN tinniens, *sonans*. *Lebes* ergo *Delphicus* tinniens et sonans, quia aheneus, recte dici potuit *Cortina*, sive כיר KIR, טנן THNN. Praeterea רוח RUC *spiritus*, et ריח RIC *odor* sunt temurae homiophonae כיר KIR, vel קער QOR *Lebetis*; et טנן THNN est etiam *volens*, cogitans, *divinans*, coniiciens. Atqui haec unice *Lebeti Delphico* congruunt. Romani igitur iure dixerunt *Cortinam Lebetem* כיר KIR, *sonantem* טנן THNN, per quem transiret רוח RUC *Spiritus*, טנן THNN *divinans*, monens, loquens. Quumque in Nummis *Crotoniatarum* tam frequenter *Cortina* conspiciatur ego non dubito, quin sit Lexeoschema *Civitatis*, et quod inde revera Nomen fuisset impositum.

---

(1) Vid. Voss. Etym. Latin. Pitisc. Lexic. in *voce*.

XIX. CADUCEUS MERCURII (1).

Omnes characteres iustae et perfectae Legationis in Mercurii CADUCEO invenire.

Ut iusta et perfecta *Legatio* habeatur necesse est 1. praecessisse lites et iurgia, contentiones, et pugnas: 2. Legatum mitti, 3. et hunc oratione, eloquentia, omnique genere argumentorum dissidentes pacificare, lites componere, et iurgia sopire. Atqui in *Caduceo*

1. *Ala prima* dicitur נצח NTZE, *lis, contentio*, iurgium ipsum נצח NTZE. *Ala secunda* נצח NTZE homiophona נצח NTZC *sanguini*, caedi, cladi: Utraque homiophona נצח NTZC *Victoriae*: ut Symbolum sit Victoriae de *iurgiis* et contentionibus ortis.

2. *Baculus*, *virga* est ramus excisus שלח SCLC, et idem שלח SCLC est *Legatus*, missus. *Serpentes* dicuntur שחל SCCL temura שלח SCLC missi *Legati*. *Baculus* est etiam מקל MQL temura homiophona מלאך missi, *Legati*.

3. *Baculus* insuper est שוח SCUC, quod est etiam *loqui*, alloqui, orare. *Serpens* est נחש NCSC, nempe quaesivit, inquisivit, exploravit. *Serpens* est שפף SCPHPH, שפה SCPHE est *labium* os, oratio. *Serpens* est שרף SCRPH, et פרש PHRSC est *explicare*, explanare, interpretari. Quae necessaria *Legato*, et Mercurii propria.

4. *Baculus* est שבט SCBT, שפט SCPHTH, est iudicare, decernere, et componere lites. *Ser-*

(1) Vid. Macrobium Lib. I. Saturn. Cap. 19. p. 250. Plinium *Hist. Nat.* lib. XXIX. c. 3. Hygin. Astronom. II. 7. pag. 439. Chauss. *Mus. Roman.* Tom. I. Tab. 47. 55. Tom. II. Sect. 4. Tab. 6. Gorlaei *Dactylioth.* I. num. 12. II. num. 10. 22. 284. 477:

pens est שפחה SCPHPH, שפי SCPHI est *sopire*, pacificare, componere.

XX. CADUCEI ETYMON (1).

Daturne recte nomen CADUCEI sacrae Legatorum virgae?

1. *Caduceus* sive *Ca-duceus* scribi potest Semitice קו QU, vel קע QO, דקש DQSC. Atqui קו QU est *linea*, *baculus*, virga, קדש QDSC temurice דקש DQSC est *sancta*, sacra. Erit ergo *Caduceus Virga sancta*. Tum קע QO est *vox*, *clamor*, *sermo*. Significabit ergo *Caduceus vocem* sermonem sanctum, quo scilicet nomine *Deorum* iusta et aequa Contendentibus indicuntur. In illo porro DUCEUS non est modo tantum temura vocis קדש QDSC, sed insuper חסד CSD etiam *sancta*, et צדק TZDQ etiam *sancta*, ex contractione illa profundissima *Alphabeti Semitici*, de qua nonnulla attigimus in *Fundam. Hermeneuticis*, et alia insuper sunt addenda ubi, Deo dante, agemus de *Formatione Linguarum*.

2. *Latini* sive *Pelasgi* Vocem originalem immotam servarunt, *Hellenes* scribentes Κηρυκειον pro Κηδικειος vocem קרא QRA *oratorem*, inclamatorem contraxerunt in illam. Nam haud difficile est in ipso Κηρυκειον, קרא QRA *oratorem*, et כון KUN *rectum*; vel planius fortasse קרא QRA, חון CUN *oratorem pium* et *misericordem* agnoscere.

---

(1) Vid. Vossii et Mazochii *Etymol. in voce.*

XXI. SILENUS, ET SATYRUS (1).

Ex vocibus SILENUS et SATYRUS formam et characteres praecipuos Sileni et Satyri deprehendere.

1. *Silenus* scribi potest Semitice שלאנש SCLANSC *Silans*. Atqui אנס ANS, אנש ANSC est *Homo*; *Sileno* ergo erit *forma humana*. Tum שלל SCLL, של SCL est *nudare*, denudare, spoliare: Erit ideo *Silenus nudus*, et *calvus*. Praeterea אנש ANSC est temura homiophona ישן ISCN *senis*, שנה SCNE *doctrinae*, scientiae. Ergo *Silenus* erit *Senex doctus* et eruditus. Quumque צלל TZLL organa musica *pulsare*, musica instrumenta tractare sit homiophonon שלל SCLL, et temura לוץ LUTZ ridere, cavillari, iocari: Ideo *Silenus* tractabit aliquando organa musica, ut Marsyas, et iocis et lusibus gaudebit.

2. *Satyrus* scribi potest Semitice שתרעש SCTROSC: et Temurice שער-תיש SCOR-TISC. Atqui שער SCOR, שעיר SCOIR est villosus, pilosus, imo plane *Hircus*, et תיש TISC est ipse Hircus, ipse Caper. Omnino igitur *Satyro* erit forma *Hirci* et *Capri*: At שתרעש SCTROSC est homiophonon שתר-איש SCTHR-AISC, et שתר SCTHR est minister, administer, pedissequus, et איש AISC est vir, virili forma praeditus. *Satyro* igitur Bacchi comiti et ministro erit etiam forma et *figura humana*.

Verum quidem est Scriptores plures veteres sive ignorantiâ Temurosophiae arcanae, si-

(1) Vid. Voss. *de Idololatr.* pag. 818. 819. Salmas. *de Poes. Satyr.* Bochart. *Chanaan.* pag. 443. 444. Mattei *Exercitat. per Saturam.* Gesneri de *Silenis in Act. Ac. Gotting.* T. IV. pag. 8. 9. 10. etc. 1781. Lanzi *Letter. sui vasi chiamati Etruschi.* etc.

ve potius quia voci שטר-איש SCTHR-AISC, ut etiam voci של-אנש SCL-ANSC, esset potestas generica, et quae pluribus posset attribui, formam et figuram *Silenorum*, et *Satyrorum* saepe confudisse; sed aeque verum alios plures distinxisse et discrevisse: et est aliquid, quod ab intimis Etymis Nominum receptorum notior forma, et certiores characteres significentur et firmentur.

XXII. ZEPHYRUS FLORIFERUS (1).

Dato nomine ZEPHYRI venti verni et floriferi eius Iconogramma constituere.

1. *Zephyrus* Semitice fit a צי TZI *flore*, et פרח PHRE *foecundare*, *implere*, proferre: quasi צי-פרח TZI-PHRE, qui character proprius et essentialis *Venti verni*, et suavissimi. Atqui צי-פרח TZI-PHRE est homiophonon צפיר TZPHIR adolescens, iuvenis. *Zephyrus* ergo erit *iuvenis*, et adolescens.

2. *Zephyrus* צפיר TZPHIR est homiophonon שפר SCPHR *pulcro*, decoro, venusto. *Zephyrus* igitur erit *pulcher* et venustus Adolescens.

3. At צפיר TZPHIR est etiam *Avis*, volucris, animans alatum. Fiet ergo *Zephyrus* etiam צפיר TZPHIR, nempe *alatus*.

4. *Zephyrus* est צפיר TZPHR, שפר SCPHR *Adolescens venustus*. Atqui פרס PHRS *nudus* vestibus est utrique voci homiophonon; *Zephyrus* ergo erit *nudus*.

---

(1) Vid. Hofmann. *in Lexico*. Philostrat. *Icon*. Libr. I. Cap. 24. Museo Borbonico Volum. IV. Tav. 2. Atti della Reale Accad. Ercolanes. Vol. 11. etc.

5. *Zephyrus* צפיר TZPHIR acquivalet צי-פאר TZI-PHAR ; Atqui צי TZI sunt *flores*, פאר PHAR est *corona* : Erit ideo *Zephyro corona florea*, erit *Zephyrus floribus coronatus*.

6. At ציץ TZITZ vel צי TZI est etiam *pluma*, penna, ala ; adeout *Zephyrus* צפיר TZPHIR homiophonon צי-פאר TZI-PHAR sit etiam coronatus, *redimitus pennis* ; sive *Alae* צי TZI fronti מצח MTZC sint ad decus ad ornamentum פאר PHAR appositae et adfixae, ut peculiaris characteristica, et fere propria. Atqui haec ipsa est forma, quam Veteres *Zephyro* tribuerunt. Et haec omnino adnotavimus, ut alia lux accedat illis, quae de Nuptiis *Zephyri floriferi* diximus in II. Vol. Actorum Academiae nostrae Herculanensis : Utque pateat quam sollerter, quam ingeniose *Iconogrammata* et *Drammata* sua *Hierographica* non modo per opportunissimas congruentias *Ideographicas* ; Sed etiam per profunda *Lexeoschemata* Veteres constituerint et exornaverint.

XXIII. SPES DEORUM EPONA (1).

***In** illo Signo muliebri, stante, basi imposito, quod Calathum vel modium frugum capite gestat, dexterâ pectus tangit, sinistrâ plerumque limbum vestis attollit, et Deos semper comitari solet, SPEM Deorum laetissimam agnoscere.*

1. *Mulier* est אשה ASCE, temura שוה SCUE est *sperare*, expectare : חול CUL est *parere*,

(1) Vid. Odoar. Gerhard. *Diss. su Venere Proserpina*. Buonaroti *Medaglion*. Tav. XXXVII. pag. 418. 419. Museo Borbonic. Tom. IV. Tav. 54.

foetus edere, quod Foeminarum est, חיל CIL, יחל ICL homiophonon est *sperare*, *expectare*; *Puella* est בת BT, מ-בט M-BTH, בטח BTHC est *sperare*, *confidere*.

2. *Modius*, mensura est כיל KIL, et חיל CIL, כלה KLE est *spes*, *expectatio*: *Modius frugum* est כיל KIL, שבר SCBR; atqui etiam שבר SCBR est *spes*, *expectatio*.

3. *Vestis* brevior, curta, fracta est שלם SCLM, שבר SCBR. Atqui שבר SCBR est *spes*, et שלם SCLM est *perfecta*, plena, absoluta.

4. *Vestis longa*, *talaris* est שלם SCLM *pax*, quies, tranquillitas, ארך ARK *longa*, diuturna, perpetua.

5. *Dextra manu* ימין IMIN, *tangit* תכה TKE, *pectus* חדה CDE. At ימין IMIN est homiophonon אמן AMN *verae*, stabili, firmae, תכה TKE est homiophonon תקוה TQUE *spei*, exspectationi, confidentiae, חדה CDE est ipsum חדה CDE, *laetissimae*, hilari, felicissimae.

6. *Sinistra* שמאל SCMAL, *trahit* סלל SLL, *fimbriam* שול SCUL, *vestis* שלם SCLM. Atqui haec omnia sunt homiophona Vocum שלה SCLE, et שלם SCLM, quae *pacem*, *securitatem*, tranquillitatem perfectissimam et absolutissimam significant, quae unâ propositum, et finis sunt magnae *Spei*.

7. Hoc autem *Signum* Basi כון KUN impositum semper conspicitur, tum ut *firmitas* magnae SPEI, stabilitas, et certitudo significetur: Tum maxime ne sumatur, ut persona *vivens*, et agens, sed omnino ut *Symbolum* et *Hieroglyphicum*, quod comitari solet Deos Inferos, vel passos, ut *Herculem*, *Proserpinam*, *Genios*, etc. Qua etiam ratione fit semper breviore statura, et immotum in angulo statuitur, vel eo inniti-

tur *Persona* divina, quae putatur vivens et agens: Cur autem nos dixerimus SPEM *Deorum*, res est arcana et profunda, et de qua erit alibi, Deo dante, disserendi locus opportunior.

XXIV. EPONA vel HIPPONA DEORUM SPES (1).

Potestne vero huiusmodi SPES Deorum appellari Epona vel *Hippona* ?

Ita quidem. Nam *Epona* vel *Hipona* fit a פנה PHNE *versio*, conversio, et נפע NPHO utilis, commoda, salutaris, quae est essentia *Spei* : Nec est *Spes* nisi salutaris conversionis desiderium. Adeoque ego teneo ab hac *Spe Epona* dictam *Hipponem* ,Africae urbem celebrem: In cuius Nummo Caput *Proserpinae* in una facie, Icon *Spei Deorum* in altera conspicitur. Qui autem *Eponam* hanc, vel Hipponam praefectam *Equis* dixerunt non errarunt. Nam *modius* est כיל KIL, *Equus* חיל CIL, *Velum* פרס PHRS, *Equus* ipsum פרס PHRS, *Rosa* ששן SCSCN, *Equus* סוס SUS. Quin est animadvertendum in Theologia mystica et arcana ipsum *Equum* esse ex *Symbolis* maximis et nobilissimis: Quumque haec *Spes* in *Equo* isto mystico et arcano constituatur rectissime potuit appellari etsi Graeca voce *Hippona*, et *Deorum Spes* potuit nomine *Equi* Graeco nuncupari.

---

(1) Vid. Seguin. *Select. Numism.* pag. 13. 14. Rasche *Lex. Num. in voce Hippone* pag. 325. et in Suppl. in *Hipp.* pag. 1406.

SECTIO IV.

PROBLEMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA ITALORUM.

CAPUT I.

TENTANTUR PRAECIPUA HIEROGRAMMATA SIRENUM, ET ACHELOI.

I. SIREN SIRENIS (1).

Vim et potestatem canendi et psallendi in nomine SIREN SIRENIS invenire.

1. שור SCUR est *canere*, psallere, tripudiare: שירה SCIRE est *canticum*, carmen, ode: רן RN, רנה RNE est pariter *canere*, cantare: IS, ES vel respondere potest אשה ASCE *mulieri*, vel haberi potest temura homiophona שוע SCUO, שוא SCUA *clamare*, inclamare; quod faciunt qui *canunt*.

2. Praeterea *Sirenis*, vel *Sirenes* est homiophonon שיר-נשא SCIR-NSCA, quod est *carmen* canticum *tollere*, adtollere.

Ergo *Siren Sirenis* est qui canit, psallit, qui *carmina* et cantica *modulatur*.

---

(1) Vid. Nat. Comit. *Myth.* VII. c. 10. p. 748. Iul. Caes. Capacc. *Histor Neapol:* libr. I. cap. 5. pag. 24. 25. Alex. Rossi *Dissert.* I. p. 27. Greg. Gyral. *Synt.* V. pag. 141: Spanheim *de Praest. Num.* Tom. I. p. 251. ad 255. Vetrani *Sebeth. vindic.* pag. 100. 101. Gargiull. *Poem. le Sirene* etc. etc.

II. SIRENES AVES GYNAECOCEPHALAE (1).

Data voce SIREN SIRENIS ipsius Sirenis Iconogramma, et adeo Emblema Chori Musici, et Stemma Collegii Psallentium constituere.

1. *Sirenis* vel *Sirenes* scribi potest Semitice שירנאש SCIRNASC. At temura שיר SCIR est ריש RISC *Caput*, et נשא NSCA, נסא NSA est saepius *mulier*, et אשה ASCE *mulier* est temura homiophona שוא SCUA, שוע SCUO *clamare* inclamare. Assumam igitur *Caput Mulieris* in partem *Emblematis*. Idque eo lubentius faciam, quod נקבה NQBE sit *Foemina*, et *Musicum instrumentum*, et אלם ALM homiophonon עלמה OLME *Virgini* sit aliud *Musicum instrumentum*. Adeout *Caput Puellae* pluribus modis tum sonum et homiophoniam, tum vim et potestatem *Sirenis* exhibeat.

2. Porro temura שירן SCIRN, vel שרן SCRN *Siren* est נשר NSCR *Aquila*, vel quaecumque alia rapax et magna avis, et propterea *Capiti Puellae*, *Aquilae Corpus* adiungam, ut iterum habeam Lexeoschema vocis *Siren*, et vim eius שיר SCIR *canere*, רן RN *cantare*. Et quoniam *aves* pleraeque canunt, et *avis* עיף OIPH est temura homiophona פה PHE *oris*, et פעה PHOE *clamoris*, et צפר TZPHR *avis* est temura homiophona פרט PHRTH *Musici*, et *volare* נצה NTZE est homiophonon נצח NTZC, quod est *praeesse Choris Musicis*, palam est Symbolum *Voluceris* נשר NSCR opportune adsumi ad propositum.

(1) Vid. Capacc. *loc. cit.* Silla *Fondaz.* di *Partenop.* Gori et Passer. *Gem. Astrifer.* Tab. 137. Gorlaei *Dactyc.* II. Num. 517.

Avis ergo *Gynaecocephala* erit idoneum *Iconogramma Sirenis*, et satis aptum *Stemma Chori Musici.*

III. SIRENES AVES GYNAECOCEPHALAE, ET ARMATAE (1).

Quaeruntur alia Symbola, quae Avi Gynaecocephalae addenda sint, ut magis clare et perspicue Sirenem, et Chorum Musicum significent.

1. Addam primum *Cassidem* vel *Galeam.* Nam *Cassis* est עלמה OLME, peritia et *scientia* tractandi *Organa Musica*, et species *organi Musici*, ut iam dictum est. *Cassis* est קלם QLS homiophonon voci Graecae χελυς, quae vox etsi non Semitica, potuit tamen indicari, quia Auctores Emblematis vel erant Graeci, vel utebantur *Lingua Greca* in communibus et socialibus negotiis. Tum קול-שוא QUL-SCUA homiophonon קלם QLS *Cassidis* est *vox* et clamor, quae in Cantu sunt.

2. Addam *Clypeum*, *Scutum.* Nam *Scutum* dicitur מגן MGN, quod est homiophonon נגן NGN *pulsare Organa Musica. Scutum* est צנה TZNE temura homiophona נצח NTZC praeesse rebus *Musicis.*

3. Apponam insuper *Spiculum*, *telum*, ut habeam חלל CLL *perforare*, transverberare, et *psallere*, tripudiare, et חץ CTZ, ut habeam צוח TZUC, *clamare*, vociferare, *cantare.*

---

(1) Vid. Auct. cit. et Morell. in *Num. Gentis. Valeriae.* Montfaucon Diar. Italic. pag. 189. et 491. Chauss. *Mus. Roman.* Tom. I. Tab. 46. Millin. *Gall. Myth.* XIII. 313. pag, 79,

4. Apponam aliud *Spiculum* מ-צל, ut habeam צלל TZLL *pulsare Organa musica*, et צלצל TZLTZL ipsum *Instrumentum musicum.*

Additis ergo *Casside*, *Scuto*, et duobus *Telis Avi Gynaecocephalae* longe clarius *Sirenum*, et *Chori Musici* institutio noscitur et deprehenditur.

IV. SIRENES PUELLAE ALATAE, ET AQUILIPEDES (1).

Puellâ alatâ, aquilipede, et organum Musicum gerente Sirenem et Chorum Musicum clare et perspicue significare.

1. *Capite Puellae* sive ריש RISC, נקבה NQBE, ריש RISC, עלמה OLME, ריש RISC, אשה ASCE iure significari *Sirenem*, et *Chorum Musicum* paullo supra animadvertimus.

2. *Dorsum*, et *medium corpus* est גו GU, גוה GUE, homiophonon הגה EGE *loqui*, sonare, cogitare, *canere*, cantare. Adeoque *medium corpus Puellae* sive גוה GUE, עלמה OLME significabit *scientiam* עלמה OLME, *Cantus* הגה EGE.

3. *Pectus Puellae*, sive חדה CDE, עלמה OLME indicabit *peritiam* עלמה OLME, *exhilarandi* חדה CDE, et *gaudium* laetitiam parandi ac inducendi per Organa Musica עלמה OLME.

4. *Puella alata* est עלמה OLME, נצה NTZE. At נצה NTZE est etiam *contentio*, certamen, et נצח NTZC homiophonon significat *res Musicas* : *Puella* igitur *alata* indicabit *peritiam* עלמה OLME, *certandi* נצה NTZE, *Orga-*

(1) Vid. Auct. citat. add. et Fabrettum ad Columm. Traian. pag. postrema.

nis Musicis עלמה OLME, in *scientia Musices* נצח NTZC.

5. *Pedibus Volucris* פעמים PHOMIM, צפיר TZPHIR indicantur *pulsationes* פעם PHOM, *ictus*, percussiones, sive *Praecentorum* נצח NTZC Musices, sive *percussiones* Saltantium, et *ducentium choros*, quum צפר TZPHR sit *vertere se*, gyrare, circumire, quod *Saltantes* faciunt. Tum *Volucris* est עיף OIPH, et עף OPH, עף OPH esse poterunt *vibrationes oscillationes* instrumentorum Musicorum, quae *pulsantur* פעם PHOM. Quod si *pedes* erunt singillatim *Aquilae* נשר NSCR, vel alterius *Avis* rapacis, quae dici possit נשר NSCR, habebimus alia *Lexeoschemata Sirenum* iam superius indicata.

6. Tandem, si in *Puellae alatae* manu vel *fistulam*, vel *tibiam*, vel *tubam*, vel *chelim* apponimus longe clarius et manifestius *Emblema* reddemus, quia *Symbolum* est ideographicum et evidens.

V. SIREN PETRONII TURPILIANI (1).

Petronii Turpiliani Nomina in huiusmodi Sirene invenire et legere.

1. *Petronii* nomen solvi potest in *Petr*, et *onii*. Atqui פרט PHRTH temura homiophona PETR est *Musicus*, qui *Musica* curat, et ענה ONE homiophonon ONII est *canere*, cantare. Ergo *Petronius* est homiodynamicum *Sireni*, et propterea si *Siren* est פרט PHRTH *Musica*, si *Siren* ענה ONE *Canit*, utique *Siren* est idoneum Emblema *Petronii*, est idoneum Stemma Gentis *Petroniae*.

(1) Vid. Morelli *Num. Famil. Rom.* in *Petron. Turpil.* Spanheim *de Praestat. Num.* Tom. I. pag. 251. 252.

2. *Turpilianus* vero solvi Semitice potest in טרף THRPH. חלל CLL vel HLL, et נאס NAS. Atqui פרט PHRTH *Musicus* est temura טרף THRPH, TURP, et חלל CLL est *canere*, *psallere*, organa musica inflare, imo est *tibia*, *fistula*, et נסא NSA est *mulier*. *Lexeoschema* ergo perspicuum vocis *Turpiliani* erit *Mulier psaltrix*, adeoque *Siren*, maxime si tibiam inflet, ut revera *inflat* in nummo *Petronii*.

VI. SIRENES GALLIPEDES (1).

Possuntne Sirenibus pedes Galli tribui?

Ita quidem: Nam *Gallus* Semitis plurimis est תרנגל TRNGL, quae vox fit a תרר TRR *strepere*, sonare, רן RN, רנה RNE *canere*, *cantare*, et גל GL *exultare* saltare, ut etiam in *Symbolis Pythagoricis* Pag. 73. 74. iam animadvertimus: et haec omnia *Sirenibus* et *Choris musicis* egregie conveniunt. Si ergo loco pedum *Aquilae*, *Puellae Alatae* pedes *Galli* adponemus plane idoneum *Emblema* habebimus *Sirenis* et *Chori Musici*. Quod revera factum tum veterum Scriptorum auctoritate, tum Monumentorum fide certum est.

---

(1) Vid. Hyginum. *Fab.* 126. p. 222. Fulgent. lib. II. *Mytholog.* c. 11. p. 685. Bochart Hierozoic. II. pag. 126. 127. Martorelli *de Reg. Theca Calam.* pag. 684. 685. Montfaucon. *Ant. expl.* Tom. 1. P. 2. pag. 395. Tab. 222. Gori et Passeri *Gemm. Astifer.* Tab. 134. Winkelmann. *Monum inedit.* II. Fig. 46. pag. 56.

VII. SIRENES ANSERIPEDES (1).

Suntne aeque apte Sirenibus tributi pedes Anseris, vel Cycni in aliquibus Monumentis?

1. Plurima *Symbola Musica* a veteribus *Dramatopoeis* etiam Indis (2) fuisse ab Aquis petita, et nos ipsi Sect. III. Probl. XVI. pag. 38. 39. *Pegasi* exemplo probavimus, et iterum paulo post animadvertemus, et quisque per se aliquo studio poterit deprehendere. *Anseres* ergo, *Anates*, et *Cycni* animalia aquatica eiusdem generis, poterunt suppeditare *Symbola* apta *Dramatibus Musicis*.

2. *Anseres*, *Anates* sunt volucres *clamosae*, stridulae, acriter inclamantes, et respondentes, et in *chorum* canentes, et una voces adsociantes, adeoque *Symbolum* esse possunt Ideographicum valde opportunum *Sirenis*, et *Chori Musici*. De *Cycnorum* vero Cantu, et *Musica* ea a Veteribus certatim narrata pridem sunt, ut nisi inde *Symbola* ad *Choros Musicos*, et propterea ad *Sirenes* indicandas petita fuissent, esset magnopere mirandum. Nec leve est totum hoc *Genus* aquaticum immite et crudele esse, ut testati singillatim sunt Plinius lib. X. cap. 23. et Aelianus *de natur. Animal.* libr. X. Cap. 31. XIV. cap. 3. XVII. cap. 24. adeoque et naturae, quae *Sirenibus* tribuitur convenire.

3. Nomina porro *Anseris*, et *Anatis* Latina desumta fuisse a שיר SCIR *cantu*, et ענה ONE *cantilena* valde probabile est. Nam *Anser* est ipsum שיר SCIR pronuntiatione plurimorum Semitarum,

(1) Vid. Millingen *ancient unedited Monum.* Ser. II. Tab. XV. pag. 28. 29.

(2) Vid. Religions de l'Antiqu. par Creuzer et Guigniaut *Planche* 18.

qui saepe consonis praeponunt A , et inserunt N. Quin *Anser* est ipsa Temura homiophona vocis *Siren* , et *Anas* est ענה-שא ONE-SCA *elevans* attollens *cantum* et clamorem. Tum *Cycnus* indicabat *Senem musicum* iuxta Horum , ut nos iam observavimus in *Hieroglyphic. Select.* Sect. 11. pag. 39. et posse potius significare mulierem Psaltriam חג CG, נסא NSA aeque patet.

Pedes igitur sive *Cycni*, sive *Anseris*, sive *Anatis* apte et idonee *Sirenibus* apponuntur.

VIII. SIRENES TOTAE PUELLAE (1).

Possuntne Sirenes rite et recte forma perfectarum Puellarum repraesentari ?

Ita quidem : Nam *Pedes Puellae* , sunt פעם PHOM, עלמה OLME, sive *peritia scientia* ictuum , percussionum , sive Praecentorum , sive Saltantium , quae *Sirenibus* , et *Choris Musicis* opportuna. Vidimus porro *Caput* , *dorsum* , et *pectus Puellae* , quam apte *Sirenibus* , et *Choris Musicis* congruerent. Adeoque si *Puellas* huiusmodi vestiemus , quia vestis מד MD est *ratio* , modus, שלם SCLM est *perfectus*, absolutus, si faciemus *tres* numero , et *Musica* organa pulsantes habebimus *Iconogrammata* prorsus evidentia *Sirenum* , et *Chori musici*.

(1) Vide Gori *Mus. Erusc. Tom.* 1. *Tab.* 147. et *Frontem libri.*

IX. SIRENES A MUSIS VICTAE (1).

Victoriam Musarum in Sirenes Lexeodramate perspicuo repraesentare.

Si pingimus *Musas evellentes pennas ex alis Sirenum*, easque pennas *capiti suo imponentes* habebimus *Lexeodrama* quaesitum. Nam *evellere pennas* est גוז GUZ, נצה NTZE. Atqui נצח NTZC *victoria*, et *Musicus* est homiophonon נצה NTZE *pennae*. *Evellere* ergo *pennas* est auferre נצח NTZC *victoriam*, a נצח NTZC *Musico*, sive *Sirene*. *Imponere* vero, *infigere* יצב ITZB, *capiti* ריש RISC, *pennam* נצה NTZE, est *statuere* sibi *firmiter*, perpetuo *victoriam* נצח NTZC, cantus et *Musices* שיר SCIR temura ריש RISC, victis et prostratis *Sirenibus*. Atqui hoc ipsum *Lexeodrama* Veteres monumentis insculpserunt. Quin in pulcherrimâ statuâ *Musei Capitolini*, ut *Musae Victoria* plenius et clarius ostenderetur, praeter tres *Pennas Capiti infixas* sinistrae manui *fasciculus Florum* est aptatus: nempe אלמה ALME, נץ NTZ, ut indicaretur נצח NTZC *victoria*, circa אלם ALM, vel עלמה OLME sive *Musica instrumenta*.

---

(1) Vid. Pausan: in *Bocotic.* IX: p. 308. Stephan. Byzant. in Απτερα. Ausonii Edyll. XI. v. 20: pag. 340. Tzetzem ad Lycophron. v.653. Iulian. Imper. *Epist.XLI.* Winkelm. *Monum. ined.* II. fig. 46. pag. 55. 56. Millin. *Galler. Myth.* Tab. XIX. 63. I. p. 15. Millingen *Antient uned. Mon.* Ser. II Plat. XI. Mus. Capitolin. Tom. III. Tab. 39. pag. 97. 98. Museum. Veronense pag. 93.

X. SIRENES SYRAE.

בנות BNUT יענה IONE Syrorum in Sirenibus Anseripodis Italorum agnoscere.

1. Appellasse Hebraeos בנות BNUT, יענה IONE veras et reales aves certum est (1). Sed appellasse aeque בנות BNUT, יענה IONE animalia quaedam Poetica et Hieroglyphica, ut *Cherubim*; *Lilit*, *Scoirim* attente consideratis locis Biblicis, et expensis opinionibus pugnantibus Interpretum dubitari non potest (2).

2. Septuaginta Interpretes saepe בנות BNUT יענה IONE Prophetarum verterunt *Sirenes*.

3. Characteres praecipui בנות BNUT יענה IONE Prophetarum sunt. 1. Cantus, clamores, lamentationes, concentus, chorus. 2. Habitatio ad loca aquosa, palustria; sed deserta, desolata, inhabitata. 4. Crudelitas, atrocitas. Atqui hi characteres nulli Volucri reali et vivo possunt vere et proprie congruere. Nec *Anates* et *Cycni* Calmeti (3) incolunt *deserta* loca, nec *Struthiones* Bocharti (4) Stagna et paludes. At contra omnes hi characteres *Sirenibus* perfecte conveniunt.

4. *Sirenes* porro possunt et debent appellari בנות BNUT, יענה IONE. Nam sunt בנות BNUT *puellae*, sunt יענה IONE *raptrices*, expoliatrices, sunt ענה ONE nempe *Psaltriae*, et sunt ad עין OIN ad *Aquas*, ad fontes, quia filiae *Fluminis*.

5. Praeterea si quis datis vocibus בנות BNUT,

---

(1) Levit. XI. v. 16. Deutoronom. XIV. 15.

(2) Vid. Isaiam Cap. XIII. v. 21. XXXIV. v. 9. XLIII. v. 20. Hierem. Cap. L. v. 39. Thren. IV. 3. Michaeam Cap. I. v. 8. Iob. Cap. XXX. v. 29.

(3) Commentar. in Isai. Cap. XIII. v. 9.

(4) Hierozoic. Part. 2. pag. 218. 220.

יענה IONE vellet secundum vim earum *vocum Iconogramma* constituere, omnino *Sirenem* pedibus et alis *Anserinis* effingere cogeretur. Nam בת BT est *puella*, ut puella est *Siren*, et יענה IONE sive realem sive Poeticam esse Avem aquaticam similem anseri, anati, cycno omnes fere et rectissime consentiunt: Quamobrem si ut habeamus בת BT *Puellam* necesse est *Iconogrammati* dare *Caput* et *corpus Puellae*, ut habeamus יענה IONE necesse apponere *alas*, *crura*, et *pedes*, sive *Anatis*, sive *Anseris*, sive *Cycni*. Scilicet necesse est effingere Iconogramma *Sirenis Anseripodis*.

XI. NUMERUS, ET NOMINA SIRENUM (1).

Sirenum numerum, et nomina opportuna constituere.

1. *Sirenes* erunt *tres*, quia *Chori musici tribus* constant 1. *Voce* humana: 2. Tractatione *organorum* Musicorum. 3. *Saltatione* et tripudio.

2. Prima *Siren*, quae scilicet delectabit iucunda *voce*, quae *canet* dicetur *Parthenope*, sive ברת BRT *Puella*; טנן THNN *tinniens*. canens, יפה IPHE pulcrâ. *iucundâ*, פעה PHOE *voce*.

3. Altera dicetur *Leucosia*, quia apte שוה SCUE, חלל CLL *tractat organa musica*, psallit.

4. Tertia dicetur *Lygaea* a temurâ inversâ גול GUL *saltare tripudiare*.

---

(1) Vid. Lycophron. *Cassand.* v. 710. 717. Strabon. *Geograph.* Libr. 1. p. 22. 23. V. p. 251. 252. etc. Solin *Polyhist.* cap. 2. pag. 9. 10. Nat. Comitis *Mytholog.* lib. VII. cap. 13. pag. 748.

XII. SIRENUM MYTHUS (1).

Dato Charactere musico Sirenum Mythum et Fabulam condere.

1. *Sirenes* erunt *foeminae* non mares, quia *mulier* est אשה ASCE, strepitus, clamor שאה SCAE, שוע SCUO; עלמה OLME *puella*, et *instrumentum* musicum; חול CUL *parere*, חללה CLLE *meretrix*, et חלל CLL *psallere*; *foemina* נקבה NQBE, et *fistula* tibia pariter נקבה NQBE etc.

2. Erunt *Filiae aquarum*, et *Fluvii*, quia 1. רנן RNN, רנה RNE est *canere* cantare, et temura נהר NER est *fluvius rivus*; 2. שור SCUR est *canere*, שער SCOR est pluvia; 3. חלל CLL est psallere, tripudiare; fluere, et lavare. 4. שוע SCUO est *clamare*, vociferare, et fluctuare. *Sirenes* igitur *Psaltriae* erunt *filiae aquarum* et *Fluvii*.

3. Quamobrem *Sirenum* sive שיר SCIR, רנה RNE Pater erit *Fluvius* נהר NER, *Strepens* רנה RNE, nempe חלל CLL, שוע SCUO, sive ACHEL-OUS. Et eo magis, quod אחו-לוה ACU-LUE homiophonon *Acheloi*, sint *calami* et *cannae* palustres coniunctae ad efficiendas fistulas *Acheloo* Patri *Sirenum* peropportunas, et הגה-לוה EGE-LUE sit *cantus coniunctus*, concors, harmonicus, *melos*. Quin אח-לוה AC-LUE, vel האח-לוה EAC-LUE sunt *voces*, *clamores coniuncti* concordes (2).

4. *Mater* autem *Sirenum* erit *Musa* sive שמע SCMO *auditio*, doctrina, scientia, sine qua nulla est *Musica*. Et nomen *Musae matris* erit *Calliope*, quo nomine omnes *Sirenum* dotes con-

---

(1) V. Nat. Comit. *Myth. cit.* Pomey *Panth. mythic.* pag. 198. 199. et ceter. Auctores. citatos.

(2) Vid. Bochart. *in Hierozoic. I.* pag. 866.

tinentur. Nam in GALLI est חלל CLL *pulsare Organa musica*, est קול QUL *vox canere*, est גול GUL *saltare*. In OPE est יפה IPHE *pulcra*, פעה PHOE *vox*.

5. *Sirenes* erunt *tres* numero, ut modo diximus, nec plures, nec pauciores.

6. *Sirenes* erunt *puellae*, et dicentur *virgines*, quia עלמה OLME nomen ipsis sacrum est *puella* et *virgo*.

7. *Sirenes* erunt imo *meretrices*, quia *meretrix* est חללה CLLE, et חלל CLL est verbum ipsis proprium.

8. *Habitabunt in desertis* et inviis locis, quia חלן CLN, חלאן CLAN homiophona חלל CLL *psallere*, et קול QUL *voci* sunt *loca deserta* : קל QL insuper est *vacuus*, inanis. *desertus* ; שאה SCAE homiophonon שוע SCUO *clamori* est locus *vastus* et *desertus*.

9. *Lacerabunt* et *necabunt homines*, quia חלל CLL, vox eis sacra, est *perforare*, transverberare, transfodere.

Hic autem Mythi cortex, graviora tamen sunt et profundiora, quae hoc in loco attingi nequeunt.

XIII. ACHELOUS SIRENUM TAURUS ANDROPROSOPUS (1).

Acheloum Sirenum patrem in Tauro Androprosopo a Victoria coronato deprehendere.

1. *Taurus* est שור SCUR, *homo* אנש ANSC, vel אנס ANS *Taurus-Homo* erit שור-אנש SCUR-

(1) Vid. Capacc. *Hist. Neap.* lib. I. p. 181. Magnan *Miscell. Numis.* T. I. Tab. 24. ad 28. Silla *Fondaz. di Partenop.* pag. 179. Ignarra *de Buthys*. Agon. app. *ad Palaest.* pag. 249. Avellin. *Giorn. Numism.* Tom. I.

ANS homiophonon *Sirenis*. Barbae *Pili* spectant ad *Virum*, non ad *Taurum*: Adeoque erunt שער-אנס SCOR-ANS, quod est secundum homiophonon *Sirenis*.

3. *Genae* et *maxillae* Viri sunt לחי LCI, איש AISC, temurice חלי-איש CLI-AISC, quae sunt homiophona voci *Achelous*.

4. *Corona elevata* et sublimis est כליל KLIL שא SCA, quae aptis temperamentis coniuncta sunt secundo homiophona voci *Achelous*.

XIV. TAURUS ANDROPROSOPUS EMBLEMA CHORI MUSICI.

***In** Tauro Androprosopo, sive Acheloo Sirenum Emblema Chori Musici detegere.*

1. *Corpus Tauri* dicitur גוה GUE, שור SCUR, vel נדן NDN, שור SCUR. Atqui גוה GUE est Temura homiophona הגה EGE *canere*, cantare, שור SCUR est ipsum *canere*, psallere, tripudiare. נדן NDN est *merces* praemium, et saepius rei voluptuosae, ut *Musices*.

2. *Cornua Tauri* sunt קרן QRN, שור SCUR, et קרן QRN est homiophonon קרא QRA, קראן QRAN *clamor*, *vociferatio*, quod *Cantorum* est. *Cornuum* porro usus in *Musicis* vetustissimus et frequentissimus fuit, et יובל IUBL *Cornu* est etiam *iubilare*, clamare, canere.

3. *Gena* et *maxilla* לחי LCI est temura homiophona חלל CLL *canere*, psallere. *Maxilla pilis densa* et *implexa* est לחי LCI, עבי OBI, שבך SCBK: Atqui חלל CLL est *fistula*, עגב OGB est *instrumentum musicum*, et שבכא SCBKA est *Sambuca* aliud *Musicum instrumentum*. *Barba* dicitur דקן DQN, et דחה DCE est *pulsare organa musica*, דחון DCUN *Organum musicum*.

4. *Corona* כליל KLIL est homiophonon חלל CLL *psallere*: Mulier vel *virgo alata*, et supervolans, quae *Coronam* hanc protendit quot modis Lexeographice indicet *Choros Musicos* abunde ex dictis superius colligitur.

XV. TAURUS ANDROPROSOPUS AQUAS ORE FUNDENS (1).

Cur in aliquot Nummis Taurus Androprosopus effingitur aquas ore fundens?

Scilicet ut eius *natura Musica* clarius et luculentius significetur. Nam *Scaturigo aquae* est עין OIN, et ענה ONE est canere; גל GL *scaturigo*, fluctus, גול GUL *exsultare*, זרם ZRM *fluere*, effluere, זמר ZMR *cantare*, חלל CLL *fluere*, et *psallere*; et ita porro Vid. sup. hac Sect. Probl. X. pag. 58. 59. et Sect. III. Probl. XVI. pag. 38. 39.

XVI. TAURUS ANDROPROSOPUS PUELLAM DORSO VEHENS (2).

Cur puella Tauro Androprosopo fluvium trananti imposita nudas nates obvertat, et Lanceam gerat?

Scilicet ut *Emblema Chori Musici* clarius et luculentius efficiatur, et *Achelous* ille *Sirenis* facilius noscatur et deprehendatur.

1. *Taurum Androprosopum* esse per se Emblema *Chori Musici*, et *Acheloum Sirenis* iam vidimus.

---

(1) Vid. Torremuz. *Sicil. Veter. Numis.* Tab. XIV. 10. 11.

(2) Vid. Thesaur. Gemm. *Mus. Florent.* T. I. Tab. 67. 2. Pierr. Grav. d'*Orleans* T. II. Tab. 45. Eckel *doctr. Num. veter.* I. pag. 137. Millingen *Ancient unedited. Mon.* Ser. II. frontispic.

2. Quum vero eum facimus *tranantem* עָבר OBR, *fluvium* אובל AUBL, יובל IUBL, נהר NER, נזל NZL, נחל NCL, etc. clarius id exprimimus. Etenim נבל NBL, vel נ-בל N-BL *Nablium* instrumentum Musicum est homiophonon יובל IUBL; רנה RNE temura נהר NER est *canere* cantare; צלל TZLL *pulsare organa musica*, צלצל TZLTZL *organum* musicum est homiophonon נזל NZL *fluentum*, *fluvius*: חלל CLL *psallere* est homiophonon נ-חל N-CL *fluvio*, fluento, et ita porro, quia, ut animadvertimus, plurima nomina *aquarum Musicis* congruunt.

3. In *Muliere*, *Puellâ*, *Virgine* esse plura nomina ad *Musicam* spectantia etiam superius vidimus, quod si *Mulieri* dabimus *Lanceam*, ut חלל CLL *feriat*, faciemus eam חלל CLL *Psallere* et *canere*, et si *Nates* eius עגב OGB obvertimus significabimus עגב *instrumentum musicum*, quo utatur ad psallendum.

4. In hoc porro *Hierodramate* ter legitur *Achelous*, 1. primo in *Barbâ viri*, לחי LCI, איש AISC, 2. secundo in *Lancea* חלל CLL, *Mulieris* אשה ASCE, vel in שלח SCLC *telo* temurice. 3 tertio in *Flumine* perstrepente חלל CLL, שוע SCUO. Bis vero legitur *Sirenis*. Nam Taurus-Homo est שור-אנש SCUR-ANS sive *Sirenis*; et *Taurus* ac *Mulier* est שור SCUR, נאש NAS, sive iterum *Sirenis*.

XVII. TAURI PLURES ANDROPROSOPI (1).

In agmine Taurorum Androprosoporum, quos Bacchi comites Nonnus facit, Chorum musicum ipsius Bacchi agnoscere.

1. Forma et figura, quam *Baccho* Nonnus tribuit non est forma *Tauri Androprosopi.*

2. Etiamsi *Baccho* tribui possit forma *Tauri Androprosopi*, agmen *Bacchorum* nemo finxit, vel novit, ne per lusum quidem.

3. *Tauri Androprosopi* Bacchum sequuntur ad levamen et oblectamentum in Bello.

4. Exercitus et comitatus *Bacchi* carere non potuit *Choris Musicis*, quum *Chori musici* sint ad essentiam omnis *Pompae Bacchicae.*

5. *Taurus Androprosopus*, ut demonstravimus paullo supra, est Emblema *Chori musici*, et repetitio *Typi* esse non potest nisi evidentissima confirmatio eiusdem potestatis, et significationis.

6. Ergo agmen *Taurorum Androprosoporum*, quos Nonnus *Baccho* comites et sequaces tribuit, habendum est, ut *Chorus musicus* ipsius *Bacchi.*

XVIII. ACHELOUS VIR BUCRANUS.

Formam Acheloi, quam Sophocles (2), *Ovidius* (3), *et Philostratus* (4) *expresserunt definire.*

1. Expensis diligenter locis, et consideratis singulis vocibus, quibus isti Scriptores utuntur

(1) Vid. Nonni *Dionysiac.* Lib. XXI. v.211.224. Avellin. *Atti dell'Acc. Pontan.*I. pag. 319.325. *Opuscol.* I. pag. 134. 135.

(2) Trachin. v. 12. 13. 14.

(3) Metamor. IX. v. 96. 97. 98.

(4) Icon. IV. pag. 867. 868.

omnino perspicuum est : *Acheloum* suum 1. primo non fuisse *Taurum Androprosopum*. 2. Non fuisse *Virum Taurocephalum* , ut *Minotaurus* Cretensis : Sed 3. omnino extitisse *Virum* usque ad frontem , et fuisse *Taurum* tantum, quoad *cornua* et *cranium* : Quam ipsam formam *Achelous* habet in Nummo Metapontinorum , quem protulit Clar. Millingen (1), et in quo legitur ΑΧΕΛΟΙΟ ΑΘΛΟΣ. Et profecto hac formâ *Acheloo* datâ omnia rectissime penes illos Scriptores procedunt , et perspicue intelliguntur , datâ aliâ et diversa omnia fiunt obscura , et absurda.

XIX. ACHELOUS SIRENUM VIR BUCRANUS.

Ipsum Acheloum Sirenum in Acheloo Sophoclis, Ovidii, Philostrati, et Metapontinorum invenire.

1. *Caput* , *cranium*, *vertex* capitis *Tauri* est ריש RISC , שור SCUR. *Homo* est אנש ANS ; adeoque in *vertice Taurino Hominis* legetur שר-אנש SCR-ANS , sive *Sirenis*.

2. *Achelous* Ovidii est *Fluvius* , in quo sunt נהר NER , חלל CLL , גל GL , זרם ZRM , שוע SCUO , etc. etc. quorum sive homiophona, sive temurae sunt voces ad *Musicam* spectantes , ut paullo supra adnotavimus.

3. *Acheloo* Sophoclis, et Philostrati est *Barba* דקן DQN , *densa* עבי OBI , *implexa* שבך SCBK, *umbrosa* צלל TZLL. Atqui plures voces *Musicas* esse his homophonas , vel homiophonas superius etiam animadvertimus.

4. *Achelous* porro Metapontinus in *Patera*

(1) Ancient unedited Monum. Ser. I. Introd. pag. VIII. Iournal. *des Savans* ann. 1829. Octob. pag. 614. 625:

צלח TZLC, quam dexterâ porrigit שלח SCLC, bis habet nomen *Achelous* in temura homiophona. Tum in *Cannâ palustri* אחו ACU, quam habet in sinistrâ, et *Pisce* לויתן LUITN, qui appositus est, tertio *Acheloum* ostendit, et saepius etiam *Chorum Musicum* significat.

5. Tandem ipsa vox ACHELOUS significat *Chorum Musicum*. Nam אח AC, האח EAC, ut recte animadvertit Bochartus *in Hierozoic.* P. I. pag. 866. est *vox*, *echo*, clamor, adeoque *cantus*, לוה LUE est *iunctus*, coniunctus, sociatus.

Quamobrem dubitari non potest quin Metapontini occasione nobilissimi alicuius *Certaminis Musici* Ἀχελοιο ἆθλον Nummum illum procuderint.

XX. SIREN PARTHENOPE (1).

In Nummis Neapolitanis, in quorum adversa parte est caput Puellae vittâ redimitum, et aliis Symbolis exornatum, et in aversâ Taurus Androprosopus, SIRENEM PARTHENOPEN ACHELOIDA perspicue legere.

1. *Caput Puellae* est ריש RISC, נסא NSA, vel נשא NSCA; שיר SCIR, נשא NSCA est *cantum elevare*, est ipsum nomen, et ipsa potestas *Sirenis*.

2. *Monile Mulieris* est שירה SCIRE, נשא NSCA, quae iterum faciunt Vocem homiophonam *Sirenis*.

3. *Puella* est ברת BRT, *Vitta*, fasciola ענב ONB, si voces coniungimus habebimus ברת-ענב BRT-ONB, temurice ברת-נעב BRT-NOB homiophona *Parthenopi*.

(1) Vid. Magnan. *Miscell. Num.* Tom. I. Tab. 24: 25. etc. Rasche *Lexic. in voce Neapolis*.

4. *Vitta*, *diadema* est פאר PHAR, PAR, *monile* ex *margaritis* est נטיפה NTHIPHE, et temurice טניפה THNIPHE. *Si* coniungimus voces habebimus PAR-THNIPHE homiophonon *Parthenopi*.

5. *Monile baccatum* est תפארה TPHARE, פנים PHNIM. *Si* voces adiungis habebis temuram homiophonam *Parthenopi*.

6. *Inauris* dicitur לחש LCSC, et si vis הלחש ELCSC, temura homiophona vocis *Acheloias*.

7. *Monile Mulieris* est חלי CLI vel החלי ECLI, אשה ASCE, si coniungimus voces habebimus secundum homiophonon voci *Acheloias*.

8. *Racemus uvae* est פרט PHRTH, ענב ONB temurice PHRTH-NOB homiophonon *Parthenopi*, et פרט PHRTH est *Musicus*, et נפע NPHO temura homiophona ענב ONB, est *gratus*, iucundus.

9. *Vasculum ansatum* vel *auritum* est כלי KLI, vel גלה GLE, cum אגן AGN, sive *ansis*. Atqui כלי KLI est homiophonon חלל CLL psallere, גלה GLE, גול GUL tripudiare, אגן AGN, נגן NGN *pulsare Organa musica*.

10. *Locusta* est ארבה ARBE; *Instrumentum Musicum* ארביע ARBIO.

11. *Ala* est נצה NTZE, *certamen*, contentio idem נצה NTZE; homiophonon נצח NTZC est victoria, et Praeses Musices, Praecentor.

12. *Piscis* est עפין OPHIN, si praeponis ברת BRT *Puellam*, habebis quintam temuram homiophonam *Parthenopi*.

XXI. SIREN HYRINAEORUM (1).

SIRENEM ACHELOIDA legere in Nummis Hyrinae, in quorum adversa parte est Caput Puellae capillis hirtis, et aliis Symbolis exornatum, in altera Taurus Androprosopus.

1. *Caput puellae* est ריש RISC. נסא NSA: Temura ריש RISC est שיר SCIR. Hinc ש יר-נסא SCIR-NSA homiophonon *Sirenis*.

2. *Capilli hirti* et *horridi Puellae* sunt שער SCOR, נסא NSA, vel נאס NAS, adeoque habebimus secundum homiophonon *Sirenis*.

3. *Monile Puellae* est שירה, SCIRE, נסא NSA: Hinc tertium homiophonon *Sirenis*.

4. *Duplex series globulorum* est שירה SCIRE שני SCNI, quae coniuncta efficiunt quartum homiophonon *Sirenis*, שני SCNI temurice sumto.

5. *Stella* est נגם NGM, homiophonon נגן NGN est *pulsare organa Musica*.

6. *Taurum Androprosopum* esse *Acheloum Sirenum*, emblema eximium *Chori Musici*, et Symbolum *Acheloidis* abunde supra diximus.

XXII. SIREN TERINAEA (2).

SIRENEM LYGAEAM agnoscere in Nummo Terinae, in cuius adversa parte est caput Puellae variis Symbolis ornatum, in aversa autem Puella tunicata, alata, Vasi inclinato insidens, et Caduceum praetendens.

1. *Caput Puellae* Nummi *Terinaei* simile est *Capiti Puellae* Nummorum Neapolitanorum, et

(1) Vid. Magnan. *Miscell. Numism.* Tom. IV. Tab. 27. Ignarra *Append. ad Palaestr.* pag. 268. 269.
(2) Vid. Magnan. *Misc. Numism.* T.II. tab.57. etc.

propterea in eo *Capite* sàltem ter *Sirenis*, et bis *Parthenopis* legi potest, non quidem ut nomen individuum, et personale, sed ut nomen *appellativum*, aptum cuicumque *Sireni*, et cuicumque *Choro Musico*: Ita ut, si in Nummo *Neapolitano* suadebamur voces ex. grat. ברת BRT, ענב ONB ad homiophoniam *Parthenopis* adducere, hic contra tantum inveniemus temuras homiophonas פרט PHRTH *Musici*, נפע NPHO *iucundi*, grati, suavis, quod cuicumque *Sireni* aptum.

2. In *Puella* ברת BRT, עלמה OLME, נקבה NQBE, אשה ASCE plura sunt *nomina musica* homiophona, in *Veste* גלם GLM est גול GUL *tripudiare*; in *Alis* נצה NTZE est נצח NTZC *victoria musica*; *In Corona Lauri* sive כליל KLIL דריה DRIE est דרה DRE *Scientia*, peritia, חלל CLL *psallendi*: in *Vase* insuper כלי KLI, vel גלה GLE, cui *insidet* גלס GLS, est גול GUL, et חלל CLL: *Saltare*, et *Psallere*: Et in omnibus homiophonis גול GUL est ipsa *Siren Lygaea* temurice.

3. In *Ala* prima *Caducei* est נצה *certamen* contentio, in altera est נצח NTZC *victoria* in נצח NTZC *Musicis*. In *Serpente* primo שרף SCRPH est *tuba* שפר SCPHR: in altero *Serpente* אפעא APHOA est פעה PHOE clamor vociferatio *cantus*; in *Baculo* sive שבט SCBTH est צבת TZBT omne *instrumentum Musicum*.

XXIII. BET IONE TERINAEORUM (1).

בת BT יענה IONE *Syrorum in Nummo Terinaeorum invenire.*

1. *Puella sedens ad fontem* dici potest Semitice *Puella fontis* בת BT, עין OIN, homiophonon יענה IONE.

2. *Anas* ad *fontem* est בט BTH, עין OIN, quae homiophona בת BT, עין OIN *Puellae fontis*, et בת BT, יענה IONE.

3. *Puella* עלמה OLME, *sedens* גלס GLS, *ad fontem* עין OIN, est *Chorus Musicus*, qui peritissime עלמה OLME, *canit* ענה ONE, et *tripudiat* גול GUL, ad *instrumenta Musica* עלמה OLME.

4. *Fons* עין OIN. ex *ore* פה PHE, *Leonis* שחל SCCL, *fluens* חלל CLL; Est revera *Cantus* ענה ONE, יפה IPHE pulcher, *gratus*, *sapienter* שכל SCKL, *Psallentis* חלל CLL.

5. *Aqua* נהר NER, quam *Puella* עלמה OLME, *suscipit* לקח LQC, *vase* כלי KLI est רנה RNE *cantus*, קול QUL *vox*, כלי KLI *perfecta*, עלמה OLME *sapienter*, לקח LQC *docte modulata*.

In hac igitur *Puella Terinaeorum* non modo ipsa *Siren* est agnoscenda; sed ut colligere iure possumus, *Siren* dicta בת BT, יענה IONE a Syris et Palaestinis: Adeo ut si alii, ut superius ostendimus, Probl. X. pag. 58 59. *Sirenem* בת BT, יענה IONE voluerunt monstro ex membris *Puellae* et *Anatis* composito significare, *Terinaei* elegantius, *Anatem*, *Vas*, *Fontem*, et *Puellam*

(1) Vid. Avellin. Att. Acc. Pontan. T. II. p. 140. 142. et Opuscul. I. p. 183. 184.

alatam in uno et eodem Dramate coniungentes eumdem Typum, Deam eamdem aeque perspicue et manifeste exhibuerunt.

CAPUT II.

TENTANTUR ALIQUOT ALIA HIEROGRAMMATA ITALICA.

I. STEMMA TRINACRIAE (1).

Quaeritur quid significare possint in Stemmate Siculo tria humana Crura incurvata, tres Spicae, et quandoque Caput humanum in centro?

1. *Crus primum* est שוק SCUQ, et ipsum, שוק SCUQ est *copia* et abundantia rerum. Secundo שוק SCUQ est homiophonon שקה SCQE *bibere*, potare, adeoque Symbolum opportunum abundantiae *aquarum*, et *vini*. Tertio שוק SCUQ est *coetus*, conventus, nundinae, commercium, quod certe in *Sicilia* est longe vetustum.

2. *Crus secundum* est כרע KRO, et ipsum כרע CRO est *ratio*, intelligentia, discretio, criterium, quod insigne *Siculis* hominibus.

3. *Crus tertium*, sive *femur* est ירך IRK, et homiophonon ארח ARC est *via semita*, est *cibus*, commeatus, quae vetustissima in *Sicilia*. Tum Temurae homiophonae רקח RQC *unguenta*, pigmenta, et רקק RQQ *lagana*, placentae, cupediae, unde *Siculae* illae *Dapes* celeberrimae.

4. *Crus curvum* est שוק SCUQ, שוח SCUC, quae homiophona; et כרע KRO, כרע KRO,

(1) Vid. Eckel *Doct. Num.* Tom. I. pag. 76. 77. Rasche *Lex. Num.* in *Trinacria. Triquetr.* Torremuzza *Sicil. Numism.* Tab. VI. 19. X. 12. LV. LVIII. LXII. etc.

quae homophona. Atqui שוח SCUC est *loqui*, orare, meditari, et כרע KRO *perpendere*, discernere, decernere sapienter: Quae in Civibus et conterraneis *Gorgiae*, *Empedoclis*, *Epicharmi*, et *Archimedis* insignia. Illa vero homophonia, et homiophonia est sedulo animadvertenda. Nam ostendunt Auctorem *Emblematis* illa ipsa *Verba* in animo habuisse, et adhibuisse.

5. *Spica prima* est שבל SCBL Symbolum Ideographicum *Frumenti*, quod in *Sicilia* vetustissimum, copiosum, et egregium.

6. *Spica secunda* שבל SCBL est etiam *fons*, *fluvius*, rivus, abundantia aquarum.

7. *Spica tertia* שבל SCBL est etiam *via*, *semita*, platea, comercium.

8. *Caput hominis*, *vel adolescentis* in centro est ראש RASC, איש, AISC, vel צפיר, TZPHIR, sive Lexeoschema praestantium virorum, et pulchrorum שפר SCPHR Juvenum.

Atqui haec omnia *Siciliae*, et *Siculis* congruunt, Et si hoc *Stemma* etiam in monumentis extra *Siciliam* positis conspicitur, *Colonis* omnino *Siculorum* est tribuendum: et quo pacto Romanorum *Lupa* extra Romam per *Colonias Romanorum* occurrit, eodem modo *Stemma Siculorum* extra Siciliam per *Colonias* et emigrationes *Siculorum* invenietur.

II. LEXEOSCHEMA SICULORUM.

Adestne in Emblemate Trinacriae argumentum aliquod intrinsecum, quo illud revera ad SICULOS spectasse demonstretur?

Ita quidem. Nam *Crura coniuncta* sunt שוק SCUQ *Suc*, *Sice*, לוה LUE, LIE, LIA, sive ipsa *Sicilia*, *Siculi*. Et iterum שוק SCUQ, לוה LUE sunt *crura curvata*, inflexa, ut sunt

in *Stemmate*. Adeoque illa *tria Crura* sunt verum *Lexeoschema Siculorum*, et *Stemma* vetustissimum *Gentis* nobilissimae, a qua non una *Sicilia*, sed magna pars *Italiae* habita, et exculta olim fuit. Fieri profecto posset *Stemma Siculorum* esse vetustius eorum adventu in *Trinacriam*, quum aliae Regiones sint in *Asia*, quibus Characteres *Trinacriae* Physici conveniant. Sed fieri etiam potuit, ut *Stemma* illud condidissent *Siculi*, iam in *Trinacria* penitus constituti, et fixi; lapsuque temporis a ceteris *Siculis*, qui sive in Graecia, sive alibi degebant, fuisset adoptatum.

Sicanorum Stemma in uno *Humano Crure*, quod in pluribus Monumentis adhuc conspicitur, constitisse puto. Nam *Crus humanum* est שוק-אנס SCUQ-ANS, sive *Sik-anus*.

III. SCYLLAE NOMINA (1).

Horrendae voragini Siculae apta et convenientia nomina imponere.

1. Dicam primum *Scyllam*, quia 1. שאול SCAUL est *vorago Tartarica*, Abyssus profunda, et teterrima: 2. שלל SCLL est *spoliare*, detrahere, abripere: 3. שלה SCLE est *error*, divagatio, fallacia, dolus: 4. סקל SQL *pernicies*, exitium, mors.

2. Dicam Scyllam *Phorcynis*, quia 1. פרך PHRK est *durus*, *ferus*, atrox, et est *allide-*

---

(1) Vid. Homer. Odyss. XII. v. 107. 125. 246. Apollon: Rhod. IV. v. 789. 790. 820. 830. Lycophr. *Alexand.* v. 45. Lucret. V. v. 891. Virgil. *Aeneid.* III. v. 416. Ovid. *Epist. Heroid.* XII. v. 123. Palaeph. *de Incred.* VIII. p: 29. Seneca *Med.* v. 350.

re, collidere, effringere. 2. פרק PHRQ est *rumpere*, evellere, convellere, lacerare, dissipare. 3. חרף CRPH temura homiophona est *rapere*, abripere, diripere: נשׁ NSC, אנש ANS sunt *Homines*, qui hic sunt praecipue nominandi, quia horum maxime interest. Horrenda igitur *vorago Sicula* rectissime appellabitur *Scylla Phorcynis*.

IV. SCYLLAE SYMBOLA (1).

Iconogramma Scyllae Phorcynis condere tum nominibus impositis, tum characteribus suis conveniens.

1. Dabimus primum SCYLLAE formam *Puellae*, *adolescentulae* חרף CRPH, נשׁא NSCA: ut habeamus temurice nomen *Phorcynis*, et characteres *Monstri*, quod *diripit*, abripit חרף CRPH omnia, et omnia *subvertit*, invertit, subruit שׁנה SCNE.

2. Dabimus *Capillos hirtos horridos* שׂער SCOR, quia est שׂער SCOR *metuenda*, terribilis.

3. Dabimus *mammas nudas* שׁד SCD, שׁד SCD, ערוה ORE, ut indicemus *Monstrum* שׁדד SCDD *vexantem*, angentem, perdentem, ערר ORR destruentem, desolantem.

4. Immo faciemus totam *nudam*, *carentem vestibus* ערוה ORE, ut sit tota ערער OROR, *diripiens*, *abripiens*, destruens, perdens.

5. Faciemus *attollentem* שׁול SCUL, סלל SLL

(1) Vid. Winkelm. *Mon. ined.* II. fig. 37. Mus. Borbonic. Vol. I. Tav. 48. Spanheim de *Praest. Num.* I. pag. 261. 262. Millin *Galler. Mythol.* II. Tab. CLXXII. 638.

furcam פרך PHRK, ut habeamus *nomina Scyllae Phorcynis*, et omnes atroces *characteres*, quae a vocibus סלל SLL, שלל SCLL, et פרך PHRK significantur.

6. Quin faciemus attollentem סלל SLL, *remum*, vel *gubernaculum* קדף QDPH, ut indicemus *elevationem fluctuum* סלל SLL ex voragine, rerum *absorptionem* in שאול SCAUL sive Tartarea abysso, et earum *eructationem*, vomitum, et restitutionem noxiissimam קדף QDPH in aërem.

7. Apponemus ad *inguina tres* sive *Canes*, sive *Lupos*, sive *Leones*, sive ex his omnibus monstra mixta, ut habeamus vocem שחל SCCL, qua voce 1. indicabimus homiophonon nominis *S-cy-llae* 2. Monstrum esse maritimum, esse in orâ maris סחל SCL. 3. Esse *furens*, *insanum* סכל SKL. 4. Esse *perniciosum*, nefarium, mortiferum סקל SQL.

8. Apponemus tandem his *corpus Hydrae*, i vel *Pistricis*, et *Serpentis maritimi* pessimi, qu dici potest פר PHR vel פרא PHRA, נחש NCSC. Nam habebimus primo פר-נחש PHR-NCSC, et temurice PHR-CNS, sive *Phorcynis*. Tum פרר PHRR est *comminuere*, effringere. et פרא PHRA est *furere*, *ferocire*, quae *Scyllae* congruunt. *Serpens* vero addendus erat *Ideographice* ad indicandas *spiras* tortuosas, *vortices*, *turbines*, et convulsiones aquarum, quibus illa *Vorago* turbata est: et addendus erat *Lexeographice* נחש NCSC, ut indicaretur temura homiophona שנג SCNG convolutio et contractio obiectorum, et alia homiophona temura שנק SCNQ *angores suffocationes*, et strangulationes miserorum, qui in *Barathrum* perniciosum inciderint.

V. IUPITER TONANS CAULONIAE (1).

In Nummo Cauloniae, in cuius adversa parte est Iupiter fulminans, in altera Cerva, praecipuas sententias Psalmi Hebraeorum XXIX. invenire.

Art. I. *Recensentur praecipuae sententiae Psalmi XXIX., quae referuntur ad vocem Dei in Tonitru.*

1. *Deus Gloriae fecit tonare*: אל AL, הכבור EKBUR, הרעים EROIM. v. 3.
2. *Vox Domini confringet Cedros*, קול QUL, יהוה IEUE, שבר SCBR, ארזים ARZIM, v. 4.
3. Vox Domini *exsilire faciet filium Unicornium*, ירקיד IRQID, בן BN, ראמים RAMIM, v. 6.
4. Vox Domini *parturire faciet Cervas*: יחולל ICULL, אילות AILUT. vers. 9.
5. Vox Domini *deteget Sylvas*: יחשף ICSCPH יערות IORUT. vers. 9.

Art. II. *Quaeritur Drama, quo omnes hae sententiae satis clare et perspicue legantur.*

1. Omnium primum, quia *Vox* et *Tonitrus* pingi et exculpi nequeunt, scribam literis Alphabeticis KAUL, sive קול QUL *Vox*, *sonus*, et per excellentiam *Tonitrus*.
2. Tum expingam *Virum* magnae staturae, ingentem, ut habeam גבר GBR, כביר KBIR, איל AIL, רב RB, potentem, fortem, validissimum Virum, sive potius איל AIL, et רב RB, *Deum*, et *Dominum* כבור KBUR *gloriae*, *gloriosum*. vers. 2. et 3. Psalmi XXIX.

(1) Vid. Magnan. *Miscell. Numism.* Tom. I. Tab. 9. Mazoch. *Tabul. Heracl.* pag. 527. 528. etc.

3. Faciam porro *iaculantem fulmen* רב RB, בזק BZQ. quod pingi potest, ut indicem *Tonitrum* רעם ROM, quod pingi non potest.

4. Et quoniam agitur hic de ipso *Deo tonante*. iuxta *Virum fulminatorem* insculpam insuper *Cervum* איל AIL homophonon איל AIL *Dei*, et propterea eius legitimum *Lexeoschema*.

5. Quin quandoque loco *fulminis* et *fulguris* ponam in dexterâ *ramum* אמיר AMIR, *Palmae* חיל CIL, ut habeam ipsam vocem, ipsum sonitum קול QUL homiophonon חיל CIL, *Tonitrus* רעם ROM, quae vox est temura homiophona אמיר AMIR.

6. Extendam טפח THPHC *sinistrum brachium* זרע ZRO, ut in hoc זרע ZRO habeam temuram homiophonam ארז ARZ *cedri*, et in illo טפח THPHC vocem homiodynamicam שבר SCBR vers. 3. Nam טפח THPHC est *verberare*, pulsare, שבר SCBR est *frangere*, infringere. *Extendam* vero potius *sinistrum*, quam *dextrum brachium*, quia *sinistra* שמאל SCMAL aequivalet שם SCM *vastationi*, desolationi, אל AL *Dei*.

7. Praeterea super hoc *brachio extento* ponam *sublimem* רם RM, *puerum*, infantem בן BN, *subsilientem* רקד RQD, ut habeam ירקיד IRQID, בן BN, ראמים RAMIM vers. 6. Quin faciam hunc quandoque etiam *fulminantem*, ut habeam בן BN, רעם ROM homiophonon ראמים RAMIM.

8. *Virum* porro illum *ingentem* faciam *totum nudum* ערוה ORE, penitus *vestibus spoliatum* חשף CSCPH: ut habeam חשף CSCPH *spoliatas*, עיר OIR *sylvas*, homiophonon ערוה ORE, vers. 9.

9. Tandem aliam *Cervam* איל AIL *cornutam* קרן QRN exculpam, ut habeam קרן QRN *coruscationem*, irradiationem, *fulguris*, איל AIL

Dei domini, qui sua voce קול QUL *facit paturire* חול CUL, *Cervas* איל AIL. Vers. 9. et iuxta *Cervam* apponam *ramum* אמיר AMIR, *Oleae* זית ZIT, ut habeam צות TZUT homiophonon זית ZIT, *sonitum*, *clangorem*, *Tonitrus* רעם ROM temurae homiophonae אמיר AMIR.

Art. III. *Quomodo apud Cauloniatas possint inveniri sententiae Psalmi Hebraeorum.*

1. Primo ex traditionibus vetustissimis communibus tam *Hebraeis*, quam *Achaeis*, vel *Tyrrhenis Cauloniae* conditoribus. Quumque Lingua *Hebraeorum* ipsa prorsus fuerit, quoad plerasque radices, quam Lingua *Hierographorum* veterum Gentium, utique et pars saltem Scientiae *Physicae*, et Sapientiae maxime socialis eadem esse debuit. Et quum certum sit *Etruscos*, *Graecos*, *Latinos*, *Scandinavos*, aliasque plures Gentes incredibili modo coluisse *Deum fulminatorem* et *fulguratorem*, et ex alia parte *Dei opt. max.* in *Tonitru* potentissimi frequens sit mentio apud Sacros Scriptores *Hebraeorum* nil mirum, si aliquot sententiae congruant apud utrosque, maxime quum eâdem *Linguâ Sacrâ* utantur.

2. Secundo dispersiones *Hebraeorum* sunt vetustissimae, scilicet incipiunt a temporibus *Achazi* et *Ezechiae*, quum nulla adhuc, vel tenuissima *Caulonia* esset, et diutissime deinceps perdurant; adeo ut facillime potuit fieri, ut quinto vel quarto saeculo Prochristiano *Hebraeus* aliquis flandis metallis Praefectus, vel Praefecto amicus et charus apud *Cauloniatas Drama* huiusmodi excogitasset, et exculpi curasset.

VI. STEMMA CAULONIATARUM.

Potestne haberi huiusmodi Drama ut Stemma ipsum, ut Emblema Cauloniatarum Lexeographicum?

Ita quidem; Nam *Caulonia* fit a *Kaul* קול QUL *voce*, *sonitu*, *tonitru*, et און AUN *Coelo*, vel *Deo Coeli*, ut nos saepe in *Hieroglyphicis selectis* animadvertimus. Certum enim et exploratum est Aegyptios, Palaestinos, Israelitas Idololatras, et Syros appellasse און AUN, אן AN *Deum* aliquem *Coelestem*, sublimem, sive *Solem*, sive, ut ego teneo, *Deum Coeli*; quod אין AIN esset *spatium* amplissimum et vacuum, הון EUN *mens*, *intelligentia*, copia, divitiae, affluentia, et אוֹן *robur*, *vis*, potentia: adeout, quod sancte et orthodoxe esset *Hebraeis* קול QUL יהוה IEUE, esset Heterodoxis קול QUL, און AUN, CAUL-ON, sive vox *Dei Coelestis*; et convertendo, quia id in *Hierographia* fieri potest. et saepe debet; און AUN, קול QUL erit *Deus vocis*, *Deus tonitrus*, *Deus tonans*, qui ipse est qui in Nummo *Cauloniae* exprimitur. *Urbes* autem quae ex *Voce Dei* nomina sibi imponerent, plurimae sunt, et singillatim sunt omnes urbes *Chalcidicae* originis, et quae Typos *Sirenum* vel *Acheloi* adhibuerunt, quia sunt positae ex monitu קול QUL, *Chal*, צדיק TZDIQ *Cidico*; nempe *Vocis sanctae*.

Quamobrem *Iupiter tonans* sive Syrâ Theologiâ און AUN, קול QUL est proprium *Stemma*, et *Schema* קול QUL, און AUN, sive *Cauloniae* Italicae.

VII. ORION NEAPOLITANUS (1).

Dato Sideris ORIONIS ortu et occasu nimboso, procelloso, navibusque valde infenso (2), Hieroglyphicum constituere, quo Nautae moniti tantum periculum scirent effugere.

1. Exsculpam primum *Virum grandis formae*, ut habeam גבר GBR, et כביר KBIR, tum ut *vehementiam* et violentiam procellarum indicem; tum ut Mythum Astronomicum omnium fere veterum Gentium servem, quo in *sidere Orionis Gigantem* גבר GBR aliquem, sive *Nimrodum*, sive alium praevalidum et vehementem *Virum* כביר KBIR posuerunt.

2. Faciam *vestibus* plane *nudum* עירה ORE, et חשף CSCPH, ut ostendam *inimicum*, hostem, ferum, destruentem ער OR, ער OR, et haurientem et extrahentem *aquas* חשף CSCPH, et *evertentem* et subruentem omnia חסף CSPH.

3. Faciam porro totum *pilis* et *villis* horridum nempe שער SCOR, שעיר SCOIR: ut habeam שער SCOR *procellas*, tempestates, שער SCOR *horrendas*, terribiles, et ipsum Lexeoschema Orionis, quem dictum fuisse veteribus temporibus *Orios*, temura שעיר SCOIR, et cum *Sirio* שערי SCORI, vel שעיר SCOIR extitisse homionymicum tenendum est.

4. Faciam denique *intentantem* שלח SCLC, *Gladium* etiam שלח SCLC, ut habeam in temura חשל CSCL *tempestates* et procellas. Tum *Gladius* est סגר SGR, vel סגירר SGIRR, quod

---

(1) Vid. Capacc. *Histor. Neapol.* Tom. I. pag. 198. 199. et *delle Imprese* libr. II. carte 26.

(2) Vid. Polyb. *Hist.* libr. I. Cap. 37. pag. 62. Aelianum *Histor. Animal.* lib. X. cap. 45. pag. 595. Virgil. *Aen.* I. v. 535. IV. v. 52. Horat. *Epod.* XV. v. 7. etc.

ipsum est *procella* , tempestas , pluvia. Tandem *Gladius* est מכרה MKRE , et מכרה MKRE est *mercari* , *negotiari* , mercaturam exercere.

Hoc autem ipsum *Iconogramma* lapidi insculptum conspicitur hîc *Neapoli* in Regione *Portus* , et de eo rectissime iudicavit Capaccius tum in suis *Emblematibus* (*Delle Imprese*) Libr. II. cart. 26. tum in *Historia Neapolit.* lib. I. cap.XIV.p.198.199. Adeoque dubitari non potest, quin huiusmodi *Hieroglyphicum Lexeoschematicum* in *Portu Neapolitano* fuisset propositum, ut Nautae in ortu et occasu *Orionis* a tentanda maritimâ mercaturâ , ob damnosas procellas , abstinerent.

VIII. VULPES CARSEOLANA (1).

Qui factum est , ut Carseolis in Latio Vulpes manipulis Stipularum comburerentur?

Quia Semitis *Vulpes* est שועל SCUOL , et חרר CRR , חרה CRE est *urere comburere* incendere : Adeoque *Carseoli* erunt חרה-שועל CRE-SCUOL, sive *Car-seol* . nempe *comburentes* et incendentes *Vulpes*. Praeterea שעל SCOL est *manipulus* , et secundum plures *Stipularum* . et שעל SCOL est etiam *ardere incendi*, et שול SCUL *ignis flamma.* Hinc opus fuit , ut שועל SCUOL *Vulpes* , *comburerentur* שעל SCOL , *manipulis* שעל SCOL. Est et rationalis et penitior caussa *comburendi Vulpes* ; Sed hîc , quia Theologica et *mystica* attingere nolumus , praeterimus.

---

(1) Vid. Ovid. *Fastor.* IV. v. 638. 740. Bochart *Hierozoic.* Part. I. p. 850. 865. Spanheim *de Praest. Num I.* pag. 120. Calmet *in Libr. Iudicum* Cap. XV.

IX. TUSSIS VULPINA (1).

Quae origo Proverbii de Tussi Vulpina ferali et mortali?

Tussis dicitur Semitis שעל SCOL, *Vulpes* שועל SCUOL. *Vulpes* ergo, quae numquam tussit physice, necessario *tussiet* Lexeographice. Praeterea שאול SCAUL, homiophonon שועל SCUOL Vulpi, est *Sepulcrum*, *Tartarus*; adeoque *Tussis* mortalis, *feralis* erit *tussis* שעל SCOL, שאול SCAUL *Sepulcri*, et quia homiophonon שועל SCUOL est *Vulpis* dicetur *Vulpina*. Ergo *tussis* שעל SCOL, *Vulpina* שועל SCUOL erit necessario *feralis* et *sepulcralis* שאול SCAUL.

X. SPES ROMANA (2).

Symbola Hierogrammatis, quod Pacorus aedituus Veneris posuit Spei Romanae, SPEI revera convenire demonstrandum est.

1. *Figura muliebris* egregie convenit, quia נסא NSA, נשא NSCA est *mulier*, et temura homiophona שען SCON est *Spes*, *sperare*, fiducia; חול CUL est *parere*, quod proprium *mulierum*, et יחל ICL est *sperare*, confidere.

2. *Duplex vestis* שנים SCNIM, שלם SCLM apta est: Nam שנים SCNIM est temura homiophona מ-שען M-SCON *Spei*, exspectationi, et שלם SCLM est *perfecta* absoluta.

3. *Vestis una* est *longior*, *talaris*, quia שלם SCLM, ארך ARK, נחת NCT, sunt *pax*,

(1) Vid. Bochart. *Hierozoic.* Part. I. pag. 62.

(2) Vid. Gruteri *Thes. Inscript.* Tom. I. pag. 102. Edit. 1707. *Antiqu. Rom. Explic.* Tab. XXXIV. pag. 127. 128.

tranquillitas , quies, felicitas , *longa* , diuturna, *perfecta*; haec enim est verae *Spei* finis et desiderium. Tum אוריכה AURIKE homiophonon ארך ARK est etiam *Spes*, *exspectatio*.

4. *Vestis alia* שלם SCLM est *brevior*, decurtata , et quasi *fracta* שבר SCBR; Quia שלם SCLM est *perfectus*, absolutus, et שבר SCBR est etiam SPES, immo ipsa *Spes* Romanorum, quia *Spes* etiam Varronis aetate erat *Sper* Speris . et *Sper* est dubio procul Semiticum שבר SCBR, *Sbr*, *Spr*, *Sper*.

5. Actus *attollendi* סלל SLL , *brachio* זרע ZRO , vel סעד SOD , *sinistro* שמאל SCMAL , temura homiophona שלם SCLM , *limbum* שול SCUL , *Vestis* שלם SCLM *brevioris* , decurtatae שבר SCBR, indicat *Spem* שבר SCBR , egere עזר OZR *auxilio*, adiumento, temura זרע ZRO *brachii*, סעד SOD *firmo* , stabili , certo , ut producat et gignat *pacem* , tranquillitatem שלה SCLE . *plenam* , perfectam שלם SCLM.

6. *Manu dextera* ימין IMIN, *Mulier innititur* שען SCON , *Columnae* עמד OMD , ut ostendat Se שען SCON *exspectare* , desiderare, sperare , et quidem *constanter* permanenter עמד OMD , et *firmiter* veraciter אמן AMN homiophonon ימין IMIN *dexterae*.

7. *Habet* in *capite Coronam* כליל KLIL, *Florum* נץ NTZ, quia *Flores* Ideographice sunt Symbolum *Spei* , et quia יחל ICL , vel כלי KLI homiophonon כליל KLIL est *Sperare* , *fiduciam habere*.

8. *Spicae* שבל SCBL, *frumenti* שבר SCBR appositae , sive *Spicae Segetis frumenti* קמה QME sunt סבל SBL *munus* . שבר SCBR *Spei* . et exspectationis, sunt סבל SBL *munus* מקוה MQUE, vel ת-קוה T-QUE , *exspectationis* et fiduciae.

9. Adiunctae *Spicis Rosae* ורד URD, ut indicetur *Spem* רדד RDD *expandere* se, *extendere* se, ingentia, ampla quaerere אריד ARID, et desiderare.

10. Adiecta insuper *Papavera* חשחשא CSCCSCA homiophonon חש, CSC, חשש CSCSC, nempe *sollicitudines*, curae, anxietates, quae omnem *Spem* semper comitantur.

11. *Pomum granatum* est רמן RMN, et רמם RMM est *celsus altus* sublimis, quia *Spes* semper *alta*, sublimia, magna expetit.

12. *Alveare* est מגבה MGBE, et גבה GBE est etiam *altum* et *elevatum*, tum est homiophonon חבה CBE, חבב CBB *amare*, *desiderare*, velle.

13. *Sarcina, fascis supellectilis obvolutus* est Symbolum Ideographicum סבל SBL *oneris*, חמל CML *ponderis*, *patientiae*, tolerantiae, quae *Spem* necessario comitantur.

14. Numerus autem *Septenarius* שבע SCBO, *Spicarum*, et aliorum sive *florum*, sive *fructuum* bis repetitus est Symbolum שבע SCBO *satietatis* et saturitatis, quam speramus et desideramus semper: et est Lexeoschema ipsius SPEI Romanae, quum שבע SCBO sit homiophonon SPEI.

Haec autem et sagaciter et vere componebat Romae in Hortis Sallustianis M. Aurelius Pacorus aedituus Veneris circa tempora, ut videtur, Antoninorum.

XI. IUSTITIA AUGUSTI (1).

In Nummis Hadriani Augusti Mulier sedens, dexterâ pateram porrigens, sinistrâ baculum globulis recto ordine dispositis compositum gerens, potestne merito appellari Iustitia?

1. *Patera*, *vas* est מאן MAN, dextera ימין IMIN homiophona אמן AMN *Veritati*, sine qua *Iustitia* non est, et quae semper *iusta* et *aequa* est.

2. Tum מנה MNE temura מאן MAN, et ימין IMIN, est *numerare*, praebere, distribuere, quod *Iustitiae* essentiale attributum.

3. Praeterea *Patera* est צלח TZLC, et צלח TZLC est *componere*, *pacificare*, rectificare, pacare, quod prorsus officium *Iustitiae* praecipuum.

4. *Baculus*, *virga* est שבט SCBTH, Symbolum *potestatis*, imperii, iudicii; homiophonon שפט SCPHTH est *iudicare*, iudicia exercere.

5. *Recta Series globulorum* est ישר ISCR, תור TUR, דור DUR. Atqui homiophonon תורה TURE est *Lex*, *doctrina*, praeceptorum Codex, et תור TUR est *explorare*, *investigare*. Ergo *Series* illa *recta Globulorum* indicabit *rectam aequam investigationem* et *administrationem Legum* et *Praeceptorum*, qua *Iustitia* continetur.

Hierogramma igitur *Iustitiae* per Lexeotropos Semiticos satis scite et argute confectum est a *Romanis* sub Hadriano Imperatore Saeculo secundo Christiano.

(1) Vid. Pedrusi *Mus. Farnes.* Tom. III. Tav. 5. 11.

XII. SALUS AUGUSTI (1).

Mulier Stolata, baculum vel hastam sinistra gerens, pateram dextera porrigens Serpenti, qui attollit se de Ara, significatne iure Salutem in multis Nummis Augustorum?

1. *Mulier* est אשה ASCE, אסה ASE est *Sanavit*, remedia aegritudinibus attulit, medicinam fecit; homiophonon ישע ISCO est *salvavit*, *servavit*,. salutem fecit.

2. *Vestis*, *Stola* שלם SCLM est *pax*, *tranquillitas*., felicitas, quae sine *Valetudine* bona esse non potest.

3. *Patera* est צלח TZLC, *porrigere* est homiophonon שלח SCLC, et שלח SCLC est *munus* donum; צלח TZLC est *prosper*, felix, sanus fuit, successit bene, prospere cessit.

4. *Serpens* est שרף SCRPH, temura פשר PHSCR est *pacem dat*, reconciliat, quae discordia sunt, adeoque bonam *valetudinem* praebet: Temura שפר SCPHR gratus est, bonus est, se bene habet. Praeterea *Serpens* dicitur חיה CIE, et תנין TNIN. Atqui תנה TNE, חיה CIE est *dans*, *praebens vitam*, adeoque *robur*, *valetudinem*, *Salutem*.

---

(1) Vid. Mus. Farnes. Tom. IV. Tav. 4. 13: et Tom. VI. Tav. 35. 5.

XIII. SPES AUGUSTI (1).

Mulier tunicata, dexterâ manu Florem saepe Calicoformem elevans, Sinistrâ vero vestis fimbriam multa cura adtollens, gradientis habitu, exprimitne recte Spem?

Ita quidem : Nam *Flos* ideographice *Spem* fructus significat, et quoniam יחל ICL, חול CUL, כלי KLI est *sperare*, *spem* bonam *habere*, ideo *Flori* data forma *Calicis* sive *Vasis* כלי KLI ; quin etiamsi evidenter non detur, quum natura *Calix Flori* insit, semper etiam inerit *Flori* Lexeoschema יחל ICL *Spei*. Tum *Vestis* est שלם SCLM, *Sinistra* שמאל SCMAL, et שלם SCLM est *pax*, *prosperitas*, felicitas, quae est essentia et finis *Spei*. Praeterea *fimbria* est שול SCUL, *trahere*, attollere idem שול SCUL, סלל SLL, et שלה SCLE est *pax*, *tranquillitas*, prosperitas. Tandem *gradi* est ארך ARK, et שבל SCBL: Atqui ארך ARK est *diuturna*, longa, שבר SCBR est *Spes*, *exspectatio Boni Eventus*. Vide supra *Sect. III. Probl.* 23. pag. 46. 47.

(1) Pedrusi. *Mus. Farnes.* Tom. VI. Tav. VI. n. 6. 8. Rasche *Lex. Num. in Voce.*

PARS SECUNDA

THEOREMATA HIEROGRAPHICA.

SECTIO I.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA AEGYPTIORUM (1).

I. AMMON.

NOMINA, CHARACTERES, ET SYMBOLA DEI AMMONIS SIBI MUTUO ET INTIME RESPONDENT.

ART. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola praecipua AMMONIS.*

I. *Nomina* praecipua sunt: 1. AMMON, 2. AMUN, 3. AMMUS, 4. Deus LIBYAE.

II. *Characteres Theologici* sunt:

1. Deus coelestis, aethereus, Spiritus coeli.

---

(1) Vide Kircher *Oedip.* Tom. 1. pag. 125. etc.
Pignorii *Mens. Isiacam.*
Marsham *Canon. Chronic. Aegyptiac* etc.
Vossium *de Idololatria.*
Schedium *de diis Germanis.*
Montfaucon *Ant. Expl.* Tom. II. Par. 2. et Supp. Tom. III.
Banier *Mythologie* Tom. II. in 12.
Georgii Augustini *Alphabet. Tibetan.*
Sainte-Croix *sur les Mysteres : edit.* de Sacy.
Creuzer et Guigniaut *Religions dell'Antiquité*. Libr.III. Tom II. pag. 383. ad 522, et 748 ad 960.
Iablonski *Pantheon Aegyptiorum*, etc. etc.

2. Conditor, Demiurgus, Creator rerum.

3. Deus Vates, Propheta, futurorum revelator, Deus Oracularis.

4. Nutritor, altor, irrigator, aquarum et fontium eductor.

III. *Symbola* praecipua sunt:

1. Aries, caput Arietis, cornua Arietis, vel Hirci, vel utraque.

2. Pompa, processio solemnis.

3. Umbilicus ductus in Pompâ.

ART. II. *Nomina AMMONIS respondent Characteribus suis Theologicis.*

1. AMMON, AMUN est *Demiurgus*, conditor, quia אמן AMN, AMUN est *opifex*, artifex, conditor, qui מנה MNE destinat, *tribuit*, attribuit, מון MUN *speciem*, formam, figuram Rebus; qui Mundum אנם ANM *condit*, et efformat.

2. AMMON est Deus *verax*, *veridicus*, propheta, qui vera loquitur, qui *occulta* et secreta pandit, quia אמן AMN est ipsum *verax*, *veridicus*, et אמון AMUN est *occultus* abditus, et נאם NAM est *proloqui*, dicere, manifestare.

3. AMMON אמן AMN est etiam *altor*, *nutritor*, qui alimenta et copiam praebet, quia אמון AMUN est *nutritius*, nutritor, altor, qui מנה MNE *tribuit* et praebet, imo *auget* נמה NME, et accrescit *fructus* et bona.

4. AMMUS cuius temura inversa est SUMMA homiophonon שמיא SCMIA *Coelum*, Coelestis, Deus Coeli; unde constantissime Graeci pro Iove Coelesti habuerunt.

5. DEUS LIBYAE est temurice *Deus* יבל IBL, *Deus* qui *dat*, *producit*, educit, יובל IUBL *fontes*, rivos aquarum, et יובל IUBL uberes et copiosos *proventus* frugum, et fructuum.

Art. III. *Symbola AMMONIS respondent Chracteribus suis Theologicis.*

1. *Aries* איל AIL, *Deus*, Numen, Ens Coeleste. *Aries* זכר ZKR, qui *meminit*, qui cogitata servat, scit, quod *Deo Prophetae* et Oraculari opportunum. *Aries* אמר AMR *dicere*, loqui, *proloqui*, quod *Propheta* facit. *Aries* יובל IUBL *proventus*, copia frugum, fructuum, rivi aquarum, quibus Homines aluntur et recreantur, et quod *Deo altori* et *nutritori* congruum.

2. *Pellis Arietina* sive עור OIR, איל AIL, vel ענם ONM *exuviae*, ענם ONM *pecoris ovilli* indicant *Deum* איל AIL, *vigilem* attentum עיר OIR, ut responsa, oracula מענה MONE, cum *veritate* et veracitate אמונה AMUNE, *referat*, dicat נאם NAM, Quaerentibus.

3. *Pompa* processio est יובל IUBL, et propterea significat *Deum Proventus*, Annonae, *rivorum*, irrigationis: Est אמונה AMUNE, et significabit Deum *Demiurgum*, אמן AMN, et Prophetam veridicum אמן AMN; Est משא MSCA, et significabit Deum *Coe'i* שמיא SCMIA.

4. *Umbilicus* שרר SCRR significat Regem *Dominum* שר SCR, qui *arcana* secreta סרה SRE, *aperit* pandit manifestat שרה SCRE, in omni *veritate* et veracitate שררא SCRRA.

His *Symbolis* etiam *Rex futuri saeculi*, *Deus* maximi *Iubilaei*, et perfectae liberationis potest indicari, ut colligi facile potest ex Probl. Hierograph. 3. Sect. III. pag. 26. 27. Sed, quia haec profunda et mystica sunt, praeterire maluimus.

Art. IV. *Symbola AMMONIS sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. AMMONIS *Lexeoschemata* sunt 1. *Pecus ovillum* ענם ONM. 2. *Pellis ovilla*, arietina,

pariter עגם ONM, qua *Simulacrum* eius מון MUN obvolvebatur. 3. *Pompa* processio אמונה AMUNE.

2. Dei LIBYAE *Lexeoschemata* sunt 1. *Aries* יובל IUBL. 2. *Fontes* rivi יובל IUBL. 3. *Pompa* et *Processio* יובל IUBL.

Art. V. *Iamblichus Chalcidensis quarto saeculo Christiano vim temuricam nominis AMMONIS penitus adhuc norat.*

Libro enim de Mysteriis Sect. VIII. Cap. 3. pag. 159.: haec scribit: Ο' γαρ δημιουργικος νους, και της αληθειας προστατης, και σοφιας, ερχομενος μεν επι γενεσιν, και την αφανη των κεκρυμμενων λογων δυναμιν εις φως αγων. Αμων κατα την των Αιγυπτιων γλωσσαν λεγεται. *Demiurgica mens, et veritatis custos, et sapientiae, veniens ad generandum, et invisibilem potestatem absconditarum rationum in lucem agens AMMON secundum Aegyptiorum Linguam dicitur.* Atqui haec omnia in Temuris et Homiophoniis vocis אמן AMN constant et redeunt. Nam 1 δημιουργικος νους est in אנם ANM *condens*, creans, est in אמן AMN *opifex* artifex: 2. της αληθειας, και σοφιας προστατης est in אמונה AMUNE *veritate*, veracitate, et in מנה MNE destinare, ordinare, tribuere. 3. λογοι κεκρυμμενοι *formae* rerum *arcanae* adhuc *invisibiles* sunt in מון MUN, simulacris figuris, אמון AMUN *absconditis*, et quasi נום NUM *dormientibus*. Hanc autem vim inesse in *Ammonis* vocabulo Manetho Sebennytes etiam apud Plutarchum de Isid. Pag. 354. profitetur.

II. ISIS.

Nomina, Characteres, et Symbola deae ISIDIS sibi mutuo et perfecte respondent.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola ISIDIS.*

I. *Nomina* praecipua Deae sunt 1. ISI. 2. ISIDI. 3. ISIN. 4. ISIS. 5. SOTHIS. 6. ATHYR. 7. MUTH.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Fundamentum, locus, receptaculum Rerum, Essentia Mundi.

2. Dea Hylica, materiei et generationum Domina, Anno et temporibus praefecta, Genitrix magna, Mater Mundi.

3. Dea frugifera, fructifera, aquarum et humoris Dea, rigatrix, irrigatrix.

4. Dea Salutaris, misericors, medica, opitulatrix.

5. Dea iracunda, vindex, ultrix.

III. *Symbola* Deae praecipua sunt. 1. Figura muliebris. 2. Mammae plenae. 3, Vestis adstricta. 4. Caput, vel cornua Vitulae. 5. Globus inter cornua. 6. Gallina picta. 7. Vultur. 8. Anser. 9. Situla, haustrum. 10. Crux ansata. etc.

Art. II. *Nomina Deae respondent suis Characteribus Theologicis.*

1. ISI est ישה ISCE, ISE essentia, pars essentialis; est אשה ASCE, אשיה ASCIE basis, fundamentum, robur rerum: est אסי ASI ISA medica, medicinam afferens, est ישע ISCO Servatrix. Est etiam שאה SCAE destruens, evertens, perdens.

2. ISIDI est temura שדי SCDI, שדד potens,

terribilis, urgens, vexans; est אשד ASCD rigatrix, irrigatrix, inundans; Est יסד ISD, quae fundat, quae firmat, et constituit.

3. ISIN est שני SCNI, שנה SCNÈ vertens convertens, immutans omnia, et faciens שנה SCNE Annum, ut vidimus ad *Hieroglyph.* ex *Horo Select.* Pag. 3.

4. ISIS est אשש ASCSC, ישיש ISCISC ISIS fundamentum, basis, fulcrum Rerum, השש ESCSC, quae effringit, disrumpit vetera, ut nova proferat.

5. SOTHIS, SOTHI est שתה SCTE, שתיה SCTIE rigatio, irrigatio aquarum, temura homiophona אשד ASCD inundare exundare: Quae etyma eo etiam ex capite probantur, quod *Stella Canis*, qua primum oriente *Nilus* exundare incipiebat dicebatur *Sothis*, et putabatur plane propria ISIDIS.

6. MUTH est מוט MUTH, quae movet, agitat omnia, מוד MUD turbat, exagitat מאדה MADE materiam, Hylen huius Mundi, natura sua turbulentam et confusam; מד MD est mensura metrum Rerum.

7. ATHYR, ATHOR est אתר ATR sedes, locus Rerum, est תור TUR, טור THUR, דור DUR, quae disponit, praeordinat, efficit generationes, successiones nativitatum: est טרר THRR, טרא THRA, quae ruit, irruit, ut destruat, evertat vetera, et nova semper gignat, producat, ferat.

Art. III. *Symbola ISIDIS significant Characteres eius Theologicos.*

1. *Deam*, quae dicatur *locus* et *fundamentum* rerum significant. 1. *Figura muliebris*, אשת ASCT, quia שות SCUT, שתה SCTE est po-

nere, collocare, fundare. 2. *Torquis* תור TUR, temura homiophona אתר ATR locus sedes. 3. *Vestis adstricta* מד MD, mensura, modus Rerum. 4. Ipsum fulcrum, ipsum Epistylium, quod saepe Capiti Deae imponitur, nempe אשיש ASCISC, et quidem Cyrioschematice: vel ipsum Caput Deae impositum, ut Epistylium Columnis, non ut Thorlacius, Hammerus, aliique parum recte autumabant, ut vis *Typhonis* superior *Isiacae* indicaretur, sed quod ISIS esset illud arcanum et profundissimum אבן ABN, שתיה SCTIE, sive *Lapis fundamenti*, de quo plura plures, et singillatim Hasaeus *in Thesauro Ugulini* Tom. VIII. pag. 460. 461. disseruere: Utque illud שתיה SCTIE clarius exprimeretur data est ab Aegyptiis forma *Vasis*, poculi, et calicis Capitellis columnarum sive Epistyliis.

2. *Deam Genitalem*, generationum praefectam, fructuosam, frugiferam, omnis ubertatis datricem significant. 1. Ipsa figura *muliebris*, cui est רחם RCM, uterus, metra, Simbolum generationis. 2. *Mammae* plenae, quibus Horum lactat, sive Mundum, sive Regem Mundi. 3. *Vultur* רחם RCM, uterus, metra, quibus generatio efficitur. *Vultur* ראה RAE, quia הרה ERE est gravida, uterum gestans. 4. *Anser*, *Anas* כרס KRS, et בר-אוז BR-AUZ: Atqui כרש KRSC est uterus, et בר-עז BR-OZ est filius fortis eximius. 5. *Gallina picta* sive דגג DGG, רקם RQM, quia גד GD, GAD est Fortuna omniparens, omnium bonorum datrix, et רחם RCM est uterus, metra. 6. *Vacca*, vel *Caput Vaccae* פרה PHRE, quae est foecunda, fructifera, fructuosa. 7. *Cornua Vaccae* יובל IUBL, פרה PHRE, יובל IUBL autem est proventus, copia, abundantia Rerum. 8. *Globus Sphaera* inter

Cornua דור DUR, et גלגל GLGL: Atqui דור DUR, et גלה GLE, sunt Genesis, generatio, גלגלא GLGLA est homo. 9. *Crux ansata* Symbolum est felicissimae generationis, ut diximus ad Tab. Rosettan. Lin. X. pag. 83. 84, et de Obel. Hermap. pag. 125. 126. 10. *Situla* דלי DLI indicat דלל DLL, exhaustionem דלי DLI, ילד ILD generationum.

3. *Deam aquis* praefectam, irrigatricem, inundantem indicant. 1. *Mammae* שד SCD, Quia אשד ASCD est inundare. 2. *Velum* סוך SUK, quia ipsum סוך SUK est libare, effundere, irrigare 3. *Cornua vitulae* יובל IUBL, עגלה OGLE, quia יובל IUBL est rivus, canalis, irrigatio, גלה GLE scaturigo aquae, fons. 4. *Situla haustrum* דלי DLI, quia דלה DLE est haurire et effundere aquas.

5. *Deam beneficam*, *misericordem*. *servatricem* significant. 1. *Vultur* רחם RCM. ipsa pietas, misericordia. 2. *Gallina picta* רקם RQM homiophonon רחם RCM. 3. *Figura muliebris*, אשה ASCE, et 4. Basis אשה ASCE homiophona אסי ASI mederi, medicinam facere.

6. *Deam iracundam*, *vindicem*, *ultricem* significant 1. *Mammae* שד SCD, quia שדד SCDD est premere affligere tribulare. 2. *Torques* טור THUR, quia טרר THRR est ruere irruere ad nocendum. 3. *Caput Vitulae* ראש RASC, פרה PHRE, quia שרר SCRR est dominium et imperium exercere, et פרא PHRA ferocire, aspere agere. 4. *Aspis Thermuthis*, de quo egimus in Hieroglyph. Select. Sect. III. pag. 55. 56.

Art. IV. *Symbola ISIDIS sunt magna ex parte Lexeoschemata Nominum eius.*

1. Scilicet: *Lexeoschemata Nominum* ISI. ISID, ISIS sunt 1. *Figura muliebris* ipsa אשה

ASCE , ISA. 2. *Basis* , vel fulcrum iterum אשה ASCE, vel אשיש ASCISC, ISIS. 3. *Mammae* שד SCD , השד ESCD , ISID.

2. *Lexeoschemata* SOTHIS . vel SOTHI sunt: 1. *Eadem figura Muliebris* אשת ASCT. 2. Eadem *Mammae* שד SCD. 3. *Basis fulcrum* שות SCUT. 4. *Situla* Symbolum שתיה SCTIE, sive potationis et irrigationis.

3. *Lexeoschemata* ATHYR vel ATHOR sunt: 1. *Globus* דור DUR. 2. *Torques* טור THUR , et *Series* תור TUR, *Globulorum* דור DUR. 3. *Aspis* THER-muthis.

4. *Lexeoschemata* MUTH : 1. *Vestis adstricta* מד MD , quae corpus מדד MDD , metitur. 2. *Aspis Ther*-MUTH-*is*.

III. OSIRIS.

NOMINA , CHARACTERES , ET SYMBOLA OSIRIDIS MUTUO INTER SE REFERUNTUR.

ART. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres , et Symbola OSIRIDIS.*

I. *Nomina* praecipua sunt , OSIRIS , ISIRIS, SCICOR arcanum , publice datum *Nilo* OSIRIDIS effluxui.

II. *Characteres Theologici* sunt :

1. Deus bonus , beneficus , Rex felicitatis et gaudii.

2. Deus Elysiorum , Rex Tartari ; Animarum, sive Hominum defunctorum iudex.

3. Deus Solis , habitans et degens in Sole.

4. Deus Nili , Deus irrigationis , et inundationis.

5. Deus seminifer , fructifer , Agriculturae , Aratri , et Scerae inventor.

7

6. Deus Hymnorum et Cantus, Musicae praeses.

7. Deus arcanus, secretus, mysticus, segregatus, separatus, quiescens.

8. Deus alligatus, vinctus, adstrictus.

9. Deus laceratus, eviratus, discerptus.

10. Deus quaesitus, investigatus, et inventus, manifestatus, in lucem redditus.

III. *Symbola* praecipua OSIRIDIS sunt: 1. Forma iuvenilis, vel virilis. 2. Pili barbae partim rasi, partim implexi, et innexi 3. Color niger, fuscus. 4. Cidaris, mitra. 5. Torquis. 6. Pedes adstricti, coniuncti, fasciati. 7. Aratrum. 8. Flagellum frugum. 9. Uncinus. 10. Mensa Cibis onusta. 11. Taurus niger. etc.

Art. II. *Nomina OSIRIDIS respondent suis Characteribus Theologicis.*

1. Deus bonus, beneficus, utilis, rectus, aequus est 1. OSIRI עשיר OSCIR ditans, locupletans, abundantiam et copiam praebens; 2. est ISIRI ישר ISCR rectus, aequus, bonus: 3. est OSIRI אשר ASCR felicitas, voluptas, gaudium. 4. est ISIRI, שרי SCRI Dominus, Rex, שריר SCRIR perpetuus, constans, verus, שריא SCRIA, שרי SCRI principium et initium Rerum.

2. Deus Elysiorum, Rex Tartari est ISIRI SCICOR, nempe שרי SCRI, שחר SCCR, Rex Princeps Tenebrarum; שרי SCRI, חרש CRSC, Rex Silentum, Princeps Manium, qui peculiari nomine *Silentes* dicuntur.

3. Deus Solis, Deus habitans in Sole est iterum ISIRI SCICOR. Nam שרי SCRI est Dominus, שרה SCRE habitatio, חרס CRS Sol.

4. Deus Niliacus, Deus irrigationis et inundationis Niliacae est etiam ISIRI SCICOR; quia שרי SCRI Dominus, שיחור SCICUR Nilus.

5. Deus Agriculturae Praeses. Aratri, et Sicerae inventor, est ISIRI SCICOR: quia שרי SCRI Dominus, initium, principium, Aratrum, Ligo, Sarculum, arare, terram colere est חרש CRSC, et שכר SCKR est Sicera.

6. Deus Hymnorum et Canticorum, Deus Musicae Praeses est ISIRI, sive שרי SCRI Dominus, שור SCUR Cantus, Musices, et שירה SCIRE Cantici.

7. Deus arcanus, secretus, separatus, segregatus est ISIRI סריר SRIR, סור SUR, סיר SIR.

8. Deus adligatus, adstrictus, compeditus est OSIRI אסר ASR, אוסרי AUSRI, ut Nomen scribitur in Inscriptione Carpentoractis.

9. Deus laceratus, eviratus, discerptus est ISIRIS SCICOR. Nam רסס RSS est contritus, confractus, סרים SRIS est eviratus exsectus, שרח SCRC est laceratus, discerptus.

10. Deus quaesitus, investigatus, et manifestatus est SCICOR: Quia שרח SCRC est quaerere, investigare, et manifestare, declarare.

Art. III. *Symbola OSIRIDIS significant Characteres eius Theologicos.*

1. Deum beneficum, misericordem, bonum significant. 1. *Mensa* cibis plurimis onusta, Ideographice. 2. *Flagellum Frugum* מרוח MRUC, cuius temura est רחם RCM misericordia pietas.

2. Deum Elysiorum, Regem Defunctorum significant 1. *Flagellum frugum*, quod dicitur מ-צור M-TZUR, et מ-רוח M-RUC; atqui צור TZUR est custodire, coërcere, רוח RUC sunt Spiritus, Animae etiam separatae.

3. Deum Solis indicant 1. *Uncinus* קרס QRS, 2. *Torquis* קרש QRSC. 3. *Color niger* שחר SCCR 4. *Aratrum* חרש CRSC; quae sunt homiophona חרס CRS *Soli.*

4. Deum Nili significant haec eadem Symbola, quia *Nilus* est שיחור SCICUR.

5. Deum Agriculturae praefectum, Aratri, et Sicerae inventorem significant eadem Symbola, et ideographice insuper *Aratrum*, vel *Sarculum*, et *Flagellum frugum*.

6. Deum Hymnorum et Canticorum indicant. 1. *Taurus* שור SCUR, quia שור SCUR est etiam canere. 2. *Torquis* שירה SCIRE, canticum, hymnus, 3. *Pili barbae implexi*, sive שעיר SCOIR, דקן DQN, שבך, SCBK: Atqui שעיר SCOIR est Poëta, שעאר SCOAR poëma, carmen, דחה DCE pulsare organa musica, שבח SCBC laudare, שבכא SCBKA Sambuca musicum instrumentum.

7. Deum arcanum separatum סור SUR, שרה SCRE indicant. 1. *Taurus* שור SCUR 2, *Torquis* שיר SCIR. 3. *Mensa* שרה SCRE. etc.

8. Deum vinctum adligatum significant, 1. *Pedes* revera *coniuncti*, *colligati*, *fasciati* אסר ASR Ideographice. 2. *Uncinus* כפה KPHPH, quia כפת KPHT est vinxit adligavit. 3. *Cidaris* כתר KTR, quia קטר QTHR sunt vincula et ligamina.

9. Deum laceratum, percussum, discerptum, eviratum significant 1. *Uncinus* קרס QRS. 2. *Flagellum* מצור MTZUR. 3. *Torques* קרש QRSC.

10. Deum quaesitum, inventum manifestatum שרח SCRC significant omnia Symbola in quibus est huius Vocis homiophonon, vel Temura homiophona.

Art. IV. *Symbola OSIRIDIS sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. OSIRIDIS Lexeoschemata sunt. 1. Cidaris זר ZR, אזר AZR. 2. Torques שיר SCIR.

3. Pedes vincti, adstricti אסר ASR. 4. Pili barbae implexi vincti שעיר SCOIR, אסר ASR. 5. Mensa ciborum שרה SCRE. 6. Taurus שור SCUR.

2. SCICORIS Lexeoschemata sunt. 1. Color niger שחר SCCR. 2. Uncinus קרס QRS 3. Torquis קרש QRSC. 4. Aratrum vel Sarculum חרש CRSC. 5. Sol חרס CRS. 6. Nilus שיחור SCICUR.

IV. TYPHON.

Nomina, Characteres, et Symbola Typhonis sibi mutuo respondent.

Art. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola Typhonis.*

I. *Nomina* praecipua Daemonis sunt, 1. Typhon. 2. Typhoeus. 3. Apophi. 4. Smi, vel Smih. 5. Babin vel Babem, 6. Seth. 7. et Cemor cryptice et arcane.

II. *Characteres* praecipui sunt:

1. Daemon impurus, contaminatus, faeculentus, turbidus.

2. Maleficus, noxius, pestifer, corruptor, venenosus.

III. *Symbola* Daemonis praecipua sunt:

1. Ventus urens, aestuans, pestifer. 2. Vipera, Echydna, Serpens urens et venenosus. 3. Crocodilus. 4. Hippopotamus. 5. Asinus. 6. Bos rufus. 7. Vinum. 8. Color ruber. 9. Sus. 10. Sal.

Art. II. Nomina Daemonis respondent Characteribus suis.

I. TYPHON temurice טנף THNPH polluit, inquinavit, contaminavit.

1. TYPHOEUS est a צפעא TZPHOA Vipera venenosa, *Echydna*, quae mater *Typhoei* perhi-

betur. Tum צפע TZPHO est excrementum, impuritas.

3. AFOPHI est אף APH, אף APH ira, indignatio vehemens, atrox, vel פעפע PHOPHO obscuravit, tenebras et caliginem obduxit: vel אף APH iracunda אפעא APHOA Vipera, Echydna.

4. SMI est שם SCM vastatio, destructio, desolatio, vel SMIH temurice HIMS, חמס CMS, HMS raptor, violator, maleficus.

5. BABIN vel BABEM בהם BEM addita, ב B ad vim augendam, Bellua fera atrox immanis.

6. SETH est שוט SCUTH agitare, vexare; est שטה SCTHE furere insanire; est שחת SCET corrumpere, inficere, pestem et noxam inferre.

7. CEMOR חמר CMR est faeculentus, lutulentus, terreus, turbidus, materialis.

Art. III. *Symbola Daemonis significant Characteres eius.*

1. Daemonem impurum, contaminatum, faeculentum, terrestrem significant: 1. *Asinus* חמר CMR. 2. *Vinum* חמר CMR. 3. *Sus* lutulenta חמר CMR. 4. *Bos rufus* חמר CMR. 5. *Palus Sirbonis* faeculenta, foetida, impura חמר CMR.

2. Daemonem maleficum, noxium, pestiferum venenosum indicant 1. *Ventus* noxius et pestifer חמסין CMSIN. 2. *Crocodilus* חמס CMS. 3. *Hippopotamus* בהם BEM. 4. *Vipera venenata* אפעא APHOA.

SECTIO II.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA PHRYGUM.

CYBELE (1).

Nomina, Characteres, et Symbola CYBELES intimo nexu mutuo referuntur.

Art. I. Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola praecipua CYBELES.

I. *Nomina* praecipua *Deae* sunt. 1. *CYBELE*. 2. *CYBEBE*. 3. *RHEA*. 4. *DINDYMENE*. 5. *MATER*.

II. *Characteres* praecipui *Theologici* sunt:

1. Magna Parens, magna genitrix, altrix et nutrix Mundi.

2. Servatrix, opitulatrix, tutatrix, custos.

3. Pluvia, aquea, rigatrix, fulminans.

4. Dea montana, collium et montium amica, vaga, discurrens, bacchans, strepitus et rumores amans.

III. *Symbola* CYBELES praecipua sunt. 1. Caput turritum. 2. Velum. 3. Cymbalum. 4. Thronus. 4. Currus 5. Leones. 6. Flagellum,

---

(1) Vide Gyraldi Syntag. IV. pag. 138. 139 Nat. Comit. *Mytholog.* Lib. IV. Cap. 5 pag. 955. Schedium *de Diis German.* Pag. 147. 150. Rosin. et Dempster. *Antiq. Roman. libr.* 11. *cap.* 4 Pag. 130 ad 136. Pignorii *Magnae Matr. myster.* Georgii Dissert. *in* Thesauro *Inscript.* Murat. I. pag. 208. 220. etc Cuper. *Harpocrat.* Pag. 57. 58. etc. Zoega. *Bassi Rilievi.* Tom. I. Tav. 13. 14. Pag. 46. 47. *etc.* Accad. Ercolanes. T. VIII pag. 69. 70. 71. Saintecroix *Sur les Mysteres.* ed. Sacy. Tom. I. pag. 90. 91. etc.

7. Pedum. 8. Cista. 9. Flores. 10. Fulmen. 11. Funis, funiculi. etc.

IV. *Symbola* Gallorum Liturgica sunt. 1. Castratio. 2. Deglabratio. 3. Flagellatio. 4 Artuum incisio. 5. Furor religiosus. 6. Facies fucata. 7. Impuritates et nequitiae. 8. Sepultura sub lapidibus. etc.

Art. II. *Nomina Deae respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. CYBELE est חבל CBL gravida, praegnans, foecunda, quae peperit, quae parturit: Erit ergo CYBELE *magna Parens*. At חבל CBL est etiam strepitus, turba, tumultus: CYBELE ergo amabit strepitus et tumultus: Et quoniam גבל GBL homiophonon חבל CBL est *mons*, collis, tumuli celsi, erit CYBELE *montana*, et colles et montes amabit.

2. CYBEBE est a חבב CBB amare, diligere, fovere, complecti, ut mater filios חב CB sinu gremio fovet et complectitur חבב CBB. Unde iure erit iterum *magna Parens*.

3. RHEA temurice הרה ERE est gravida, praegnans, adeoque parens et genitrix: רוה RUE autem est fluere, rigare, irrigare. adeoque erit RHEA irrigatrix, et pluvia. רוע RUO est clamare vociferare strepitus edere, RHEA igitur strepitus et rumores amabit.

4. DINDYMENE est vox composita ex דוד DUD, Arabica pronunciatione DUND, vel DIND, et מנה MNE. Atqui דד DD est mamma, uber, et דאד DAD est *nutrix* altrix, et מנה MNE, est *dare*, tribuere, et אמונה AMUNE est nutrix altrix. Ergo DINDYMENE erit *magna Nutrix* et altrix Mundi. Et quia מנע MNO est *tutari*, defendere, protegere, erit etiam magna *tu-*

tatrix, et custos. At דדא DDA est vagari, discurrere, huc illuc pererrare, et המן EMN temura מנה MNE est turba, strepitus, tumultus. Ergo DINDYMENE amabit *vagationes*, et *tumultus*.

5. MATER, MATHER Semitice מטר MTHR pluvia, aqua Coelestis: unde CYBELE erit Dea pluvia, aquarum, et irrigationum datrix. MATER MATZER est מצור MTZUR praesidium, tutamen, custodia.

Art. III. *Symbola Deae respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. Magna Parens, magna altrix Mundi CYBELE חבל CBL significatur 1. a *Funiculis* חבל CBL flagellorum. 2. a *Strepitibus* et tumultibus חבל CBL. 3. a *Montibus* et *Collibus* גבל GBL. et הר ER, quos Dea amat. a 4. *Pedo* חבל CBL. 5. A *Rivis* et fluminibus sacris יאר IAR, רוה RUE significatur הרה ERE, RHEA gravida. Parens, ut 5. a *Strepitibus* רוע RUO, et 6. a *Leonibus* אריה ARIE. 7. A *Cymbalo* autem דוד DUD significatur דאד DAD nutrix, altrix, ut etiam 8. a *Cista* corbe pariter דוד DUD.

2. Magna custos, tutatrix, servatrix indicatur a 1. *Turri* צור TZUR, quae tuetur, custodit, servat. 2. a *Petra* צור TZUR. 3. a *Gladio* צור TZUR. 4. a *Flagello* מ-צור M·TZUR. 5. a *Leonibus rugientibus* נהם NEM, quia מנע MNO est muniri tutari.

3. Dea pluvia, rigatrix, aquarum datrix significatur 1. a *Flagro* מרט MRTH, quia מטר MTHR est pluvia: 2. a *Velo* סוך SUK, et *Throno* כס KS, quia ipsum סוך SUK est libare effundere, שקה SCQE rigare potare: 3. a *Fulmine* Ideographice: 4. et a *Rivis sacris* pariter Ideographice.

4. Dea montana, vaga, discurrens, bacchationes amans significatur, ab ipsis *Bacchationibus* et divagationibus *Gallorum*, et ceterorum Mystarum: 2. a *Cymbalo* דוד DUD, et 3. *Cista* pariter דוד DUD, quia homiophona דדא DDA vagari, divagari.

Art. IV. *Symbola Deae sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. CYBELEM exprimunt 1. *Turba*, et *strepitus* Pompae חבל CBL. 2. *Pedum* חבל CBL. 3. *Funiculi* flagrorum חבל CBL 4. *Ululatus* et gemitus dolentium חבל CBL. 5. homiophonon גבל GBL *mons*. Et 6. רכב RKB *Currus*.

2. RHEAM exhibent 1. *Rivi* Sacri רוה RUE. 2. *Clamores* strepitus רוע RUO. 3. *Montes* sacri הר הר ER ER.

3. DINDYMENEM repraesentant. 1. *Corbis* דוד DUD. 2. *Cymbalum* דוד DUD. 3. *Vagatio* Pompae דדא DDA, sive *Dinde* 4. et Leonum *rugitus* נהם NEM. 4. Et *turbae* catervae המן EMN, tumultuantes et strepentes המן EMN.

4. MATER, MTZER exhibetur a 1. *Turri* מ-צור M-TZUR. 2. A *Flagello* מ-צור M-TZUR. 3. *Gladio* צור TZUR. 4. *Lapide* sacro צור TZUR.

Art. V. *Symbola Gallorum Liturgica referuntur ad nomina CYBELES, et MATRIS.*

1. *Castratio*, eviratio, deglabratio est רצ RTZ, מ-רצ M-RTZ, מרט MRTH, טמר THMR, temurae מצר MTZR, MATRIS.

2. *Flagellatio* est מרט MRTH, et *flagellum* מצור MTZUR, utraque respondent MATRI. *Funiculi* flagrorum sunt חבל CBL, et respondent nomini חבל CBL CYBELIS.

3. *Incisiones* lacerationes membrorum sunt לחב LCB, *verberationes* sunt לבח LBC, temurae חבל CBL CYBELE.

4. *Gladii* quibus feriuntur sunt צור TZUR, מ-צור M-TZUR, MATER est homiophonon.

5. *Dementia* furor sacer est חבל CBL CYBELE ; est רטם RTHM temura Vocis MATHER.

6. *Impudicitiae*, nequitiarum patratio est רטם RTHM, temura מטר MTHR, est לחב LCB, temura חבל CBL.

7. *Cerussa*, qua Galli faciem oblinebant, est צור TZUR, מצור MTZUR, מצר MTZR MATER.

8. *Sepultura* sub *lapidibus* est טמר THMR, sub צור TZUR, מ-צצר MTZUR, quae respondent MATRI.

SECTIO III.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA GRAECORUM (1).

I. PALLAS ATTICA.

Nomina, Characteres, et Symbola PALLADIS intimo nexu inter se referuntur.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola PALLADIS.*

I. *Nomina* Deae praecipua sunt 1. PALLAS. 2. ATHENA. 3. NEITHA. 4. TRITONIA. 5. ONCA.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Dea sapiens, prudens, docta, consiliatrix, iudex, arbitra litium, Areopagi praeses.

2. Dea bellatrix, pugnatrix, triumphatrix, debellatrix Gigantum, malorum terror, bonorum tutela et auxilium.

3. Dea Technitis, Lanificii inventrix, Nentibus, et Texentibus praeses.

4. Virgo pura, casta, innupta.

---

(1) Vide Lil.Greg. Gyraldi *Syntagm. de Histor.Deorum:*
Nat. Comitis *Mythologiam.*
Vossium *De Idololatria.*
Rosini et Dempsteri *Antiq. Roman.*
Pomey *Pantheum Mythicum.*
Pitisci *Lexicon in Vocibus.*
Hofman. *Lex. Univ. in Vocibus.*
Aurelium Julianum *de cognomin. Deorum.*
Spanheim *ad Hymnos Callimach.*
Rasche *Lexic. Numism. in Vocibus.*
Visconti *Mus. Pio Clement. et Chiaramonti.*
Millin *Galler. Mytholog. etc. etc.*

III. *Symbola* praecipua Deae: 1. Forma Virginalis. 2. Vestis talaris, tunica. 3. Galea, saepe cum Sphynge, vel Pegaso. 4. Torques, vel Lorica Gorgonea. 5. Clypeus. 6. Lancea, vel hasta, quandoque Licium texentium. 7. Noctua. 8. Draco. 9. Cista. 10. Lucerna, lampas accensa. 11. Victoriola dexterae imposita. 12. Vela, Pepla. 13. Flores. 14. Rami oleae. etc.

Art. II. *Nomina Deae respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. PALLA fit a פלל PHLL, PALLA inquirere, discernere, diiudicare. PALLAS a פלש PHLSC PALLAS investigare, scrutari verum, et פלס PHLS PALLAS aequare, aequilibrare, iustam sententiam ferre, quae omnia sapienti et iusto Iudici sunt plane congrua.

2. PALLADI fit a פלל PHLL, פלא PHLA, sublime mirum acumen ingenii, mirabilis acies intelligendi, et cognoscendi, et ab ידע IDO scire, percipere, nosse, vel דע DO scientia. doctrina. Quin temura inversa nominis PALLADI, nempe ID-ALLAP est ab עד OD, ID iugis, perennis, aeterna, et אלף ALPH, ALLAP, scientia, doctrina. Adeo ut Dea PALLADI sit omnino et intime *Dea scientiarum* et doctrinarum, Dea sapientissima.

3. ATHENA est a טנן THNN, ATHENAN, cogitare, considerare, scire, studere, attendere: et a תנה TNE pro שנה SCNE, סנה SNE Sunna, scientia, doctrina, quae docetur et praedicatur: Adeoque ATHENA erit Dea sapiens et docta. At praeterea טוה THUE est nere, fila ducere, נ-טוה N-THUE sunt fila ducta, et vela filis intexta, et אטון ATHUN sunt funiculi, fila intorta: ATHENA igitur praeerit

insuper Nentibus, et Texentibus, fila ducentibus.

4. NEITHA est a נצרה NTZE lis, contentio, et נצח NTZC victoria, triumphus. Adeoque NEITHA erit Dea pugnarum, et victoriae.

5. TRITONIA est a דרי DRI Scientia doctrina, et טנן THNN studere, attendere; et a תנה TNE dare, docere, praedicare; vel est תרי TRI secunda altera, תנה TNE vel שנה SCNE Doctrina; aut δευτερα טנן THNN mens, cogitatio νους a Deo summo: Illa nempe *Mens*. quam *Sapientiam* per excellentiam plures Gentes appellarunt.

6. ONCA ab ענק ONQ fovere, complecti, adiuvare, defendere, tueri.

Art. III. *Symbola Deae significant ipsos suos Characteres Theologicos.*

1. Deam Sapientem עלם OLM, intelligentem בינה BINE, cogitantem, meditantem טנן THNN, docentem תנה TNE, doctam אלף ALPH, iudicantem פלל PHLL significant 1. Figura ipsa *Virginis* עלמה OLME, 2. *Galea* etiam עלמה OLME, in qua saepe *Sphynx*, saepe *Pegasus*, Stemmata docta et scientifica, ut vidimus Part. I. pag. 35. 36. 38. 39. insculpuntur. 3. *Hasta* בין BIN. 4. *Corbis* טנא THNA. 5. *Serpens* Draco תנין TNIN. 6. *Fila*, funiculi אטון ATHUN. 7. *Pepla*, vela נטוה NTHUE. 8. *Navis* אלף ALPH. 9. *Infans* לף LPH. 10 *Noctua* פליא PHLIA. 11. *Lampas* לפיד LPHID. etc.

2. Deam Bellicam, pugnatricem, victricem, debellatricem significant: 1. Ideographice ipsa *Arma*, quibus ornatur. 2. *Caput* Gorgoneum, de quo egimus in *Problematibus* pag. 30. 31. et 3., *Lorica* תחרה TCRE, de qua diximus Pag. 32.33. quum ipsa pugna praelium sit תחרה TCRE 4. *Victo-*

riola נצח NTZC dexterae imposita. 5. *Oves* sacrae צאן TZAN, quia arma sunt צנה TZNE, et contentiones pugnae נצה NTZE. 6. *Flores* נצ NTZ, quia נצח NTZC *Victoria*.

3. Deam Erganam, techniten, lanificio praesidem indicant: 1. *Vela* ipsa et Pepla Deae oblata. 2. *Arca*, *Corbis* arcanus ארגז ARGZ, quia ארג ARG est texere, subtexere.

4. Deam *Virginem* illibatam castam significant 1. *Forma Virginis* עלמה OLME. 2. *Galea* pariter עלמה OLME 3. *Vela*, lintea texta חור CUR, quia *Virgo* est חריה CRIE.

Art. IV. *Symbola Deae sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. PALLADIS Lexeoschemata sunt 1. *Noctua* פליא, 2. *Navis* אלף ALPH. 3. *Infans* לף LPH, לפי LPHI. 4. *Lumpas* לפיד LPHID.

2. ATHENAE, et 3. TRI-TONIAE Lexeoschemata sunt: 1. *Pepla* et *vela* facta ex filis אטון ATHUN, et נטוה NTHUE. 2. *Cista* טנא THNA. 3. *Draco* תנין THNIN. 4. exporrectus, explicatus נטע NTHO. 5. *Plantae Oleae* נטע NTHO, זיתונה ZITUNE.

4. NEITHAE Lexeoschemata sunt 1. *Victoriola* NICE נצח NTZC dexterae imposita. 2. *Arma* צנה TZNE. 3. *Flores* נצה NTZE. 4. *Oves* צאן TZAN.

5. ONCAE Lexeoschemata sunt 1. *Torques* ענק ONQ. 2. *Infans* ניק NIQ. 3. *Hasta* קנה QNE. 4. *Clamores* et vociferationes Palladi gratae אנק ANQ.

II. APOLLO DELPHICUS.

Nomina, *Characteres*, *et Symbola APOLLINIS inter se mutuo referuntur.*

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola APOLLINIS.*

I. *Nomina Dei* praecipua sunt. 1. APOLLO: 2. PAEAN. 3. PHOEBUS. 4. DELPHICUS. 5. PYTHIUS. 6. DELIUS. 7. CASTALIUS. 8. CARNIUS. 9. AGYAEUS.

II. *Characteres Theologici* praecipui:

1. Deus doctus, sapiens, plurimâ scientiâ praeditus, Poëtarum inspirator, Musices, Cantus, Poëseos Deus.

2. Deus Fatidicus, Vates, Propheta, Oraculorum promus, futurorum praenuntius.

3. Deus Salutaris, Medicus, morborum depulsor.

III. *Symbola Dei* praecipua sunt: 1. Forma iuvenilis, pulcra, decora, nuda 2. Coma prolixa. 3. Corona laurea. 4. Rami virides Lauri, vel Oleae. 5. Cithara. 6. Pharetra. 7. Sagittae. 8. Arcus. 9. Serpens 10. Corvus 11. Delphin. 12. Cortina, sive Tripus. etc.

Art. II. *Nomina Dei respondent Characteribus suis Theologicis.*

1. APOLLO est a פלל PHLL *Scire*, nosse, considerare, quin augurari, divinari, ominari, quae plenissime *Deo Delphico* congruunt.

2. PAEAN est temura homiophona נביא NBIA Prophetae, Vatis, et נפע NPHO utilis, boni, salutaris.

3. PHOEBUS fit a פי PHI, פה PHE ore, sermone, effato, אוב AUB Pythonis, Divini, loquentis ex *Ventre tumido* אוב AUB. De

qua *loquela ex Ventre* Vatum et Fatidicorum, sive *Engastrimythôn*, אוב AUB, hactenus egerunt Seldenus, Beyerus, Millius, Vandale, Bekkerus, Spencerus, Deylingius, Calmetus, aliique non pauci.

4. DELPHICUS est a דלי DLI *trahere*, extrahere, דלל DLL manifestare, aperire, פוח PHUC *Spiritum*, inspirationem fatidicam, afflationem propheticam, פוח PHUC *illaqueantem*, obscuram, ambiguam, decipientem, et חפה CPHE *crypticam*, involutam, obtectam: vel etiam, quia דלל DLL *aperit*, manifestat, quae sunt חפה CPHE *abdita*, et involuta, praepedita פוח PHUC.

5. PYTHIUS quasi PYTHICUS a פתח PHTC *pandere* manifestare, quae latent, quae futura sunt.

6. DELIUS a דלל DLL *manifestare*, aperire, pandere.

7. CASTALIUS a קשט QSCTH *veritate*, veracitate, et הל EL, איל AIL *Dei*, quasi sit *Veritas Dei*, vel Deus veracissimus.

8. CARNIUS a כנור KNUR *Cithara*, Lyra, et a קרן QRN alio musico *instrumento*, et a קרן QRN radio, splendore, irradiatione, quia *Apollo lucidus*.

9. AGYAEUS est ab הגה EGE *canere*, cantare, meditari, disputare, disserere, et a גהה GEE *curare*, mederi, sanare. Graeci, quia γυα est via, Semitis גיא GIA locus depressus humilis, fecerunt *Apollinem* Viarum praefectum.

Art. III. *Symbola Dei respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. Deum doctum, sapientem, Poëseos, Carminum, Musices peritissimum significant: 1. Ipsa *Chelys* vel Cithara Ideographicè. 2. *Corona Lau-*

rea כליל KLIL , דריא DRIE , quia דרה DRE est scivit , novit , כלי KLI perfectissime , חלל CLL *Organa musica pulsare*. 3. *Coma prolixa* שערה SCORE , פרע PHRO , vel ערף ORPH. Namque שער SCOR est metiri , carmina componere, שעיר SCOIR *Poëta* , שעאר SCOAR *Carmen*, Versus , Poëma , שור SCUR *canere* , cantare. Tum ערף est *Citharoedus* , vates , doctus , peritus. 4. *Forma pulcra* venusta etiam ערף ORPH-

2. Deum Augurem , Oracularem, Vatem significant: 1. *Nuditas* ipsa corporis חשף CSCPH , quia homiophonon כשף KSCPH est *divinare*, augurari , unde מ-כשפ-ים M-KSCPH-IM *Augures*, et Divini apud veteres Orientales. 2. *Pharetra* אשפה ASCPHE, quia אשף ASCPH est pariter *augurari* , et divinare , et inde אשפ-ים ASCPH-IM *Harioli*, Divini celebriores etiam apud easdem Gentes. 3. *Serpens* נחש NCSC , quia ipsum נחש NCSC est *Oraculum* , divinatio. 4. *Corvus* נעבא NOBA, quia נביא NBIA est *Vates*, propheta. 6. *Sagittae* חץ CTZ , חצה CTZE , quia חזה CZE est *Videns* , *Propheta* , Augur. *Sagittae* פתיח PHTIC , quia פתח PHTC est *aperire* manifestare obscura et abscondita. 7. *Arcus* est קשת QSCT , *Veritas* , verum , veracitas קשט QSCTH , sine qua *Vates* utilis, et qui ita dici possit , non est. 8. *Cortina Tripus* Delphicus Symbolum Systematicum *Oraculi*, de quo nonnulla diximus in *Problematibus* Sect. III. Num. 18. pag. 41.

3. Deum salutarem , medicum , medicinam facientem significant. 1. *Lauri Corona* sive דריה DRIE , פאר PHAR. Nam דריה DRIE est *scientia* peritia , et רפה RPHE temura homiophona פאר PHAR est *mederi*, *sanare* , curare. 2. *Coma prolixa* פרע PHRO , ערף ORPH , quia re-

spondet eidem רפה RPHE *curare*, sanare. 3. *Serpens* תנין TNIN, et חיה CIE, quae homiophona תנה TNE, חיה CIE dans, praebens vitam, valetudinem bonam, ut etiam in *Problem.* animadvertimus pag. 87. 4. *Delphin* עפין OPHIN, quia temura homiophona נפע NPHO est *iuvit* adiuvit, salutaris fuit. 5. Cui voci respondent etiam *Rami* עפין OPHIN *Lauri* Deo sacrae.

Art. IV. *Symbola Dei sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. APOLLINEM exprimunt 1. Ipsa Dei *Oracula*, ipsa Dei Auguria פלל PHLL, APULL, APOLLO. Tum 2. נבל NBL *Lyra*, Cythara, et 3. נבל NBL pariter *Spiculum*, Sagitta: quia sunt temurae homiophonae satis commodae APOLLIN-IS.

2. PAEANA exhibent 2. *Piscis Delphin* עפין OPHIN. 2. *Rami* virides Lauri etiam עפין OPHIN. 3. *Corvus* נעבא NOBA.

3. PHOEBUM indicat *Serpens Ubaeus* אוב AUB, addito פי PHI vel Vipera אפעא APHOA, Nam *Serpente* posse *Os Oris* significari *Horus* tradidit, nosque in *Hieroglyph. scriptis* Sect. I. pag. 24. animadvertimus.

4. DELIUM indicat *Pharetra* תלי TLI.

5. DELPHICUM et *Pharetra* תלי TLI, et *Retes*, qua *Cortina* obtegi solet, dicta פוח PHUC.

6. PYTHIUM *Serpens* PYTHON פתן PHTN indicat, et *Sagittae* פתית PHTIC.

7. CASTALIUM exhibet *Arcus* קשת QSCT.

8. CARNIUM Lyra *Cithara* כנור KNUR.

9. AGYAEUM repraesentant ipsi Cantus *Apollinis* הגה EGE, ipsae Medicinae גהה GEE, etc.

*

III. MERCURIUS ARCAS.

Nomina, Characteres, et Symbola MERCURII intimo nexu mutuo referuntur.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola Dei.*

I. *Nomina* praecipua sunt: 1. HERMES. 2. ARCAS. 3. ACACESIUS. 4. ALYCHMIUS. 5. CADMILUS. 6. CYLLENIUS. 7. MERCURIUS Romanis.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus legatus, missus, qui iussa et praecepta Deorum coelestium in Terras, vel Tartarum fert, et nuntiat.

2. Deus adeo sermonis, eloquutionis, eloquentiae, acutus, ingeniosus, versutus, subdolus, deceptor.

3. Praeses viarum. 4. Athletarum. 5. Musicorum, Psallentium. 6. Mercatorum, et Negotiatorum.

7. Psychopompus, deductor Animarum ad Inferos.

III. *Symbola Dei* praecipua sunt: 1. Forma iuvenilis, pulcra, decora. 2. Petasus sive Pileus alatus. 3. Pedilia alata. 4. Virga, baculus, Caduceus, de quo diximus in *Problem.* Sect. III. Num. XIX. XX. pag. 42. 43. 5. Bursa, crumena. 6. Phallus. 7. Acervi Lapidum. 8. Statuae truncae, Hermaicae ob ipsum Hermem dictae. 9. Linguae abscissae. 10. Agnus, aries. etc.

Art. II. *Nomina Dei significant Characteres suos Theologicos.*

1. HERMES, HERME est a חרם CRM, HRM addictus, *consecratus*, separatus, devotus אמר AMR loquendo, orando, legationes obeun-

do, et exsequendo, et ימר IMR consultando, consilia ineundo, quod *Legati* et *missi* est. At מחר MCR est aestimatiol, pretium, commutatio rerum, et מכרה MKRE temura homiophona חרם CRM, et אמר AMR, est *negotiari*, mercaturam facere, exercere: Ergo Hermes praeerit *mercaturae* et negotiationi. Quin HERMES חרם CRM erit *deceptor*, et dolosus, quia מכר MKR est etiam *deceptor* et astutus, et quia רמה RME, רמי RMI temura homiophona *Hermi*, est *dolus*, astutia, fallacia.

2. ARCAS, ARCADI est ab ארח ARC *iter facere* proficisci, quia *Legati* peregre semper et ad alia loca mittuntur. Tum דרך DRK, et דרג DRG temurice et homiophonice ARCADI sunt *ambulare*, iter facere. Et דכר DKR alia temura Vocis ARCADI est *memoria*, recordatio, *Legato* essentialis, ut accurate exsequatur iussa Domini sui. Deus porro *Viator*, Deus, qui *iter* essentiâ muneris sui carpit, praeerit etiam *Viatoribus*, et idcirco *Negotiatoribus*, qui fere semper sunt viatores.

3. ACACESIUS est, qui אח AC *fratri*, propinquo, vel אחא ACA *coetui* conventui, חסה CSE CESI sanctum, pium, benignum, חכה CKE, ACACE nuntiat, annuntiat, narrat שש SCSC SCUS *gaudium*, nuntium bonum, laetum. At חוה CUE homiophonon ACA est mens, attentio, consideratio, peritia, חסס CSS CESIUS est *numerare*, supputare, calculare, quod omnino est *Negotiatorum*, et *Mercatorum*: Ideo *Mercurius* praeerit *Mercatoribus*, et Negotiatoribus. Praeterea כיס KIS est *Lucta*, *Palaestra*: Ergo *Mercurius* ACACESIUS praeerit etiam אחא ACA *coetui*, conventui, כיס KIS *Luctantium*, Athletarum.

4. ALYCHMIUS fit a temura מלאך MLAK *Angelus*, missus, Legatus, qui כלם KLM temurice ALYCHM alloquitur, sermonem habet ad איש AISC, IUS Homines de praeceptis et iussis מלך MLK *Regis* supremi. At ALYCHM est temura homiophona לחם LCM *pugnae*, Palaestrae, איש AISC Hominum. Ergo *Mercurius* ALYCHMIUS praeerit etiam *Palaestris.*

5. CADMILUS fit a חדם CDM *minister*, administer, et הל EL, איל AIL *Dei*, Numinis summi: vel est ipse *Deus Minister* הל EL, חדם CDM.

6. CYLLENIUS est קול QUL, vox, sermo לין LIN *demulcens*, placans, quiescere faciens, איש AISC *Hominis*, quod boni *Legati* est. Et inverse שוה SCUE *aequat*, exaequat omnibus, נהל NEL *perficit*, absolvit, לוח LUC *tabulas*, praecepta. iussa, quae ei Deus summus tradidit. At CYLLENIUS fit etiam a חלל CLL *Psallere*, pulsare organa musica, et נאי NAI *pulcre*. iucunde: Erit ergo *Mercurius* inventor חלל CLL *Chelys*, et praeses Musicorum.

7. MERCURIUS est מר MR, MER, *Dominus* Princeps, חרר CRR CUR festinus, celer, שוע SCUO *advocans* compellans, vel שוה SCUE *aequans*, ordinans, רוח RUC *Spiritus*, Animas, רם RM, REM *separatas* Defunctorum. Et temura iterum inversa est שרי SCRI, SUIRU dominus *Princeps*, חרם CRM, HREM, *Hermes.*

Art. III. *Symbola Dei significant Characteres eius Theologicos.*

1. Deum Legatum, missum ad praecepta *Iovis* ferenda et exsequenda, et adeo facundum et eloquentem Deum significant. 1. *Petasus*. et 2. *Talaria* alata Ideographicê 3. *Baculus* שלח

SCLC, quia idem שלח SCLC est *missus*, *Legatus*. *Baculus* virga iterum מקל MQL, quia מלאך MLAK temura homiophona est *missus*, angelus. 4. *Caduceus* virga sanctitatis et iustitiae, quia supra in *Problem*. Sect. III. Num. XIX Pag. 42. omnes characteres iustae et verae legationis eo contineri et significari ostendimus. 5. *Aries*, *Agnus* אמר AMR, quia *Legatus* fert אמר AMR sermonem, praecepta Domini sui: *Aries* חמל CML, quia *Legatus* חמל CML *gestat*. fert אמר AMR verba solemnia: *Agnus* קשט QSCTH, quia אמר AMR verbum *Legati* Divini est קשט QSCTH *verum*, sincerum, fidele. 6. *Phallus* בשר BSCR, quia ipsum בשר BSCR est *nuntiare* annuntiare laeta, fausta, utilia. *Phallus* דכר DKR, quia דכר DKR memoriale memorandum, significat plura esse, quae in Legatione sunt *memoria* retinenda. 7. *Bursa*, *crumena* המינה EMINE homiophonon אמונה AMUNE *veritati*, veracitati, fidelitati. 8 *Linguae abscissae* Ideographicê.

2. Deum astutum, versutum, Palaestrae, et Negotiationi praesidem significant 1. *Bursa* כיס CIS. 2. *Pileus* כסה KSE, quia est homiophonon כיס KIS *Bursae*, et כסס KSS est *calculare*, supputare. 3. *Cumuli Lapidum* חמר CMR, quia מכר MKR ipsum est *versutus* et subdolus, et מכרה MKRE homiophonon est mercari, mercaturam exercere.

3. Deum Phychopompum, Animarum deductorem indicant. 1. Iidem *Cumuli* חמר CMR, *Lapidum* סלע SLO, quasi רח RC, רם RM *Spiritus* Animae *separatae*, שלה SCLE quiescentes, in quiete positae, *silentes* indicentur, 2. *Statuae Hermaicae* חרם CRM, ob eamdem rationem.

Art. IV. *Symbola MERCURII sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. HERMIS, et MERC-U RII Lexeoschemata sunt: 1. *Statuae Hermaicae*, quasi חרם CRM *trunci*, manci, איש AISC *homines* 2. *Cumuli Lapidum* חמר CMR, et רגם RGM. 3. *Baculus* virga כרם KRM, et. 4. *Phallus* כמר KMR.

2. ARCADIS Lexeoschemata sunt. 1. *Phallus* דכר DKR. 2. *Aries* etiam דכר DKR. 3. *Baculus*, Virga דרך DRK, vel טרק THRQ. 4. *Cumulus Lapidum*, sive חמר CMR, דכר DKR *acervus memoriae*, vel דרך DRK *viae*, itineris.

3. ACACESII Lexeoschemata sunt 1. *Pileus* כסה KSE. 2. *Bursa* כיס KIS. 3. *Lucta*, Palaestra etiam כיס KIS.

4. ALYCHMII Lexeoschemata sunt 1. *Baculus* מקל MQL. 2. *Aries* חמל CML. 3. *Lucta* Athletarum לחם LCM.

5. CYLLENII Lexeoschema est *Chelys* חלל CLL, נאי NAI *pulcra*.

IV. BACCHUS THEBANUS.

Nomina, Characteres, et Symbola BACCHI inter se mutuo et intime referuntur.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola BACCHI.*

1. *Nomina* praecipua sunt 1. DIONYSUS, ADONEUS, 2. BACCHUS. 3. BASSAREUS. 4. SABAZIUS. 5. ELELEUS. 6. MORYCHUS.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus splendidus, Lucifer, gloriosus.

2. Deus coelestis, humana carne indutus cum Hominibus conversans, Deus praesens, Epiphanes.

3. Deus exspectatissimus, exoptatissimus.

4. Bonus, misericors, omnium malorum depulsor, omnis laetitiae, omnis gaudii dispensator.

5. Deus seminifer, fructifer, Agriculturae praeses, Vini, et omnis copiae et abundantiae largitor.

III. *Symbola* praecipua Dei sunt 1. Figura iuvenilis, tenera, carnosa, mollis. 2. Corona Hederacea. 3. vel Pampinea. 4. Thyrsi, palmites, surculi arborum. 5. Corbes variorum fructuum. 6. Hydriae, et Amphorae viniferae. 7. Ferulae. 8. Vanni, Cribri. 9. Larvae Scenicae. 10. Faeces. 11. Faces taedae. 12. Pelles hinnulorum, et cervorum. 13. Caro cruda. 14. Phalli. 15. Serpentes. 16. Tauri. 17. Asini. 18. Pardales. 19. Hirci. 20. Vitta, taenia. 21. Tubae, buccinae. 22. Strepitus. 23. Ebrietas. 24. Furor. 25. Chori, Choreae. 26. Hymni, Cantus etc. etc.

Art.II. *Nomina BACCHI congruunt Characteribus eius Theologicis.*

1. DIONYSUS, et ADONEUS fiunt ex אדן ADN, DION *Dominus* princeps, עדן ODN Edenis, Voluptatis, deliciarum, et שש SCSC, SUS gaudii, et felicitatis summae: quae ipse Deus נסס NSS, NYSOS attulit protulit, duratura עד OD, DIO aeternum, semper.

2. BACCHUS est temura שבח SCBC *gloriosus*, laudabilis, splendidus: Est 2. temura שבק SCBQ *bonus*, miserator. qui condonat, parcit. 3. Est temura סבק SBQ *victor*, triumphator, qui pugnavit, et vicit hostes: 4. Est temura צבח TZBC, quasi SBC, qui *illuxit*, resplenduit, apparuit, Epiphanes fuit.

3. BASSAREUS est בשר BSCR laetarum rerum *nuntius*, bonorum nuntiorum lator, felicia, utilia, iucunda Hominibus ferens et manifestans: Est temura שבר SCBR, spes, expectatio, fidu-

cia Hominum : Quumque בצר BTZR *Vindemmia* sit homiophonon בשר BSCR , et שרב SCRB temura sit *bibere* , potare ; *Bacchus* praeerit etiam *Vindemmiae* , et *Potui* ex vinea.

4. SABAZIUS , SABASIUS est a צבא TZBA, צבי TZBI, SSABI *benevolus*, bonus , amans , qui militat צבא TZBA in hostes , et oppugnat , prosternit , et שבה SCBE captivos ducit eos.

5. ELELEUS est ab הלל ELL *apparuit* , effulsit , epiphanes fuit..

6. MORYCHUS est a רחם RCM *pietas*, *misericordia* , benevolentia erga Homines , quos visitavit oriens ab alto , et bonis omnibus cumulavit.

Art. III. *Symbola BACCHI exprimunt Characteres eius Theologicos.*

1. Deum lucidum , splendidum , gloriosum , Epiphanem, hominibus manifestum, cum hominibus in Terris conversantem et agentem significant 1. *Faces* , taedae , lampades צבח TZBC. 2. *Bos Taurus* בקר BQR , quia בקר BQR est etiam Aurora diluculum. 3. *Fulmen* fulgur ברק BRQ Ideographice , et Lexeographice. 4. *Hircus* בריח BRIC , quia est temura homiophona ברק BRQ , et בקר BQR. 5. *Hedera* חצב CTZB temura צבח TZBC *illuxit*. 6. *Hydriae* pariter חצב CTZB. 7. *Rami arborum* , plantae etiam חצב CTZB. 8. *Hymni* , Cantica הלל ELL , quia הלל ELL est etiam *illuxit* , apparuit. 9. *Choreae* Saltationes etiam הלל ELL. 10. *Furores* dementiae etiam הלל ELL. 11. *Scommata* ioci etiam הלל ELL.

2. Deum Coelestem cum Hominibus agentem, forma Humana, Corpore carneo cum eis conversantem significant 1. Ipsa figura Dei *carnosa* , carne plena , ut vera in *Carne* Epiphania exprimatur.

2. *Caro* cruda בשר BSCR. 3. *Pudenda*, *uterus*, *metra* שבר SCBR, via generationis *carneae*, et *Spes*, expectatio, desiderium. 4. *Ferula* narthex שבר SCBR, etiam temura בשר BSCR *Carnis*. 5. *Tubae* Buccinae שפר SCPHR. 6. *Potatio*. ebrietas שבר SCBR, סבר SBR, שרב SCRB. 7. *Larvae* personae ברש BRSC. 8. *Placentae* liba ברש BRSC. 9. *Agitationes* vibrationes solitae in Bacchanalibus בשר BSCR, quod est etiam ipsa Caro.

3. Deum misericordem, bonum, beneficum significant 1. *Vinum* חמר CMR. 2. *Asinus* חמר CMR. 3. *Faeces* חמר CMR. 4. *Vitis* כרם KRM 5. *Palmites* חרם CRM. 6. *Hastae*. Lanceae רמח RMC. 7. *Vannus* cribrum מרוח MRUC, quae sunt vel temurae purae vel homiophonae רחם RCM *Pietatis*, et *misericordiae*, et ipsius רחם RCM uteri et metrae ad epiphaniam Anthropomorpham necessaria.

4. Deum auctorem omnis copiae, et abundantiae, fructiferum, viniferum, seminiferum indicant Ideographice 1. *Corbes* fructuum. 2. *Hydriae* vini. 3. *Flores*. 4. *Rami* plantarum, Palmites, *Coronae* pampineae. 5. *Vindemmia*. Et Lexeographice omnia Symbola in quibus est חצב CTZB, sive ipsum, sive per Temuras, quia חצב CTZB est *ferax*, fructuosus fuit, uberes fructus protulit.

Art. IV. *Symbola BACCHI sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. DIONYSI Lexeoschemata sunt 1. *Forma Humana* tenera et mollis עדין ODIN, איש AISC. 2. *Hymni Cantus* Pompae הוד EUD, היד EID, vox ovantium clamantium, נשא NSCA elevata, *alta*. 3. *Corbes* fructuum pleni, deliciae plures in Pompa ductae, quae sunt עדן ODN, נשא

NSCA, et adeo Lexeoschemata DIONYSI.

2. BACCHI Lexeoschemata sunt: 1. *Vitta*, taenia, diadema, proprium Dei BACCHI ornamentum, ut innuimus in *Problem. Hierographicis* Sect. III. n. 4. pag. 27. 28. שבך SCBK, et סבך 2. *Torques*, armillae ipsum סבך SBK. 3. *Canistri*, *Calathi* viminei שבך SCBK. 4. *Palmites*, rami virides, et implexi שבך SCBK. 5. *Palmites* et malleoli *Vitis* שבק SCBQ. 6. *Taedae*, faces חשב CSCB. 7. *Torcularia*, praela חשב CSCB etc. in quibus omnibus est temurice BACCHUS. Quae vox, si facta est etiam a temura חצב CTZB sunt ad minimum alia decem *Symbola*, quae sunt eius *Lexeoschemata*, et quae facile possunt a quocumque animadverti.

3. BASSAREI Lexeoschemata sunt. 1. *Forma* Dei *Carnosa* בשר BSCR. 2. *Caro* cruda בשר BSCR. 3. *Phalli* בשר BSCR. 4. *Agitationes* vibrationes membrorum בשר BSCR. 5. *Ferula* שבר SCBR. 6. *Tubae* שפר SCPHR. 7. *Compotationes* שבר SCBR, et שרב SCBR. 8. *Turbae* tumultus ברש BRSC. 9. *Larvae* personae ברש BRSC. 10. *Placentae* Liba ברש BRSC. etc. etc.

4. SABAZII Lexeoschemata sunt 1. Forma *iuvenilis* צבי TZBI. 2. Pelles *Hinnulorum* צבי TZBI. 3. *Cervorum*, *Caprearum* צבי TZBI. 4. *Pardales* צבע TZBO. 5. *Viperae* צבעא TZBOA. 6. *Tinctura* faecum צבע TZBO. 7. *Phalli* אצבע ATZBO. 8. *Turbae*, Catervae צבא TZBA.

5. ELELEI Lexeoschemata sunt 1. *Cantica*, hymni הלל ELL. 2. *Furores* הלל ELL. 3. *Choreae* tripudia הלל ELL. 4. *Ioci* Scommata הלל ELL.

6. MORYCHI Lexeoschemata sunt 1. *Vinum* חמר CMR. 2. *Asinus* חמר CMR. 3. *Faeces* חמר CMR. 4. *Vitis* כרם KRM. 5. *Hastae* lanceae רמח RMC. 6. *Vannus* cribrum מרוח MRUC etc. etc.

SECTIO IV.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA ROMANORUM.

I. JANUS (1).

NOMINA, *CHARACTERES*, *ET SYMBOLA* ***JANI*** *INTER SE MUTUO REFERUNTUR.*

ART. I. *Recensentur praecipua Nomina*, *Characteres*, *et Symbola JANI.*

I. *Nomina* praecipua sunt: 1. JANUS. 2. PATULCIUS. 3. CLUSIUS. 4. CONSIVIUS.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus Mundi Conditor, Demiurgus sapientissimus, Catus Rerum Sator, initium Deorum.

2. Deus Anni, saeculorum, aevi.

3. Deus numerorum, calculi, usurae, commercii.

4. Deus Pacis, et Belli.

III. *Symbola* praecipua sunt. 1. Figura senilis, barbata. 2. Duo capita obversa, uno interdum pileo tecta, facies duplex simillima. 3. Digiti manuum ita dispositi, ut numerum dierum Anni exprimerent. 4. Clavis. 5. Baculus. 6. Navis. 7. Rete. 8. Corollae 9. Lauri. 10. Vestis. 11. Nummi. 12. Strenae. etc.

---

(1) Vid. Hofman, et Pitiscum in *Lexicis*. Rasche *Lexic. Numism.* in *voce*, et *Supplem.* Gyraldi Deor. Histor. Synt. IV. pag. 154. 155. Rosini et Dempster. *Ant. Roman.* Libr. II. Cap. III. pag. 210. 211. etc.

ART. II. *Nomina Dei Romani Characteribus eius Theologicis respondent.*

1. JANUS ינש INSC temura perfecta שני SCNI *Secundi*, alterius a magno Patre *Coelo. Magnus* NOYΣ sono et re, ille ipse de quo Oracula Chaldaica loquuntur :

Παντα γαρ εξετελεσσε Πατηρ, και Νῳ παρεδωκε
Δευτερῳ, ον πρωτον κληιζεται εθνεα ανδρων.

Et qui שנה SCNE *convertit* formas Rerum, et alias mutat et condit, ut Demiurgus: At שנה SCNE est *Annus*: Ergo *Deus* שני SCNI *secundus* erit etiam *Deus* שנה SCNE sive *Anni*. 3. At temura שנה SCNE, est נשה NSCE *foenus*, usura, negotiatio: Ergo JANUS שני SCNI praeerit *foenori*, et usurae נשה NSCE. 4. Tandem שאן SCAN vel שינא SCINA *pax. tranquillitas*, securitas est homiophonon שנה SCNE. Ergo JANUS שני SCNI praeerit etiam *paci* et *quieti* publicae שאן SCAN.

2. JANI nomen factum est ex contractione vocum Semiticarum אין AIN, און AUN, הון EUN, quasi esset celeberrimum illud AVEN, vel AN Palaestinorum, et ON Aegyptiorum : Quod et superius attigimus Pag. 80. Certe JANI Romanorum est הון EUN *mens*, *Nous*, *intelligentia*, est הון EUN iterum *initium Deorum*, principium Rerum, qui primus molitur Rerum Creationem, a quo און AUN *tempora* incipiunt, ex אין AIN vacuo, et *Chao* primordiali.

3. PATULCIUS est a פתח PHTC *aperire manifestare* pandere; et לחש LCSC loquendo, pronuntiando, imperando; quod Demiurgi est, et *Satoris nitidi Mundi*.

4. PATULCII est פתח PHTC. קול QUL vox *manifestans* res Chao abditas, vel פתח PHTC,

כל KL *manifestans omnia*, cuncta ; vel פתח PHTC, כלה CLE *manifestationis* Mundi principium , *apparitionis* Rerum initium.

5. PATULCIUM est פתח PHTC *aperiens*, כלם KLM *sermone* verbo , vel לחם LCM *affabre* , concinne , opportuna dispositione. At לחם LCM est etiam *Bellum* , pugna, praelium: Ergo JANUS PATULCIUM *aperiet* פתח PHTC , פתיח PHTIC *fores* , לחם LCM *Belli*.

6. CLUSIUS , CLUSII est a כלה KLE *perficere* absolvere, et שוה SCUE *aequare* , exaequare , omnia ordine disponere , quod egregii *Demiurgi*, quod *cati Satoris* est. At כלא KLA est *claudere* , occludere, שאה SCAE sunt *clamores*, vastationes , desolationes , quae *Bellorum* sunt. JANUS ergo שאן SCAN *pacificus* , tranquillus, fiet CLUSIUS , et *claudet fores Belli*.

7. CONSIVIUS, CONSIBIUS est a חשב CSCB, CSB , COSIB, quae vox, nasali inserta , fit *Consib*, *Consiv* ; quod plurimis Orientalibus frequens : חשב CSCB autem est *cogitare*, considerare , deliberare , quod *Satoris Mundi* proprium. At חשב CSCB est etiam *calculare* , numerare , supputare : *Demiurgus* ergo *Consivius* praeerit numeris, calculo , foenori , et negotiationi , quae *calculo* constant. Si vero CONSIVIUS est quasi CONSERIVIUS , ut alii putant , tum fiet a חרש CRSC, cuius temura est *consere* , et significat *opificem*, artificem , conditorem , *Demiurgum* , et est ipse *Cerus* veterum Latinorum *Creator*, *Conditor*.

Art. III. *Symbola JANI significant eius Characteres Theologicos.*

1. Demiurgum , Conditorem huius Mundi mutabilis , variis , et diversis formis constantis , peribilis , egregie significat 1. *Facies duplex* פנה

PHNE, שני SCNI. Nam פנה PHNE est *forma*, quae corrumpitur, et mutatur, et שנה SCNE est quae *vertitur*. et iteratur. 2. *Claves*, et *Portae* פתיח PHTIC, quia *Janus* est פתח PHTC *Phtha* Romanonum, qui manifestat invisibilia et confusa in Chao. 3. *Corona Laurea* כליל KLIL דריה DRIE, quia est חלה CLE *initium*, principium, et כלה perfectio absolutio; הדר EDR, עדר ODR *Ordinis* et Systematis Mundani, et כל KL, דור DUR *omnium generationum*: Quod constitui non potuit absque *perfectissima* כלה KLE, *Scientia* et sapientia דריה DRIE. 4. *Navis* אני ANI temura homiophona אין AIN nihili, *vacuitatis*, et confusionis, quae erat ante *Creationem*, הון EUN qui incipit, qui initium Rerum facit, qui aptat, ordinat, constituit.

2. Deum Anni, et Periodorum Mundi significat- 1. Eadem *facies duplex* שני SCNI, quia *Annus* est שנה SCNE. 2. *Baculus virga* שען SCON temura homiophona שנה SCNE *Anni*. 3. *Navis* אני ANI temura homiophona און AUN *Anni*, et temporis.

3. Deum Numerorum, Calculi, foenoris indicant 1. *Gestus* digitorum numerantium חסס CSS, חשב CSCB, מכס MKS. 2. *Pileus* כסה KSE, quia numerare est כסס KSS, מ-כס M-KS. 3. *Facies* secunda שני SCNI, quia נשה NSCE est *foenerari* negotiari. 4. *Baculus* שען SCON. 5. *Vestis* מד MD. quia מדד MDD est *metiri*, aestimare, adeoque *numerare*.

4. Deum Pacis, et Belli significant: 1. *Baculus* שען SCON homiophonon שאן SCAN *pacis* et securitatis, et מקל MQL temura homiophona לחם LCM *Belli*. Idem *Baculus* est שבט SCBTH homiophonon שבת SCBT *quietis* et tranquillitatis: et שלח SCLC, quod est etiam *iaculum* et

missile praeliorum. 2. *Clavis* פתיח PHTIC indicat etiam פתיח PHTIC *iacula* et sagittas bellicas. 5. *Vestis* שלמה SCLME significat *quietem* et tranquillitatem Pacis שלום SCLUM.

Art. IV. *Symbola JANI sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. Lexeoschemata Nominis JANUS, quasi INS sunt 1. Facies *secunda* altera שני SCNI temurice INS, JANUS. 2. Facies *obversae*, retroversae שנה SCNE. 3. Figura plerumque barbata *Senilis* ישן ISCN, ISN. 4. *Baculus* שען SCON. 5. *Foenora* ipsa, et negotiationes נשה NSCE.

2. Lexeoschemata JANI sunt 1. *Navis* אני ANI temura JANI. 2. *Nummi*, monetae Symbola substantiarum et divitiarum און AUN, הון EUN, quae voces homiophonae sunt voci JANI.

3. Lexeoschemata PATULCII sunt 1. *Fores, Ianuae omnes* Aedium פתיח PHTIC. כל KL. 2. *Claves omnes* Portarum פתיח PHTIC, כל KL. 3. Ipsa *Forium*, et quasi Tabularum לוח LUC, *diductio*, et expansio פתיח PHTIC. 4. *Nummi caelati* פתיח PHTIC, קלע QLO.

4. Lexeoschemata CLUSII sunt 1. Ipsae *Ianuae* כלא CLA *clausae*: 2. et *Coronae* כליל KLIL. 3. et *Strenae* ex variis *Elementis* כלאים KLAIM compositae.

5. CONSIVII Lexeoschemata habent 1. *Gestus* digitorum numerandi כסס KSS, חשב CSCB, סכם SKM: 2. et *Pileus* כסה KSE, מ-כסה M-KSE.

II. VESTA VIRGO (1).

NOMEN, CHARACTERES, ET SYMBOLA PRAECIPUA *VESTAE* INTER SE MUTUO REFERUNTUR.

ART. I. *Recensentur Characteres, et Symbola praecipua VESTAE Virginis.*

I. *Characteres* praecipui *Deae* sunt:

1. Dea Ignis et Foci, tum Domestici, socialis, Urbani, tum Mundani, et totius Universitatis.

2. Dea firmitatis, stabilitatis, perennitatis, adeoque pluribus ipsa Tellus, ipsa Dea Terra.

II. *Symbola* VESTAE praecipua sunt 1. Figura muliebris, 2. Velata, obnupta. 3. Pateram dextera porrigens, 4. Et ante Aram lapideam, cubicam, 5. et Ignem in ea luculentum adstans. 6. Quin Symbolum sacratius eius fuit Ignis arcanus secretus perpetuus perennis, in penetralibus Templi a Vestalibus summa cura servatus.

ART. II. *Nomen VESTAE virginis congruit Characteribus eius Theologicis.*

1. VESTA *Virgo* est אשתא ASCTA, עלמה OLME: At אשתא ASCTA est *Ignis*, focus, et עלם OLM est secretus, abditus, עלם OLM perpetuus perennis, עלם OLM *Mundi*, Mundanus. Tum אלם homiophonon עלם OLM est *Vestibulum*, pars Domorum et Aedium. et insuper collectio, congregatio hominum. Ergo erit insuper VESTA אשתא ASCTA *focus*, ignis socialis et domesticus.

---

(1) Vid. Hofmanni, et Pitisci Lexica in *Voce*. Rosini et Dempsteri *Antiquit. Roman.* Libr. II. Cap. 12. Lipsium de *Vesta*, et Spanheim de *Vesta*. et *Prytan.* Rasche *Lexic. Numis. in Voce.*

2. VESTA אשתא ASCTA est temura homiophona שתה SCTE *fundatio* ; fundamentum, basis, et עלם OLM est *Mundus*, aevum, perennitas, aeternitas : Ergo VESTA *Virgo* אשתא ASCTA, עלמה OLME est Fundamentum, et *Basis* perennis et perpetua *Mundi*, quae *vi sua stet* et maneat, et cetera *manere* faciat : Adeoque secundum ipsos Veteres sit *Terra*, ipsa Tellus, ipsa sedes Deorum et Hominum firmissima et tutissima.

Art. III. *Symbola VESTAE significant eius Characteres Theologicos, et indicant Nomen.*

1. *Figura Mulieris* אשה ASCE, אשת ASCT significat *Ignem*, *Focum* אש ASC, et אשת ASCT. *Mulier* אשה ASCE, אשת ASCT significat Fundamentum *Basim* אשיש ASCISC, fundamenta אשיות ASCIUT, et שתה SCTE *fundare*, ponere.

2. *Virgo obnupta*, tecta, velata est עלמה OLME, עלמה OLME : At עלם OLM est *Mundus*, est *secretus*, arcanus, perpetuus, iugis; et *Mulier* est אשה ASCE, אשת ASCT. Figura igitur *Virginis obnuptae* significat *Ignem* אשת ASCT, perennem עלם OLM, et arcanum עלם OLM, Mundi עלם OLM, super quo Omnia manent et fundantur, quia revera *Deus Opt. Max.*, super quo, et in quo omnia sunt, *Ignis consumens* est, et habitat *Lucem inaccessibilem*, ut legimus Epist. ad Hebraeos Cap. XII. v. 29. et Epist. I. ad Timoth. Cap. VI. v. 16.

3. *Patera*, vasculum est אשישה ASCISCE, אש ASC, אש ASC, *ignis*, *focus* : et אשיש ASCISC *Fundamentum* Basis. *Patera* est כלי KLI

Vasculum שתיה SCTIE *potationis* libationis, et adeo indicat, qui כלה KLE perficit absolvit, שתה SCTE *fundationem*, fundamenta aedificii Mundani.

4. *Ara lapidea*, cubica, firmissima est אבן ABN, שתיה SCTIE, *Lapis* fundamenti, Lapis Angularis, sine quo non est aedes, non fabricatio ulla, et de quo nonnulla attigimus supra Sect. I. pag. 95. Tum *Focus* in eâ accensus est אשתא ASCTA; qui *Nomen* VESTAE aperte ostendit.

SECTIO V.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA INDORUM (1).

I. JANESA.

NOMINA, CHARACTERES, ET SYMBOLA JANESAE MALABARICI INTER SE INTIME RESPONDENT.

ART. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola praecipua JANESAE Malabarici.*

I. *Nomina* praecipua sunt. 1. JANESA. 2. GANESA. 3. POLLEAR. 4. VINEIAGA. 5. PHTHA, sed arcanum, quantum adhuc scimus.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus principium Rerum, initium Mundi, secundus a Deo summo, per quem unum est Aditus ad Coelestia, et ceteros Deos.

---

(1) Vide Roger (Abrah.) *La Porte ouverte du Paganisme* etc.
La Croze *Hist. du Christianism. des Indes* lib. VI. Tom. II.
Ceremonies et coutumes Religieuses etc. par *B. Picart.* Tom. I. et II.
Georgii August. *Alphab. Tibetan.*
Sonnerat *Voyage aux Indes Orientales* etc. Tom. I. et II.
Paulini a S. Bartholomaeo *Systema Brachmanicum*, etc. *Grammaticam Sidharuba*, etc. *Viaggio alle Indie Orientali*, etc.
Recherches Asiatiques, ou Memoires de la Societè etablie au Bengale Tom. I. Pag. 162 ad 300.
(Papi Lazzero) *Lettere sulle Indie Orientali* Tom. I.
Creuzer et Guigniant *Religions de l' Antiquite* Liv. I. Tom. I. Pag. 233. 234. etc. et (Tom. II.) Pag. 569 665.

2. Deus Scientiarum, Disciplinarum, Scripturae, Librorum.

3. Deus Numerorum, supputationum, negotiorum, et omnium Coetuum et Societatum humanarum.

4. Moerens tamen, tristis, reiectus, invisus Matri, a Daemonibus malis vexatus, et exagitatus.

5. Victor tandem et triumphator hostium suorum, et singillatim *Perusalis* Muris pessimi, et Gigantis *Chemsi.*

III. *Symbola* praecipua sunt: 1. Forma duplex Humana et Elephantina. 2. Caput Elephantis, cum uno dente. 3. Alius Dens quandoque positus in manu. 4. Venter tumidus, inflatus. 5. Corona. Cidaris. 6. Clavis in prima manu. 7. Folium Palmae, scripturae aptum, in secunda manu. 3. Stilus acutus, quo scribitur, in tertia. 9. Fascis Funiculorum, vel Baculus, aut Bipenn's in quarta. 10. Glis vel Mus dictus *Perusal* sub pedibus, vel cruribus, quibus premit illum et calcat.

Art. II. *Nomina JANESAE respondent Characteribus suis Theologicis.*

1. JANESA, ipse *Janus* Romanorum, שני SCNI *secundus*, alter a Deo summo, sed *primus* in ordine Rerum creatarum. שנה SCNE, סנה SNE *doctrina*, *sapientia*, scientia per excellentiam, et propterea iure omnis Disciplinae et *Scientiae praeses*. Et quia שנה SCNE est etiam *iterare*, repetere, quod *calculi* et numerationis est, ideo praeerit et *Numeris*, et calculis, adeoque *Negotiationi*, quae Calculo maxime constat.

2. GANESA est a כנס KNS *congregatio*, so-

cietas, collegium, familia, Gens. Atqui JANESA Humanis coetibus et *Societatibus* praeest. Quin גנס GNS, ipsum GANESA, est *familia*, *natio*, progenies. Et quamvis videri possit vocem factam ex *Graeco* γενος, si eam a tempore satis antiquo Chaldaei, Syri, Arabes adoptarunt, potuerunt et Indi mutuari, etsi longe probabilius sit esse vocem originalem, et propriam Semitarum.

3. POLLEAR fit a פלל PHLL, POLL *cognoscere*, *discernere*, iudicare, separare, dividere, quae confusa sunt; et ארה ARE etiam *carpere*, decerpere, dividere, quae *Demiurgi* sunt, et Conditoris. Temura vero inversa fit a ראה RAE *videre*, nosse. vel רוה RUE *fundere*, effundere, אלף ALPH, ELLOP *Scientiam*, doctrinam, quod est Disciplinarum Praesidis, et *Scientiarum Datoris*.

4. VINEIAGA, vel potius BINE-IAGA est a בינה BINE *intelligentia*, prudentia, sollertia, et הגה EGE *cogitatione*, sermone, quae *Demiurgo* sapientissimo plane congrua: At BINEIAGA fieri etiam potest a בן BN, BINE *filio*, nato. et יגה IGE, IAGA *tristi*, *moerenti*, vel הגה EGE *remoto*, amoto: Erit ergo JANESA *Filius moerens*, et tristis; quin *reiectus*, et semotus.

Art. III. *Symbola JANESAE Malabarici significant eius Characteres Theologicos.*

1. Deum Conditorem, Demiurgum, initium Rerum significant 1. *Venter* כרש KRSC *tumidus*; et inflatus פתא PHTA, tum Ideographicê, quasi *Mundus* ante Creationem in eius visceribus *totus abderetur*, tum Lexeographicê, quia חרש CRSC est *Opifex*, *artifex*, et פתח PHTC est qui *aperit*, recludit, manifestat,

quae antea erant occulta et abscondita. 2. *Clavis* פתיח PHTIC ob eamdem rationem. 3. *Fascis Funiculorum* אלמה ALME, חבל CBL: Namque חבל CBL est *graviditas*, est qui *peperit*, parturiit; est qui metitur, aptat, ordinat, ligat, alligat: et עלם OLM est *Mundus*, isque adhuc עלם OLM *absconditus* celatus. Similem autem *Graviditatem Demiurgis* suis aliae plures Gentes tribuerunt: Romani, teste Ovidio, quasi *Globum* et *Pilam Janum* suum habebant ante Rerum formationem: Orphici, teste Proclo, omnes Mundos in Jovis ventre claudebant, et *Gravidum* fecisse suum *Phtha* Aegyptios saltem Memphitas ex *Herone* Hermapionis, de quo egimus in *Disquisitione de Obelisco* huius pag. 148. 149. perspicue arguitur.

2. Deum Sapientem, Disciplinis, et Scientiis praesidem significant. 1. *Stilus scriptorius*. 2. *Schedae scriptae*, vel scribendae. 3. *Fascis funiculorum*, sive אלמה ALME, חבל CBL, quasi אלמה ALME *summa*, collectio, קבל QBL *Traditionum*, Narrationum veterum, et omnium, quae sunt tradenda קבל QBL. 4. *Dens Elephantis* שן SCN, פיל PHIL. Quia סנה SNE, שנה SCNE est *Sunna*, traditio, doctrina, אלף ALPH etiam Doctrina et Scientia, et פלא PHLA mira, sublimis, ardua.

3. Deum moerentem, tristem, invisum indicant 1. *Fascis funiculorum* אלמה ALME, חבל CBL, quia אלם ALM est *afflictus*, moerens, dolens, et חבל CBL est *dolor*, angor, turbatio. 2. *Stilus acutus* שנן SCNN. 3. *Dens* שן SCN, acutus שנן SCNN, quia סנא SNA, שנא SCNA est *odium*, odisse.

4. Deum tandem triumphatorem, et victorem hostium suorum significat *calcatus* et pressus

pedibus eius *Glis*, vel *Mus* פרא PHRA, revera פרא PHRA *atrox*, ferus, dictusque adeo *Perusal*, sive ipse שאול SCAUL *Tartarus Orcus*, פרא *ferociens*, insaniens, sed omnino פרר PHRR *conterendus*, et comminuendus : vel etiam *Chemsi*, sive חמס CMS *violentus*, rapax, noxius, *Crocodilus*, et *Typhon* Indicus. Vide Sect. III. *Theor.* 4. Pag. 102.

Art. IV. *Symbola JANESAE Malabarici sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. JANESAE Lexeoschemata sunt 1. *Forma duplex*, prima, et secunda שני SCNI Temurice, et plene JANESA. 2. *Dens*, *Stilus acutus* שן SCN, שנן SCNN. 3. *Dentes* speciatim *Elephantis* dicti שנהבים SCNEBIM, et Chaldaice שנהבין SCNEBIN, ut habeatur Lexeoschema partis nominis BINE-IAGA. 4. *Baculum* שען SCON.

2. POLLEARIS Lexeoschema est *Elephantis* פיל PHIL, POLLE, *Caput* ריש RISC, ARIS : vel *forma Elephantis* פיל PHIL *adiuncta* adsociata רע RO formae Humanae.

3. PHTHA exhibent 1. *Venter tumidus*, dilatatus פתא PHTA. 2. *Clavis* פתיח PHTIC. 3. *Actus scribendi* פתיח PHTIC. 4. *Scheda scripta* פתק PHTQ.

Art. V. JANESA CEYLANENSIS.

JANESAE Ceylanensi est 1. *Caput Elephantis*. 2. *Truncus Humanus*, 3. *Coxae et pedes Hirci*. 4. *Phallus* erectus, 5. *Manus* utraque *passa* et *extensa*. Atqui is ipse re et essentia est JANESA Malabaricus, et JANUS Romanus : Nam 1. *Manus dextera* est ימין IMIN, et אנם ANM est *condere*, efformare, creare, et אמן AMN est *artifex*, *opifex*; conditor : *Passa* aperta

est פתיח PHTIC, nempe *manifestare*, aperire, abscondita in lucem educere. 2. *Manus sinistra* est שמאל SCMAL, et סמל SML est *assimilare*, efformare, effigiare, et *passa*, extenta est iterum פתיח PHTIC, *manifestare* in lucem promere, quae *Demiurgi* sunt. 3. *Coxae*, et *pedes Hircini villosi* sunt שוק SCUQ, שעיר SCOIR. At שוח SCUC est *meditari*, cogitare, loqui, et שער SCOR est aestimare, expendere, metiri, quod *Demiurgi* est. Tum שער SCOR est *Ianua*, Ianitor, ostiarius, quod Deo *Principio* Rerum, et qui *aditus* est, *ianua*, *ostium* ad omnia, plane opportunum. Praeterea שעיר SCOIR est *Poëta*, שער SCOR *Carmen*, שור SCUR *canere*, quae Deo *Literarum Praesidi* convenientia. 4. *Phallus* tandem est שאר SCAR homiophonon שער SCOR *Janitori*, et ostiario, temura ראש RASC *Capitis* principii, אשר ASCR beatissimi, אשר ASCR *cuiuslibet* Rei.

II. BRAMA, BRAHMA.

NOMINA, CHARACTERES, ET SYMBOLA BRAHMAE INTER SE MUTUO ET INTIME REFERUNTUR.

ART. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola praecipua BRAHMAE.*

I. *Nomina* praecipua sunt: 1. BRAMA, vel BRAHMA. 2. BRACHMAN, utpote Pater BRACHMANUM, et omnino vivens, ut fabulantur, in eis. 3. DADA, vel DATHA. 4. VEDA vel BEDA.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus Demiurgus, conditor Mundi.
2. Deus Legislator, Praeceptor, Doctor.
3. Deus Sacerdos, Pontifex, Sacrificulus.
4. Deus poenitens, in solitudinem secedens; orans, meditans.

III. *Symbola* praecipua sunt: 1. Quatuor Capita, quatuor facies, quatuor manus. 2. In quarum primâ fert Libros Legis. 3. In secundâ Coronam precatoriam. 4. In tertiâ Vas cupreum. 5. In quarta Tesseram lusoriam. 6. Cidaris, corona. 7. Torquis. 8. Armillae. 9. Anser, vel Cycnus, quo vehitur. etc.

ART. II. *Nomina Dei respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. BRAMA vel BRAHMA est Semitice בראם BRAM; quae vox utpote quadrilitera solvi potest, et debet in ברא BRA *creavit*, *condidit*, formavit, et ראם RAM, cuius temura אמר AMR est *verbum*, sermo, vel *verbo* et sermone: Quae *Demiurgi* sunt. Tum in Temura vocis inversa sunt מר MR, מרא MRA *Dominus*, et רב RB *Praeceptor*, Doctor, qui אמר AMR *iubet*, praecipit, imperat מרבא MRBA *multa*: qui alter est *Dei* BRAHMAE Character.

2. BRACHMAN, ברחמן BRCMN nempe, 1. qui est בר *filius*, חמן CMN *Templi*, *Arae* religiosae, *Pyraei*, aedis sacrae, quo sensu in Bibliis vocem חמנים CMNIM sumi certum est: Adeout ברחמן BRCMN sit Sacerdos Templis, et cultui Deorum dicatus: vel qui בר BR *purgat*, sanctificat חמך CMN *Sacra*, supellectilem religiosam. Quin in Dialecto Samaritana et Syra חמן CMN est *probus*, *rectus*, fidus, dux, *Praesul*, praefectus, quae egregie conveniunt BRAHMAE Sacerdoti, et Pontifici. 2. Est porro BRACHMAN, ברך BRK *benedictiones*, orationes, supplicationes מנה MNE *numerans*, tribuens, disponens, iubens. 4. Est מנח MNC *munera*, oblationes, בר BR *purgans*, seligens, et בער *incendens*.

Est ille, qui sese בר BR *purificat*, expiat, נחם NCM *poenitentia*, et dolore, כמן KMN *depressus* submissus, ut sumat נקם NQM *ultionem* peccatorum potissimum aliorum, et reliquorum hominum: Quae sunt Dei poenitentis, Ascetae, et Sacerdotis.

3. DATHA vel DADA est a דעת DOT *Scientia*, doctrina, lex: vel a דות DUT, דאת DAT *regula*, ius, praeceptum, statutum: Quae apprime *Deo Legislatori*, et *Praeceptori* conveniunt. At דדא DDA est *vagari*, huc illuc *incedere*, et דעד DOD plane *secedere*, separare se a ceteris, quod facit BRAHMA poenitens, et faciunt *Brachmanes* frequenter.

4. BEDA, et VIDHU; illud est a בדא BDA *initium*, principium, quia Demiurgus est omnino initium omnium Rerum factarum, ut etiam in *Janesa* vidimus, et a temura homiophona דבה DBE, quae vox est *sermo*, *verbum*, loquela, qua Creatio, et Legislatio peracta est. Et quia בדד BOD est *solus*, *solitarius*, solitarie vivens; Ideo Deus erit *Ascetis*, et Eremiticam vitam ducentibus *Praesul* et Dux. VIDHU tandem est ab ידע IDO, *novit*, *scivit*, eruditus fuit, quod Deo Conditori et Legumlatori, et Praeceptori maximo proprium et conveniens.

Art. III. *Symbola BRAHMAE significant Characteres eius Theologicos.*

1. *Capita quatuor* sunt ראש RASC, ארבע ARBO: et adeo significant, quod ראש RASC *Principium*, initium, *Demiurgus*, ברא BRA, temura homiophona ארבע ARBO, *creavit condidit.*

2. *Facies quatuor* פנים PHNIM, ארבע ARBO indicant רבה RBE *ingentem multitudinem* פנים PHNIM *formarum* figurarum, quas induxit, ap-

posuit, convertit פנה PHNE, ברא BRA *Creator*, et Demiurgus.

3. *Quatuor Manus* ארבע ARBO, tum duae dexterae ימין IMIN, tum duae sinistrae שמאל SCMAL suppeditant alia vocabula *Demiurgo* congrua, ut vidimus paullo supra in *Janesa Ceylanensi* pag. 138.

4. *Anser* vel *Cycnus*, super quo Deus sedet, est בר-אוז BR-AUZ homiophonon ברא-זיו BRA-ZIU, quod est *condens* creans *formas*, figuras Rerum. De *Cycno* autem symbolo Hominis religiosi et Sacra celebrantis diximus ad *Hieroglyph.* ex *Horo* pag. 39.

5. *Monile torques* רבד RBD, חלי CLI, תור TUR, et *Armillae* אצערה ATZORE, שרה SCRE significant שר SCR, שרי SCRI *Dominum*, Principem, qui דבר DBR *verbo voce*, צור TZUR *efformat*, figurat, condit, et תור TUR ordinat disponit, כל KL *omnia*.

6. *Liber* VEDA, vel BEDA, nempe בדה BDE initialis, primigenia, originalis, praedicatio, eloquutio, et temurice דבה DBE sermo, eloquium: Liber nempe huiusmodi in prima Manu indicat eum *Legumlatorem*, et Praeceptorem initialem, originalem.

7. *Corona precatoria* in altera manu. 8. *Vas cupreum* in tertia manu indicant eum *Poenitentem*, ascetam, eremiticam vitam agentem.

9. *Cidaris*, *Corona capitis* כליל KLIL indicat eum esse אל EL *Deum*, qui dat *initium* חלה CLE, et *perfectionem* כלה KLE, omnibus כל KL Rebus Mundi; indicat scilicet eum esse *Demiurgum*. *Corona* כתר KTR, עטר OTHR, quibus est homiophonon קטר QTHR *Thymiama* suffitus, et ipsum עטר OTHR *Aroma*, *vapor*, indicant eum *Sacerdotem*. *Corona* נזר NZR indicat eum נזר

NZR *Nazareum, separatum*, segregatum, *ascetam*, Deo consecratum. *Corona* דור DUR, דיר DIR, תור TUR homiophona תורה TURE *Legi* indicant eum *Praeceptorem*, et *Legumlatorem*.

Art. IV. *Symbola BRAHMAE sunt Lexeoschemata Nominum eius*.

1. BRACHMANIS Lexeoschemata sunt 1. *Quatuor Manus* ארבע ARBO, ימין IMIN, etiamsi haec vox de dexterâ tantum soleat usurpari. 2. *Corona precatoria*, qua *numerantur* מנה MNE, ברך BRK *precationes*, orationes. 3. *Dadus*, sive talus lusorius *quadratus*, qui dici potest ארבע ARBO, קמאן QMAN.

2. DATHAE vel DADAE Lexeoschemata sunt *Vas cupreum* דוד DUD, et ipsi Libri, quibus continentur דעת DOT, דאת DAT *Doctrina*, *Lex*.

III. SARASUADI UXOR BRAHMAE.

Nomina, Characteres, et Symbola SARASUADI sibi mutuo respondent.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola Deae*.

I. *Nomina* praecipua sunt 1. SARASUADI. 2. BARADI. 3. VAKERBANI. 4. GHI.

II. *Charàcteres* praecipui sunt:

1. Dea Disciplinarum, et Scientiarum, quae potissimum Verba et Sermonem spectant, Praeses Grammaticae, Rhetoricae, et Historiae.

2. Dea Harmoniae, Musices, Poëseos, Cantus.

III. *Symbola Deae* praecipua sunt:

1. Mitra, cidaris. 2. Zona, cingulum. 3. Torques, monile. 4. Mammae plenae 5. Vestis talaris. 6. Flores. 7. Liber. 8. Stilus scriptorius. 9. Cervus. etc.

Art. II. *Nomina Deae respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. SARASUADI fit a שיר SCIR, שירה SCIRE *Canticum*, *hymnus*, a שור SCUR *canere*, cantare, psallere; et שדה SCDE *melos*, *harmonia*, concentus: Adeoque SARASUADI necessario erit *Dea Harmoniae*, Musices, Cantus, et adeo Poëseos, et cuiuscumque harmonicae, et suavis Orationis.

2. BARADI est temura דבר DBR *verbum*, *sermo*, loquutio, narratio, ipsa *Historia*, et rerum actarum exspositio.

3. VAKERBANI, sive VAKER-BANI fit a בינה BINE intelligentia, prudentia, scientia, קרא QRA VAKER declamandi, orandi, legendi, canendi hymnos, carmina, et textus quosvis Legum, et Disciplinarum: vel בינה BINE intelligentia, בנה BNE componendi, conficiendi, et quasi aedificandi, Sermones, Orationes, Libros קרא QRA.

4. GHI est ab הגי EGI cogitare, meditari, *loqui*, disserere, canere, modulari sonos et carmina.

Art. II. *Symbola Deae significant Characteres eius Theologicos.*

1. *Liber* ספר SPHR, *Cidaris* צפר TZPHR homiophomon: *Stilus scriptorius* דבר DBR indicant *Deam doctam* et eloquentem, quae *scribit* ספר SPHR, componit *Libros* ספר SPHR, *eloquia*, sermones דבר DBR.

2. *Torquis* שרה SCRE; *Zona* אסר ASR indicant *Deam* שירה SCIRE *Cantici*, et שור SCUR *Cantus*.

3. *Mammae plenae* שד SCD, מלא MLA, si-

gnificant Deam שדה SCDE *harmoniae*, ac *melodiae*, et מלא MLA *sermonis*, et *eloquii*.

4. *Vestis* שלמה SCLME indicat perfectos שלם SCLM, משל MSCL *sermones*, *eloquia*, parabolas, exempla, et *Talaris* נחת NCT significat, qui *ponit*, constituit, *discernit*, separat, quae *discretio* est maxime necessaria in Carminibus et Sermonibus conficiendis.

5. *Flores* נץ NTZ significant נצח NTZC *victoriam* in Musica, et magisterium Musices. *Cervus* איל AIL significat הל EL *Deam*, הלל ELL *cantus*, hymnorum, chorearum.

Art. IV. *Symbola Deae sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. Lexeoschemata SARASUADI sunt: 1. *Torquis*, monile שרה SCRE, 2. *Zona* אסר ASR, 3. *Mammae* plenae שד SCD.

2. Lexeoschemata BARADI sunt 1. *Torques* רבד RBD, 2. *Stilus scriptorius* דבר DBR.

2. Lexeoschema VAKERBANI est *Liber*, quo Cantica, Hymni קרא QRA sunt scripta, et composita בנה BNE.

IV. BHAVANI.

Nomina, Characteres, et Symbola BHAVANI inter se mutuo referuntur.

Art. I. *Recensentur praecipua Nomina, Characteres, et Symbola Deae.*

1. *Nomina* praecipua sunt: 1. BHAVANI. 2. PARVADI, vel PARBADI. 3. AMA. 4. DURGA. 5. ISHA. 6. ISHANI. 7. GAURI. 8. KALI. 9. BADRAKALI. 10. MARIETALI 11. BAGAVADI. 12. ISCORA. 13. KUMARI. 14. SAKTI. 15. UMA. etc.

II. *Characteres Theologici* sunt :

1. Magna Parens, magna Genitrix omnium ; Dea genitalis, foecunda, voluptatum, et libidinum Dea.

2. Dea hylica, materiei faeculentae praeses, fallax, deceptrix, vertens, pervertens, et perdens omnia, malefica, noxia, homicida.

III. *Symbola Deae* praecipua sunt : 1. Facies turpis, foeda. 2. Capilli hirti, horridi, 3. Oculi torvi terribiles. 4. Color niger. 5. Dentes praelongi, et acuti. 6. Inaures Elephantomorphi. 7. Vestis talaris. 8. Monile. 9. Framea incurva. 10. Culter praegrandis. 11. Hasta, vel Baculus. 12. Pedum, vel Uncinus 13. Tridens, vel Furca. 14. Catini duo. 15. Yoni. 16. Equa. 17. Bubalus. 18. Serpens Scianka, vel 19. Gigas Madhu ab ea pedibus proculcati. etc.

Art. II. *Nomina Deae respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. BHAVANI est a בוא BUA, BHAVA, *venire*, advenire, *oriri*, nasci, et a נוה NUE habitare, morari, manere, quia per eam, iuxta Brachmanes, oriuntur, manent, et subsistunt Animantia omnia.

2. PARVADI, vel PAR-BADI est a פרה PHRE foecunda, fructuosa, uber, et בדי BDI *principium*, initium : quia ab ea incipit *Generatio*, *ortus*, et foecunditas omnis.

3. AMA est אם AM *mater*, genitrix, magna Parens.

4. DURGA est דרג DRG *Gradus*, *Scala*, דרך DRK *Via*, *Semita*, per quam in Mundum Animantia omnia introeunt, veniunt, et pergunt.

5. ISHA est אשה ASCE *Mulier* per excel-

lentiam, quae gignit et parit, quin *Fundamentum* est et Basis Rerum. Vid. pag. 93. 94. 95.

6. ISHANI est שנה SCNE *vertens*, convertens omnia.

7. GAURI est גער GOR, quae *perdit*, *pessumdat*, גרה GRE aufert, abripit, גרע GRO minuit, imminuit, adimit.

8. KALI est כלי KLI *absumens*, consumens, חלה CLE *morbis*, malis, aegritudinibus.

9. BADRACALI est בדר BDR *spargens*, disseminans, inferens, חלי CLI *morbos*, dolores, mala.

10. MARIETALI est מרר MRR *moerores*, afflictiones, mala, דלי DLI *hauriens*, exhauriens, et תלי TLI *tollens* in Homines.

11. BAGAVADI est בגודה BGVDE *perfida*, *deceptrix*, fallax, quia Hyles, materiei fallacis, deceptricis, et vanae Dea.

12. ISCORA est שער SCOR *terribilis*, timenda.

13. KUMARI est חמר CMR *foeculenta*, terrestris, lutea.

14. SAKTI est שקקת SCQQT *Cupida*, *libidinosa*, est שחת SCCT, fovea, barathrum, Uterus, corruptio, quae perdit et depravat omnia.

15. UMA est עמם OMM, עם OM *nigra*, *fusca*, tenebrosa.

Art. III. *Symbola Deae significant Characteres eius Theologicos.*

1. Deam Genitalem, Generationis praesidem, foecundam, voluptuosam significant: 1. Color *niger* כמר KMR: 2. *Framea* רמח RMC: 3. *Equa* רמכה RMKE: 4. *Bubalus* חמר CMR: omnes temurae homiophonae רחם RCM *Uteri*, et *Yoni*, quae Symbolum est Deae *Genitalis*, et *Matris*, et quidem solemne et receptissimum in India. 5. *Pedum* חבל CBL, *parere*, parturire. 6. *Vasa*

כלי KLI, cuius temura homiophona חול CUL est etiam *parere*, foetus edere. 7. *Monilia* חלי CLI, quae indicant idem חול CUL *parere*. 8. *Cultri, gladii*, quibus res חלל CLL perforantur, quia חול CUL est *parere*.

2. Deam Materiei faeculentae, turbidae praesidem, ideoque deceptricem, fallacem, maleficam, terribilem indicant 1. Omnia Symbola ms. רחם RCM iam recensita, quia terreus, faeculentus, luteus est חמר CMR, ipsa temura רחם RCM Uteri. 2. *Vestis* בגד BGD, quae est *perfidia, fallacia*, deceptio. 3. *Inaures* לחש LCSC *praestigiae*, fascinatio, לחץ LCTZ opprimens, perdens, eaque פלא PHLA *profunda*, arcana, mira, quia *Inauribus* est forma *Elephanti* פיל PHIL. 4. *Facies turpis* פנה PHNE, שער SCOR. 5. *Capilli hirti*, horridi שעיר SCOIR, שער SCOR significant Deam שער SCOR *timendam, horrendam*, quae פנה PHNE *convertit*, et perdit omnia. 6. *Tridens*, *Furca* קלש SCLQ, פרך PHRK, quae *attenuat*, imminuit קלש QLSC, reddit infirmos, debiles, ignavos חלש CLSC, et *comprimit*, conterit, quassat חשל CSCL. rigore immani, saevitia durissima פרך PHRK.

Art. IV. *Symbola Deae sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. ISHA, et 2. AMA exibentur a figura ipsa *Mulieris* אשה ASCE, *Matris*, Genitricis אם AM.

3. ISHANI significatur a *dentibus* שן SCN, ISAN exsertis, acutis שנן SCNN, a *duabus* שני SCNI *inauribus*, a *duobus* שני SCNI *Catinis*.

4. ISCORA est שער SCOR; *Facies turpis* est שער SCOR, *Capilli hirti* שעיר SCOIR; *Intuitus* terribilis, *oculi torvi* שור SCUR, שער SCOR.

5. KALI exhibent 1. *Vasa* כלי KLI. 2. *Glu-*

dius מ־אכל M-AKL. 3. *Monile* חלי. 4. *Framea*, lancea חלל CLL.

6. KUMARI exhibent 1. Color *niger* כמר KMR. 2. *Equa* רמכה RMKE. 3. *Bubalus* חמר CMR. 4. *Framea* רמח RMC.

7. BAGAVADI exhibet *Vestis* בגד BGD.

8. DURGA est in actu *Calcandi* דרג DRG Serpentem, vel Gigantem, et in *Baculo* vel *hasta* etiam דרך DRK.

9. UMA עמה OME *obscurans*, excaecans est in Colore *nigro*, et furvo faciei עם OM. etc. etc.

V. SIVA, SCIBA.

NOMINA, CHARACTERES, ET SYMBOLA SIVAE INTER SE MUTUO REFERUNTUR.

ART. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola Dei praecipua.*

1. *Nomina* praecipua sunt. 1. SIVA, 2. SCIBA. 3. RUDRA. 4. ISHANI 5. ISCORA.

2. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus genitalis, generationum dominus, sponsus, libidinosus.

2. Deus iracundus, ferox, maleficus, homicida, qui vertit, et absumit cuncta.

3. Deus tempestatum, procellarum, imbrium, tonitruum.

III. *Symbola Dei* praecipua sunt: 1. Facies trux, turpis. 2. Oculi torvi, ardentes. 3. Capilli hirti horridi. 4. Dentes acuti, extantes. 5. Tridens, Furca. 6. Gladius. 7. Securis. 8. Corona 9. Torques. 10. Armillae. 11. Series Craniorum humanorum. 12. Flammae emicantes. 13. Phallus, seu Lingam. 14. Hinnulus 15. Nebris. 16. Taurus. 17. Oculus in media Fronte. 18. Fluxus aquarum (Gangis) ex Capite. etc.

Art. II. *Nomina SIVAE respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. SIVA est סוא SUA, SIVA *voluit*, concupivit, quia amator, et libidinosus.

2. SCIVA שהוא SCEVA appetiit, *concupivit*, desiderio extabuit.

3. SCIVA שוא SCUA, SCIVA, res *inanis*, fallax, *vanitas*, qui decipit, fallit inani vacua et fugaci apparentia, quia praeest huic Mundo fugaci, inani, et deceptori.

4. SCIBA est a שוב SCUB *reditus*, reversio, conversio, a סבב SBB *vertere*, convertere, pervertere, a שבב SCBB *frangere*, tundere, contundere, et ab אשבב ASCBB austerus, severus, *atrox*.

5. RUDRA est a רד RD *dominus*, dominator, דור DUR *generationum*, geneseos; qui רדד RDD *agitat*, volvit, movet, רדה RDE *fluere* et currere facit easdem דור DUR *generationes*, et animantia nata.

6. ISHANI est שנה SCNE, qui *vertit*, convertit, perturbat cuncta.

7. ISCORA est שער SCOR *timendus*, horridus, terribilis.

Art. III. *Symbola Dei exprimunt eius Characteres Theologicos.*

1. Deum genitalem, generationi praesidem, foecundum, sponsum, maritum significant 1. *Phallus*, Ideographice. 2. *Taurus*, vitulus פר PHR, quia פרי sunt fructus, et פרה PHRE *foecundare*, *fructificare*. 3. *Furca* דרא DRA quia est רדה RDE *Dominus*, דור *generationum*. 4. *Corona Craniorum*, sive תור TUR, דור DUR, גלגלים GLGLIM, quia גלה GLE est etiam *generatio*, genesis.

2. Deum terribilem, metuendum, vertentem; subvertentem, immutantem, et perdentem omnia significant 1. *Facies horrida* שְׂעַר SCOR. 2. *Capilli hirti* שעיר SCOIR, שְׂעַר SCOR. 3. *Obtutus ferus* שור SCUR, שְׂעַר SCOR. 4. *Dentes acuti* שן SCN, שנן SCNN. Vid. pag. 147. 148. 5. *Series Craniorum* etiam Ideographice. 6. *Gladius* חרב CRB, *vastans*, desolans. 7. *Securis* גזר GZR *secans*, dividens, abscindens.

3. Deum tempestatum, procellarum, et fulminum significant 1. Omnia Symbola in quibus est שְׂעַר SCOR, quia שְׂעַר SCOR, סער SOR, סיר SIR est *procella* et tempestas. 2. *Gladius* חרב CRB, cuius lamina dicitur ברק BRQ, et ברק BRQ est *Fulgur*. 3. *Flammae*, Ideographice.

Art. IV. *Symbola Dei sunt Lexeoschemata Nominum eius.*

1. Lexeoschemata SIVAE, SCIVAE, SCIBAE sunt 1. *Facies deformis* סוּה SUE, SIVE. 2. *Oculi torvi* iterum סוּה SUE, SIVE. 3. *Ignis* אש ASC, בוא BUA *exiens*, adveniens. 4. *Flammae Ignis* שביב SCBIB. 5. *Corona*, *circuli*, *armillae* שוב SCUB, סבב SBB. 6. *Hinnulus Capreae*, vel Cervae, צבי TZBI. 7. *Pellis Pantherae* צבע TZBO: quae homiophona SCIBAE.

2. Lexeoschemata RUDRAE sunt 1. *Furca* רדה RDE. 2. *Series Globulorum*, monile baccatum תור TUR, דור DUR. 3. *Fluxus* aquarum ex Capite רדה RDE.

3. Lexeoschemata ISHANI sunt. 1. *Dentes acuti* שן SCN, שנן SCNN. 2. *Arma* צנה TZNE.

4. Lexeoschemata ISCORA sunt. 1. Facies *horrida* שְׂעַר SCOR. 2. *Capilli hirti* שעיר SCOIR, שְׂעַר SCOR. 3. *Obtutus trux* שור SCUR, שְׂעַר SCOR. 4. *Taurus* שור SCUR.

Art. V. *Oculus SIVAE in media fronte est compendium Hierologiae huius Dei.*

1. Nam עין OIN *Oculus* significat, qui videt, attendit, curat, 2. עון OUN, qui *adiuvat*, opitulatur, praebet. 3. חון EUN, qui scit, qui cupit, qui desiderat, qui est *dives* copiosus abundans. 4. אין AUN, qui est iniustus, contumeliosus, maleficus, noxius. 5. אין AIN qui est inanis, vacuus, *fallax*, *deceptor*.

SECTIO VI.

THEOREMATA SELECTA

EX HIEROGRAPHIA SCANDINAVORUM (1).

I. ODINUS.

Nomina, Characteres, et Symbola ODINI inter se mutuo referuntur.

Art. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola ODINI.*

I. *Nomina praecipua* sunt. 1. *ODINUS* 2. *HESUS princeps Hasorum.* 3. *THEUTATES.* 4. *HERIAN.*

---

(1) Vide Stephanii *notas ad Saxon. Grammat.*
Cluverii *Germaniam.* Conring. *ad German. Taciti.*
Mallet *Monumens de la Mytholog. et de la Poesie des Scandinaves.*
Schedium *de Diis German.* pag. 117: 195. etc.
Bigeri Thorlacii *Opusc. Academica.*
Sckulonis Thorlacii *Antiq. Boreal. Miscellanea* etc.
Nording (Olavi) *de Eddis Islandicis.*
Celsii (Andreae) de *ονοματοθεσια DierumHebdomadis.*
Norlin (Iohann.) *de Festo Disano.*

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:
1. Rex Elysiorum, et voluptatum, Rex Manium.
2. Deus Belli, praeses pugnarum et caedium.
3. Rex Temporum, et Periodorum Mundi.
4. Eloquens, facundus, vates, Magus, Incantator.

III. *Symbola* praecipua sunt 1. Figura senilis, cana. 2. Oculus unus. 3. Velum. 4. Color vestis caeruleus. 5. Corvi.

Art. II. *Nomina Dei respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. ODINUS est אדן ADN, עדן ODN *Rex* dominus *Edenis*, voluptatum, deliciarum, ciborum iucundorum, qui in *Valhalla* ei, et Heroibus parari putabant. Est עד OD perennis, perpetuus, הון EUN intellectus, mens, cogitatio, qui עד OD tempus aevum, הון EUN incipit exorditur; qui עד OD perennem, הון EUN copiam abundantiam Rerum parat in *Valhalla*. Est ידעני IDONI *Sapiens*, *Divinus*, Magus, Hariolus. Est עד OD *perpetuus*, דין DIN *Iudex arbiter* דניא DNIA Mundi Defunctorum, et Mortuorum.

2. HESUS est אששש ASCSC *fortissimus*, strenuissimus, ESCSC, ESUS qui *frangit* et *conterit* hostes, inimicos; עששש OSCSC, qui *absumit* et perdit, quae facta sunt עשה OSCE.

3. THEUTATES est a דעת DOT *Sapientia*, Scientia, doctrina, טשא THSCA *occulta* secreta arcana, quia Magus et Hariolus.

Moman (Ionam) *de Superstit. hodiernis ex Gentilismo oriundis.*
Petterson de *Thoro Scandinavo.*
Graberg *degli Scaldi.*

4. HERIAN est הר ER, הר ER laedens, vexans, caedens bellis, praeliis, און AUN vi ingenti, potentiâ, robore.

Art. III. *Symbola ODINI referuntur ad eius Characteres Theologicos.*

1. *Figura Senis* בלה BLE, quia *absumit*, consumit, perdit.

2. *Vestis caerulea* שלם SCLM, ת-כלת T-KLT significat, qui *absolvit*, perficit, et absumit omnia: Qui *pacem*, *tranquillitatem*, *felicitatem* שלום SCLUM in Valhalla fortibus Viris praelio absumtis כלה KLE, tribuit.

3. *Oculus unus* videtur ipse *Oculus Sivae Indici*, de quo diximus modo Pag. 151.

4. *Velum* סוך SUK significat *finem*, *terminum*, consummationem, cladem אסיך ASIK, et temura homiophona שוח SCUC est qui orat, eloquitur, narrat, enarrat.

5. Corvi נעב NOB, נעבא NOBA significant נביא NBIA vatem, et prophetam.

II. FREIA.

Nomina, Characteres, et Symbola deae sibi mutuo referuntur.

Art. I. *Recensentur Nomina Characteres, et Symbola Deae.*

I. *Nomina* praecipua sunt. 1. FREIA. 2. FRICCO. 3. FRIGGA. 4. DISCIA, DISA. 5. GEIA, GOIA. 6. GAD, GOD. 7. MONA. 8. HLUDANA.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Dea foecunditatis, fertilitatis, germinationis, fructificationis.

2. Dea Amorum, et Nuptiarum.

III. *Symbola* praecipua sunt. 1. Epulae instructae, Copia magna Fructuum et Ciborum. 2. Verres saginatus. 3. Currus ductus a Felibus. 4. Flores. 5. Luna, sive Meniscus Aureus.

Art. II. *Nomina Deae congruunt Characteribus suis Theologicis.*

1. FREIA, FREA est פרהּ PHRE *foecunda*, *fructifera*, fructuosa.

2. FRICCO est פרח PHRC *florida*, *flores educens*, germinans.

3. FRIGGA est פרג PHRG *delectans*, oblectans, exhilarans, Uterus et Metra Mundi.

4. DISA vel DISCA est דשא DSCA *herbescens*, *herbas*, et germina proferens, producens.

5. GEIA, GOIA est געגע GOGO *delectatio*, deliciae, voluptas; גהה GEE, quae *sanat* et *levat morbos*; הגהּ EGE, quae *canit*, cantat.

6. GAD, GOD est גד GD *Fortuna*, *Fors parens*, copia abundantia Rerum.

7. MONA, MENE est מנהּ MNE, quae *tribuit* dat, praebet, et נמהּ NME quae *auget*, *multiplicat*, accrescit res omnes.

8. HLUDANA, CLUDANA est חלד CLD *Mundi*, *Aevi*, נוהּ NUE *sedes* habitaculum, est Γαια Hesiodi, *Isis* Aegyptiorum, basis fundamentum locus Rerum.

Art. III. *Symbola Deae respondent Characteribus*, *et Nominibus eius.*

1. In *Mensá instructá* 1. est ingens *copia* Rerum גד GD, GOD, 2. Est מנה MNE, MONA numerus magnus Rerum. 3. Sunt *Olera* herbae דשא DSCA, DISA. 4. Sunt *fructus* פרי PHRI, FREIA: 4. Sunt *Flores* פרח PHRC, FRICCO. 6. Est *voluptas*, oblectatio פרג PHRG, FRIGGA. 7. Est *Cantus* הגה EGE, געגע GOGO, GEIA, GOIA.

2. In *Porco* חציר CTZIR est חצר CTZR *Herba*, germinatio, *olera*, DISA, est קצר QTZR, *messis*, segetes; in eius *adipe* דשן DSCN est iterum דשא DSCA *herba*, olus DISA.

3. In *Curru* רכב RKB ducto a *Felibus* חתל CTL est *Currus* חדל CDL, vel חלד CLD *Aevi* et *Mundi*, qui currit, et pergit in *cursu* suo, duce et custode *Gad*, seu *Fortuna Mundi*, quae est GOD HLUDANA.

4. *Menisco* tandem sive *Lunâ* tota quanta est *Dea* plenissime significatur.

III. THORVS.

NOMINA, CHARACTERES, ET SYMBOLA THORI SIBI INVICEM RESPONDENT.

ART. I. *Recensentur Nomina, Characteres, et Symbola Dei.*

I. *Nomina* praecipua sunt 1. THOR 2. TARAMIS. 3. ASATHOR. 4. IOFUR.

II. *Characteres Theologici* praecipui sunt:

1. Deus fortissimus, robustissimus, defensor, tutator, attentus, sedulus, vigil, qui currit, ut Gigantes, et quosvis hostes prosternat, proruat, perdat.

2. Deus fulminum, tonitruum, tempestatum, procellarum.

3. *Simbola* praecipua sunt. 1. Clava robustissima dicta MIOLNER, vel MIOLMUR. 2. Cingulum et Baltheus dictus MEGIN-GIAHRDER. 3. Currus ductus ab Hircis.

ART. II. *Nomina Dei respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. THOR, TARAMIS est qui תר THR, תור TUR *circuit*, circum cursat, qui רתא RTA *in-*

cedit ambulat, qui רוץ RUTZ *currit* discurrit, ut מרא THRA, *ruat*, *irruat*, vexet, pessumdet, et רטט RTHTH *pavore*, *terrore*, רצץ RTZTZ *prosternat*, conterat hostes, rebelles, Gigantes. TARAMIS est a ת־רעם T-ROM *Tonitru* terribili, *rumore Fulminis*, et Fulguris ruentis.

2. ASA איש AIS *fortis*, *robustus*, vehemens, qui שאה SCAE *strepit*, et tonitru personat; qui vexat et vastat שאה SCAE *hostes* Gigantes, שואה SCUAE impetu procellarum et tempestatum.

4. IOFUR est ipsum יפר IPHR, יופר IUPHR *vigilare*, attendere, curare, ut amicos et fidos servet, hostes et rebelles pessumdet; qui character plane proprius est THORI Scandinavi.

Art. III. *Symbola THORI respondent Characteribus eius Theologicis.*

1. *Clava* THORI dicta MIOLNER est *Clava* פלך PHLK, קלף QLPH, גלף GLPH; מלא MLA MIOL plena, impleta, נהר NER *Luce lumine*: Atqui פלך PHLK est etiam *Coelum*: Ergo *Clava* MIOL-NER significabit *fulgura* et *fulmina* ex *Coelo* prodeuntia, et *Coelum luce* implentia, vel ipsum *Coelum fulminans*, et *tonans*. Tum eadem *Clava* sive *Malleus* הלם ELM, est MIOLMUR seu Temurâ inversâ רעם ROM *tonitru* fulgure, לעם LOM LOIM *vorans absorbens*, perdens מעל MOL, MIOL *rebelles*, improbos, מר MR, MUR saevos, asperos.

2. *Baltheus*, *Cingulum* MEGIN est ipsum מגן MGN, protectio, tutela, tutamen, et GIAHRDER est חגר CGR *cingulum*, fortitudo, רדה RDE *imperii. potestatis*. dominationis; Adeoque eo exprimitur, qui רדה RDE *imperat*, dominatur; חגר CGR complectitur, fovet; מגן MGN *tutatur defendit*; צור TZUR *custodit*, servat;

נצר NTZR *protegit* et *salvat*. Nam Cingulum Semitis est etiam אזר AZR, et נזר NZR.

3. *Currus* ductus ab *Hircis* est רכב RKB ductus a בריח BRIC. Atqui ברק BRQ temura homiophona בריח BRIC, est *fulgur*, et רבך RBK temura רכב RKB est *strepens*, rumorem faciens: *Currus* ergo THORI videtur imitatus a *Curru* CHERUB, de quo diximus in *Problemat*. Pag. 8.

IV. LOCKE

HOSTIS DEORUM ASTUTUS, DECEPTOR, RAPAX, VORAX, VELOX, DEBELLATUS.

ART. I. *In Nomine LOCKE sunt omnes hi Characteres hostis Deorum.*

1. *Astutus*, *sollers*, blandiens לקח LQC, LOKCE.

2. *Deceptor*, *fallax*, *subdolus*, *illaqueator* לחח LCC, LOCCE.

3. *Rapax*, *raptor*, *fur*, לקח LQC, LOKCE.

4. *Vorax*, *absumens*, *consumens*, ut *Ignis*, quasi לחח LCC *flamma* esset in maxillis לחה LCE, LOCCE.

5. *Velox*, *agilis*, promtus קל QL, קל QL.

6. *Pollutus*, *inquinatus*, contaminatus לכך LKK, LOKKE.

7. *Ignominia* et opprobrium Deorum קל QL, קל QL, קלון QLUN.

8. Percussus, afflictus, verberatus לקה LQE, LOKE.

ART. II. *Nomina Uxorum, et Filiorum LOCKE eius Characteribus plane conveniunt.*

1. *Uxor* prima LOCKE est SIGNIA, cuius temura inversa est AINGIS, נגס NGS, הנגס ENGS, *iniquitas*, improbitas, malum.

2. *Uxor* secunda est ANGERBODA sive אגר AGR, ANGER, *adunatio*, *collectio*, sentina, בדי BDI BODA *mendaciorum*, et *falsitatum*.

3. *Filius* primus est *Lupus* דאב DAB FENRIS, qui luxabit et *dissolvet faciem* Rerum. Nam est דאב DAB dolor, afflictio, calamitas, qui פנה PHNE, FEN *convertet*, corrumpet פנה *faciem* aspectum Rerum, et רסס RSS RIS *quassabit*, *conteret* omnia, שרה SCRE *dissolvet*, luxabit, נפי NPHI *eiiciet*, proiiciet, exterminabit: Et ipse vi horum ipsorum verborum *exterminandus* et *conterendus*.

2. Secundus *Filius* τ8 LOCKE est *Serpens* MIDGARD, qui nempe *cingit urbem* Deorum, quasi vinculo, ut eam quatiat, et loco moveat, et pessumdet. Scilicet ipse Serpens corpore suo מד MD, מדד MDD *metitur*, cingit גדר GDR *Arcem* (per excellentiam) Deorum, ut eam מוד MUD, מוט MUTH *moveat*, submoveat, proruat, diruat, et penitus מדא MDA *perdat*.

3. Tertius *Filius* LOCKE est HELA *Mors*, et exitium: Nempe אלה ALE, ילל ILL *eiulatus*, et lamentatio, *malum*, עלה OLE *extremum* et *postremum* Rerum.

PARS TERTIA
ETYMA HIEROGRAPHICA.

SECTIO I.
ETYMA SELECTA
EX LEXICO HIEROGRAPHICO
PARSORUM (1).

1. ABAN: *Genius Aquarum* bonus; Angelus, qui irrigationi, et aquarum distributioni praeest. Temura inversa est NABA, et נבע NBO est *scaturire* aquas, *manare*, effluere.

2. ADERAN: *Ignis sacer*, perpetuus, perennis. Temura inversa est NAREDA a נהר NER, NAR *ignis*, focus, et עד OD EDA *iugis*, perennis, perpetuus.

3. ADERBAD MAHRESPAND: *Nomen Magi* celeberrimi. Temura inversa του ADERBAD est DABREDA, nempe דבר DBR *vox*, *verbum*, praeceptor, דע DO, דעה DOE *scientiae*, sapientiae, doctrinae. Tum דבב DBB, דבה DBE est *mussitatio*, *murmur*, oratio tacita *Magorum* propriissima, et רדה RDE, רדיא RDIA est *Praeceptor*, *Doctor*. Porro Temura inversa vocis MAHRESPAND est DINAPSERHAM: Atqui די DI est *copia*, abundantia, NAPS est

(1) Vide Zend-Avestam Zoroastri versam et editam *ab Anquetil du Perron*. Paris. 1771. et praesertim in Tom. II. *Indicem Rerum*, sive *Table des Matieres*. Pag. 521. ad 806.

נפש NPHSC *spiritus*, anima, et רחם RCM RHM est misericordia, *pietas*. Nempe ille *Magus*, vel *Pontifex* potius *Magorum*, volebat haberi summus *Praeceptor Magismi*, et piissimus, in quo esset ipse *Spiritus* et essentia *Pietatis*.

4. AHRIMAN: *Princeps Daemonum* rebellium, et Geniorum pessimorum, ipsemet *rebellis* maximus. Temura inversa est NAMIRHA, nempe נמרא NMRA, NAMIRHA *rebellis*, *pervicax*, contumax, malus.

5. AKUMAN: *Daemon* improbus, Genius nequam: Ab אחם ACM *opprobrium*, *contumelia*, dehonestatio, et און AUN *iniquitas*, malitia, nequitia.

6. ALBORDI: *Mons celsissimus* in centro terrestris superficiei iuxta *Magorum* sententiam collocatus, quasi axis, et *umbilicus* Terrae, sedes *Hormusdi* optimi, et maximorum Geniorum bonorum. Fit a טבר THBR temura homiophona BORDI, qui est *umbilicus*; vel a פרתי PHRTI, PORTI etiam *umbilicus*, et על OL *celsus*, elevatus, הלל ELL lucidus, coruscus, splendidus. Tum דבר DBR perfecta temura BORDI est *Adytum*, *Sanctuarium*, et הל EL est Deus: Adeoque erit AL-BORDI etiam Dei lucidissimi et splendissimi הלל ELL, Adytum, et Thronus דבר DBR.

7. AMERDAD: *Genius bonus*, beneficus, unus ex septem maximis, qui Throno *Hormusdi* adstant. Is *auget*, accrescit, laetificat *Greges*, et *Arbores*. Nam אמר AMR est *agnus*, *aries*, et אמיר AMIR *ramus*, surculus, *germen* Arboris, et די DI est *copia*, abundantia. Postrema D est paragogica ex solemni *Gentis* instituto. Hanc ipsam literam paragogicam Romani ex Sabinis, ut puto, quos originis Persicae censeo, adoptarunt, et scripserunt in *Rostrata* Duilliana In-

scriptione *Siceliad*, *macestratod*, in *altod marid*; *pucnandod* etc.; nec ante secundum Bellum Punicum reiicere potuerunt ; circa quam aetatem summa Rei Literariae conversio Romae facta est.

8. AMRESCH : *Avis* , ales , quae ex *Lacu Paradisi ZeraK-Kand* adtollit *germina* et surculos Plantarum , .et Telluri infigit ; ab אמיר AMIR , AMR, *surculo* , *germine* , et שא SCHA, ESCH *adtollere* , *elevare*.

9. AMSCHASPAND : *Spiritus coelestes*, nobilissimi , optimi, septem illi , quos incluso Hormusdo, summam omnium Rerum habere arbitrabantur: Nempe reiecto D postremo Paragogico Temura vocis inversa est NAPSA-SCHMA ; sive נפש NPHSC, NAPSA *Spiritus*, animae, שמיא SCMIA, SCHMA *Coeli* , *Coelestes* : Angeli quorum propria habitatio est in Coelis.

10. ANAHID : Dea servatrix *Seminis* , Dea custos *Spermatis* Zoroastri. Temura inversa est DIHANA , a דהן DEN , et explicate DIHANA *pinguedo* , res pinguis, quo nomine, et *Semen* Hominis appellatur : Vel a דהנה DCNE , sive DHNE *adipe* , pinguedine , et etiam *Semine* ; ut חלב CLB est *adeps* , et *Semen*.

11. ANHUMAN : *Deorum optimus* , et praestantissimus, Princeps Geniorum bonorum , ipsemet *Hormusd* : Fit a temura inversa נאם *loqui* , imperare , iubere , חן CN, HN ex misericordia , pietate : Et directe a נוח NUC quietem , tranquillitatem, מנה MNE dare , praebere, destinare.

12. ANIRAN : *Lux prima* , *lux coelestis* ; a נהר NER *lux*, *lumen*, ignis , et אן AN , אין AIN, און AUN , AVEN, qua voce Veteres et *Coelum*, et *Solem* , et nescio quam arcanam et ingentem *Potestatem* significarunt , ut saepius pro oppor-

tunitate in *Speciminibus nostris* animadvertimus.

13. ARD : Genius bonus, qui *tribuit Scientiam*, et *Sapientiam* : A רדה RDE dominari, *extendere*, *expandere*, fluere facere, דריה DRIE, דרה DRE *Scientiam*, *doctrinam*.

14. ARDIBEHEST : Unus ex septem maximis et optimis Spiritibus Coeli, et qui potissimum *dat Lucem*, et *Ignem*. Est enim רד RD, רדה RDE, ARDI *dominus*, herus, *dator*, בהא BEA, BEH *splendidi* lucidi, אשת ASCT EST *Ignis*, *foci*.

15. ARDUISUR : *Fons aquarum* mirabilium, *scaturigo aquae* ab ipso Throno Hormusdi manantis, et Terras pervadentis, et omnia bona afferentis. Temura inversa est RUSIUDRA, nempe ריש RISC, RUS *Caput*, *initium*, עדר ODR, IUDRA *Laci*, stagni, *fontis*, ex quo רד RD. ARD (directe) *fluit*, manat, אשר ASCR, UISUR foelicitas, voluptas, deliciae.

16. AREDOSCH : *Peccatum*, facinus, scelus, quo quis fratrem suum iniuste *vexat*, et *opprimit*. Temura inversa est SCHODERA, quae fit a שדד SCDD, שד SCD *premere*, opprimere, *affligere*, vexare, et ab אר AR, ארר ARR *maledicere*, *vituperare*, calumniari : Et directe ab eodem אר AR, et דוש DUSC ipso DOSCH *proculcare*, conculcare, contemnere.

17. ARG-RUD : *Fluvius Paradisi desideratissimus*, omni bono et felicitate fluens : a רגה RGE, ARG *desiderabilis*, exoptatus ; et רד RD, RUD *fluens*, fluxus, fluvius.

18. ARMISCHET : *Separatio*, divisio, et quasi *excommunicatio* ; actus nempe quo Mulieres pollutae, et impurae in *locum remotum*, et ex purorum communione separatum reiiciuntur : a חרם CRM, et lenius ARM *separatio*, seiunctio,

excommunicatio, et שׂת SCT, SCHET *ponere*, collocare.

19. ASCHRE : *Daemon malus*, *timendus* : a שׂער SCOR, ipso ASCHRE, *metuendus*, *detestabilis*.

20. ASCHESCHING : *Genius bonus*, utilis, qui *vires*, et *bonam valetudinem* homini *tribuit* : Ab עשׂה OSCE, ASCHE *facere*, *operari*, tribuere, et ישׁע ISCO, et secundum aliorum Pronuntiationem, ISCHING, *salus*, *sanatio*, *liberatio* a malis.

21. ASCHMOG : *Daemon pessimus*, abripiens, et *absorbens bona* ab hominibus, et vastationem inducens : Temura inversa GOMSCHA est a גמה GME, גמע GMO, GOM *absorpsit*, deglutivit, et שׁאה SCAE, SCHA *vastavit*, disperdidit.

22. ASTUIAD : *Daemon malus*, acer inimicus Sapandomad, sive *Genii* Telluris, cuius fructus et bona perdere et corrumpere satagit, *malas plantas inserendo*, et producendo. Temura inversa DAIUTSA est a די DI *copia*, abundantia, et עצה OTZE, UTSA *Spinae*, *dumi*, tribuli, quibus Plantae utiles suffocantur, et dispelluntur.

23. ATESCH: *Ignis*, *focus*, ipsum אשׁת ASCT, ASCHT, temurice ATESCH.

24. ATHORNE : *Magus*, *Sacerdos*, Presbyter Parsorum : ab אט ATH, sensim, leniter, lente ; et רן RN *mussitare*, *murmurare*, cantitare, quae omnino *Magorum* propria. Quin רתן RTHN ipsa Temura ATHORNE est iterum *murmurare*, *mussitare*, incantare : Adeo ut inveniri non possit vox, quae melius et congruentius Homini *Mago* conveniat.

25. BAHMAN : Secundus ex Septem magnis Spiritibus Coeli, *Luci* et *veritati* potissimum *praeses*, et *fructus* insuper, et *germina* speciali

cura *augens* et multiplicans. Est a בהא BEA *lucidus*, splendidus, fulgidus, et אמן AMN verax, veridicus, verum tuens. Et quoniam נמה NME est augere accrescere, מנה MNE tribuere dare, et הבב EBB sunt flores, אב AB, אביב ABIB spicae, fructus, ideo et his augendis et tribuendis praeerit.

26. BARASCHMON: *Potio purificans* a peccatis, potus purgationem scelerum inducens. Est nempe שרב SCBR, SCHARAB, temurice BARASCH, *potus*, *potio*. sorbitio; מנה MNE MON *dans*, praebens, בר BR BAR *purgationem*. mundationem, אשמין ASCMIN, ASCHMON *peccatorum*, scelerum, pollutionum.

27. BARASCHOM: *Locus purificationum* separatus, discretus, locus externus, remotus, desertus, quo polluti et impuri manent, donec expientur: a בריה BRIE *locus externus* remotus, שם SCM SCHOM vastus, desertus, quo polluti אשם ASCM, ASCHOM purgantur ברר BRR.

28. BARSCHOM: *Aspergillum*, instrumentum, quo *polluti* et inquinati *aspergebantur*, quo *mundarentur*: quia est שם SCM, SCHOM *signum*, substantia, *supellex*, qua ברר BRR *purgatur*, expiatur, רב RB, רבה RBE multitudo, אשם ASCM. SCHOM *peccatorum*. pollutionum.

29. BARZO: *Genius praeses irrigationi*, et effusioni aquarum: Temura inversa est OZRAB: A זרב ZRB OZRAB *effluere*, scaturire, manare.

30. BEHDIN: *Iudex* magnificus, qui recte, et solemniter *iudicat*: a בהא BAE BEH praestans splendidus illustris, et דין DIN Iudex Arbiter.

31. BEHESCHET: *Locus deliciarum* Hormusdi, Paradisus splendidissimus, totus lux: a בהא BEA, BEHE *splendidus* lucidus mirabilis, et שת SCT SCHET locus, sedes, situs.

32. BEHRAM : Unus ex maximis, et boni *Spiritibus* Coeli: A בהא BEA *splendidus*, lucidus, pulcher, et רם RM, RAM *celsus* sublimis, quasi celsitudo splendidissima.

33. BERETZESING : *Ignis* Hormusdi, *Focus Regis Regum* : A צרב TZRB, temurice BERETZ, vel צרף TZRPH *combustio*. aestus, Focus, *Ignis*; et נגס NGS temurice ESING *Rex*, Imperator, *Princeps*.

34. BEVERASP : Nomen *Zohaki* Regis pessimi et infandi: traditumque hac voce significari malum Regem *decem millium* malorum militum Ducem. Temura inversa est PSAREVEB. Atqui פש PHSC, PS, PSA est *scelus*, facinus, *superbia*, et פשע PHSCO, PSO, PSA est transgressio, praevaricatio : tum רביא RBIA, temurice BIAR, BEVER, est ipsum *decem millia*.

35. BOSCHASP : Daemon malus, *pertinax*, *superbus*, vexator. Temura inversa PSASCHOB: A פש PHSC, PSA *superbia*, *scelus*, et שעב SCOB, SCHOB *tumultus*, fremitus, vastatio.

36. DAKME : *Sepulcrum*. *Coemeterium* : a די DI *copia* abundantia, et מקה MQE *tabes*, *putredo*, reliquiae Defunctorum.

37. DERIMHER : *Templum* Parsorum, *locus adorationis*, prostrationis. et precum : a דור DUR sede, loco, habitatione, מורה MURE timoris, reverentiae, qua tamen רחם RCM, RHM, vel REHM *pietas* misericordia, ירדה RDE IRED *imperat*, imperium habet.

38. DESTUR : *Sacerdos*, *Presbyter* Parsorum : a דע DO. DE *scientia*, *sapientia*, et שטר SCTHR *praefectus*, antistes; seu Administer. Minister *doctus*, sapiens, cui est insuper די DI copia abundantia רצה RTZE RUTSE *bonitatis*, amoris, benevolentiae erga Homines.

39. DIEMSCHID: *Rex* Parsorum Mythicus, *Lucidus*, *splendidus*: a יום IUM, DIUM, DIEM, *dies*, *lux*, lumen; et שד SCD, SCHID *vibrare*, *effundere*, iaculare.

40. DOGDO: *fortunatissima* Mater Zoroastri: A די DI *copia*, abundantia, גד GD, GAD, GDO *Fortunae*, felicitatis.

41. DUTZAK: *Infernus*, *Tartarus*, locus suppliciorum, quae pravis defunctorum Animabus danda credunt Parsi: A די DI *copia abundantia*, et צוק TZUQ, TZUK angustiae, tribulationis, vexationis, et קוץ QUTZ temurice *abominationis*, fastidii, nauseae.

42. EOROSCH *Avis* Parsorum Mythica, cui est *acutissimus visus*, et *vox ingens*, qua malos Daemones fugat. Temura inversa est SCHOROE; a שוע SCUO, SCHUO *vociferare*, *inclamare* vehementer, et ראה RAE, ROE *cernere*, *aspicere*, intueri.

43. EPEOSCHE: Daemon malus, qui *Aquas intervertit*, ut Terra Plantis et herbis nudetur. A חשף CSCPH, CHESEPE, *nudare*, *denudare*, spoliare, et עבש OBSC EOBESCHE *exarescere*, *putrescere* (facere), corrumpere, et עשבה OSCBE OESCHEBE *herbae*, *gramina*. Tum שפה SCPHE, SCHEPE est *conculcare*, proculcare, et שפיא SCPHIA SCHEPIA *plantas*, *surculos*, germina.

44. ESCHEM: Daemon *malus*: Ab אשם ASCM, ESCHEM *peccatum*, scelus, facinus.

45. ESCHEM iterum: *purgatio purificatio* ab eodem אשם ASCM, ESCHEM *purgare*, *expiare*.

46. ESPENDARMAD: Genius bonus ex septem maximis, Spiritus beneficus, qui *Tellurem tuetur*, *servat*, foecundat. Idem dicitur etiam *Supandomad*: Temura illius inversa est DAM,

RAD, NEPSE: Nempe אדמה ADME, DAM, *Terram*, *Tellurem*, רד RD. רדה RDE *regens*, gubernans, tuens, נפש NPHSC, NEPSE, *Spiritus*, *Genius*.

47. FERIDUN: *Rex* Mythicus Parsorum, beneficus, *expiator*, *incantator* eximius: et secundum plures etiam *Demiurgus*, et Conditor. A ברא BRA *creare*, condere, דניא DNIA *Mundum Orbem*: a ברר BRR *purgare*, *expurgare*, דניא DNIA *Mundum*: a רב RB RAB, temura homiophona FER, magnus, doctor, *Praeceptor*, et ידעני IDONI *Incantator*, *praestigiator*.

48. FERVARDIN: Nomen *mensis* Parsorum, quo *Manes* Parentum, et Cognatorum suorum per Terras *vagari*, et ad Domos olim suas accedere putarent. Temura inversa est NID-RAB-REF: A נד ND NID *vagari*, divagari, רב RB רבה RBE multitudo, caterva, רפא RPHA, REF, *Spiritus*, animae separatae, divisae, e Terra sublatae. Quod scilicet tum crederent *vagari multitudinem* Animarum a sedibus sibi Fato destinatis. Hic autem *Mensis* tum *Liturgica* potestate, tum nomine congruebat cum *Februario* sive *Ferbuario* Romanorum nempe mense, quo *Buar* בר BR expiabantur, רפא RPHA *Fer Defuncti*, more, dubio procul a Sabinis Persarum fratribus, mutuato.

49. FERHUER: *Spiritus* quidam naturae Coelestis et aethereae, qui hominibus *adsunt*, et opitulantur, quasi *socii* et intime *coniuncti*, ut *Genii* Romanorum: Temura inversa REUH-REF, sive רוח RUC, RUH, *Spiritus*, Anima, Genius, רפא RPHA, REF *sublimis*, separatus, in locis celsis habitans.

50. GAH: *Festum*, solemnitas religiosa; ipsum חג CG, HAG temurice GAH Festum festivitas.

51, GAHANBAR: *Festum insigne*, solemni-

tas magna : Temura inversa RABNAHAG ; a רבני RBNI magnus, frequens, multus, et חג CG, HAG Festum festivitas.

52. GOGARD : *Arbor* Paradisi *desideratissima*, Arbor vitae, et salutis. Temura inversa DIRAGOG, vel D paragogico ablato, RAGOG: A רגג RGG, RAGOG *optabilis*, *desiderabilis*, *pulcher*: et די DI *copia*, affluentia, si litera ad vocis essentiam speciat.

53. GOROTMAN : *Paradisus*, sedes felicissima Dei Hormusdi : Temura inversa NAMTOROG : a נמה NME, NAM, *augere*, *accrescere*, multiplicare, et תרג TRG, TOROG *bona*, *desiderata*, concupita.

54. GOSCH : Genius qui dat *copiam* et abundantiam *rerum*. Inverse SCHOG, a שגא SCGA SCHGA, SCHOG, *augere*, *multiplicare*, accrescere bona.

55. HAMKAR : Genius *comes*, *socius*, qui alium comitatur. Temura inversa RAKMAH : a רכם RKM RAKMA *socius*, comes, sodalis. Tum רוח RUC, RAH est *spiritus*, Genius, et קום QUM, KMA est stans, adstans, praestans.

56. HAMRID : *Impuritas*, pollutio ex attactu Cadaverum; unde separatio et eiectio e societate, et status quidam *excommunicationis*: A חרם CRM temurice HAMR *separatio*, *interdictum*, *excommunicatio*, et דור DUR temurice RID habitatio, sedes, ex מוק MUQ tabe, putredine, cadavere.

57. HERBED : *Sacerdos*, presbyter Magorum : ab יראה IRAE reverentia, veneratio, cultus Dei, religio, et בדא BDA, BED, qui *pronunciat*, eloquitur, praedicat, excogitat, cogitat : et a בדד BDD, בד BD solitarius, a profanis separatus, disiunctus. Tum temura inversa DEBREH fieri potest a דבר DBR *sermo*, *prae-*

ceptum, *gubernatio*, hierarchia, et יין IE *Dei*, *Domini*.

58. HONOVER : Est *verbum*, effatum potestatis summae, *responsum* potentissimum : quasi HONOBAR, ab ענה ONE *Sermone*, eloquio, באר BAR *explicato*, adeoque *potente* : Tum Temura inversa REBONOH fit a רב RB *magnus*, potens, gravis, et ענה ONE *responso*, effato, eloquio.

59. HORMUSD : *Deus summus* Parsorum habitans *lucem* inaccessibilem, Spiritus Coelorum maximus. Est אור AUR *lux*, *lumen*, משא MSCA celsissima, certa, firma, vera, די DI *copiosa* abundans, nisi D paragogicum malimus. Et temurâ inversâ est די DI *complens* implens, שם SCM, SUM *vastitatem*. immensitatem, שמיא SCMIA *Coelorum*, רוח RUC ROH Spiritus, mens, Deus.

60. HOGUER : *Mons Dei*, mons sanctus, *Albordi* exoptatus. Temura inversa REUGOH est a רגא RGA *desiderabilis*, *exoptatus*, et רגע RGO *quies*, requies, tranquillitas.

61. HUFRASCHMODAD. *Avis* Paradisiaca, *Gallus coelestis*, quo *clamante*, a *Somno* et quiete *Homines excitantur* ad opera et labores suos. Est HUF-RASCH-MODA-D. Nempe est עוף ÓIPH, OIF, HUF *avis*, ales, רעש ROSC, RASCH *agitans*, movens, *excitans*, אדם ADM *homines*, דום DUM *dormientes*, quiescentes, ad מוט MUTH, MODA, ad *motum*, ad opera. Et Temura inversa, rejecto D paragogico, ADOMSCHARFUH, est *Avis*, quae אדם ADM ADOM *Homines*, שער SCOR SCHAR *turbat*, excitat, פעה PHOE, FUH *clamore*, vociferatione.

62. KARESCHFFAT : *Avis* mirabilis Parsorum. ex *Accipitrum* specie, quae *interpretatur*, et *explicat Legem*, et dogmata *Zoroastri*. Temu-

ra inversa est TAFF-SCHERAK : sive שרק SCRC, SCHERAK *interpretatur*, explicat, explanat, et טפף THPHPH, TAFF, *aequat*, complanat ; טפף THPHPH, TAFF iterum ipsis Pueris, ipsis catervis et coetibus Puerorum *legem Zoroastri*, praecepta Legislatoris. Est autem *Avis* ex *Accipitrum* genere, quia *Accipiter* dicitur כרז KRZ, quod est *iubere*, praecipere, aperire, quia dicitur etiam פרס PHRS, et homiophonon פרש PHRSC est explicare, exponere, interpretari.

63. KARFESTER dicebatur Parsis *omne animal noxium*, et *foedum*, quod *contumelia* afficiendum, proculcandum, et necandum esset, quasi KARFE-TSER, a חרף CRPH, KARFE, *contumelia* afficere, et vel ipsa res *foeda* et *propudiosa* ; et צור TZUR, TSER *vexare*, *affligere*, opprimere. Tum inversa temura est RETSE--FRAK, nempe רצע RTZO *frangere*, *conterere*, comminuere, et פרך PHRK, FRAK *foeda*, *saeva*, crudelia animalia. Et propterea quotannis *Magi* certis ceremoniis, et solemni pompa *egrediebantur* צער TZOR, ad *venandum*, ad persequendum צעד TZOD, *Animalia foeda* abominanda, חרף CRPH, KARF, *crudelia*, saeva פרך PHRK, FRAK, ut ea *vexarent*, et affligerent צור TZUR, et *contererent*, ac comminuerent רצע RTZO, RETSE.

64. KEHREKAS : *Avis*, quae ad *diripienda* et voranda humana *Cadavera* ex *longinguis* etiam *locis* ob *visus*, et *odoratus* praestantiam cito advolat et accurrit. Temura inversa est SAKERHEK : nempe שכה SCKE cernit, videt ; ריח RIC, ERH odoratur, odorem sentit, יקה IQE, EK *paret*, obaudit, advolat ; et quidem שכה SCKE, SAKE cernit, a רחק RCQ, REHEK, *longinguis* et remotis locis.

65. KESCHVAR: *Regio* Terrae limitibus suis *circumscripta*, Provincia *Hominibus frequens* et culta, qua Homines *socialibus* vinculis *colligati* degunt : a קשר QSCR, *ligare colligare* adunare ; et קסר QSR *metiri*, finiri, limitibus circumscribi ; unde est קשור QSCUR sive KESCHVAR; Tura a חשר CSCR *coire*, *congregari*, et כשר KSCR *convenire*, congruere, consentire : quae omnia faciunt Regnum et Imperium humanum, כשור KSCVR, KESCHVAR.

66. MESCHIA ; *Homo*, *vir*, *mulier*, quia est מאשי MASCI, MESCHIA *viator*, *in via*, in statu viatoris : et id quia אשם ASCM, AISCHEM *peccavit*, transgressus est foedus, *deliquit*, reus est factus : Sed potest משה MSCE MESCHIA *extrahi*, *purgari*, mundari, ab אשם ASCHM peccato, et scelere, per אשם ASCM *sacrificium*, per hostiam aliquam piacularem.

67. MEDIOZEREM: *Genius*, qui *Lactis* et *Seri copiam* atque abundantiam *praebet* : a מדד metiri, tribuere, et זרם ZRM *Serum* ipsum Latinorum, vel etiam Lac.

68. MOBED : *Sacerdos* Parsorum, Persona *Sacris* addicta : Quasi ד-במה D-BME *Vir Altaris*, ad *Altare* spectans, altari adsistens. Tum temurâ inversâ דבא DBA DEB est *alloqui*, *praedicare*, orare, et עם OM est *Populus*, *Plebs*. Atqui *Sacerdotum* est plerumque *verba facere* ad *Populum* monendo, iubendo, rogando.

69. NAONGHES: *Daemon malus*, Telluris inimicus, qui *fructuum* copiam intervertere, et perdere satagit. Temura inversa est SEGHN-OAN: Nempe שגן SCGN, SEGHN *mutans*, *invertens*, perdens, הון EUN *copiam*, abundantiam rerum, et עין OIN aquarum irrigationem.

70. NEAESCH *Oratio humilis*, submissa ad Deum, *clamor orantis*, et precantis. Temura

inversa SCHEAEN: Nempe שוע SCUO SCHUO *vox, clamor*, exclamatio, et אניה ANIE *maeroris*, *doloris*, quia quis est יגה INE, ענה ONE afflictus, oppressus, amaritudine plenus.

71. NERIOSENG *Genius Ignis Regii, Foci*, qui *Regibus* inservit: Quia est נהר NER *Ignis*, focus, נגס NGS temurice SENG *Regis*, Principis, summi Imperantis.

72. PEETIARE: Nomen *Principis Daemoniorum*, sive *Ahrimanii*: 1. Quasi PEETI-ARE, sive פתי PHTI PEET *dilatans* extendens, ארר ARR ארה ARE *execrationes*, *imprecationes*. 2. vel Temurice quasi ERAI-TEEP, nempe אר AR. ארה ARE Maledictio, imprecatio, et תעף TOPH. TEEP *horribilis*, *abominabilis*, execrabilis. 3. Vel quasi ERAIT-EEP, רתת RTT celer, terribilis, horrenda, אף APH, EEP ira, indignatio, furor.

73. PETESCHOM, *Solemnitas* sacra, festum insigne; a פתי PHTI, PETI, PET *dilatans*, extendens, אשם ASCM, ESCOM *Expiationem*, Sacrificia expiatoria.

74. PIETESCH: *Daemon infamans*. qui facit *obloqui*, et infamare alios: a פתי PHTI, PIET *dilatans*. *multiplicans*, שעא SCOA, שוא SCUA ESCH *clamores*, *mendacia*, vanitates.

75. RAMESCHNE-KAROM: *Genius* bonus, qui *aufert* ab Hominibus *aegritudines*, *dolores*, *mala*. Temura inversa est MORAK-ENSCHE-MAR. Nempe מרק MRQ, MORAK, *aufert*. tollit, dispellit, אנש ANSC. ENSCHE, *aegritudines*, ab אנש ANSC, vel אנס ANS *Hominibus*. et מאר, מר MR MAR *moerores*, et *amaritudines* omnes.

76. SAMEHE: *Daemon maleficus*, *noxius*. Temura inversa EHEMAS ipsum חמס CMS, HMS EHEMAS *raptor*, violentus, iniustus, quasi *Crocodilus*, et *Typhon* Parsorum. Vid. Part. II. Sect. I. Art. 4. Pag. 101: 102.

77. SAPANDOMAD : *Genius bonus*, unus ex septem maximis, *Telluri* iuvandae praepositus. Temura inversa est DAMO-D-NAPAS, nempe : אדמה ADME, DAMO *Telluri*, Terrae, די DI *sufficientiam*, copiam tribuens, נפש NPHSC, NAPAS *Spiritus*, *Genius*, Potestas.

78. SAPETMAN : *Cognomen Zoroastri*, a שפט SCPHTH, SAPET iudicium, iura, praecepta, ritus, *leges*; et מנה *dare*, *tribuere*, statuere, quod Zoroastrum fecisse tenent.

79. SARESEOK: *Taurus* ille Archaeogonus, qui *Homines* in *varia* Mundi *Climata asportasse* aiunt : Est enim SAR-ESE-OK : nempe est שור SCUR, SAR, *Taurus*; איש AISC, ESE, *Homines*; היך EIK, EK, OK *ducens*, *adducens*, gestans.

80. SATEVI: *Astrum bonum*, Stella benefica *Pluviae*, et aquarum irrigationi praeses, ipsum fortasse *Sothi* Aegyptiorum, nempe *Sirius* Graecorum, est utrumque a שתה SCTE, שתיה SCTIE, SATEVI *rigatione*, *irrigatione*.

81. SREOSCHOK: *Daemon maleficus*, *atrox*. Temura inversa KOSCHOERS, nempe קשה QSCE, KOSCHO *durus*, *asper*, ferus, et ארס ARS ERS *venenosus*, venenatus.

82. TASCHTER, vel TASCHDER *Genius bonus aquas distribuens*, irrigationi praeses : Temura inversa RED-SCHAT, nempe רד RE D *fluere* faciens, *aquas manans*, et שתה, SCHAT *irrigationem*, *potum*, aquas, dans, tribuens.

83. TIREH AL BORDI : *Mons Dei*, *Mons* Hormusdi : Namque est טור THUR *mons*, vel Mons יה IE *Dei*, TIR-IEH, et est *celsus umbilicus* Mundi, AL-BORDI, ut superius diximus. Pag. 160.

SECTIO II.
ETYMA SELECTA
EX LEXICO HIEROGRAPHICO
SINENSIUM (1).
I. TIEN-HOANG:

Imperator Coeli, *Spiritus Coeli* potens et providus; dictus etiam *Tien-Ling*, sive *Coelum intelligens*, Symbolo *Draconis* expressus. *Tien* videtur esse omnino a Semitico מגן THNN *Tonare*, *tinnire*, sonare, cogitare, providere, considerare, meditari, velle, augurari, ominari: Quae omnia *Spiritui Coeli* ex Sinensium mente perfecte congruunt: Adeoque videtur esse ipsum TINA Etruscorum, et *Tonans* Romanorum: Quumque *Draco* תנין TNIN homiophonon מגן THNN sit eius Symbolum, vix dubitari potest, quin illud etymon sit verum. *Hoang*, sive ut alii pronuntiant *Hoan* videtur esse factum ab אין AIN spatio immenso *Coelesti*, עין OIN oculo provido, inspiciente, און AUN, הון EUN, אן AN intelligente, potente, fortissimo, parante, praebente, copiam et abundantiam rerum: Simili אין AIN Rabbinorum, et און AUN, AVEN, ON Aegyptiorum, Syrorum, Palaestinorum, et Hebraeorum Idololatrarum, de quo diximus Part. I. pag. 80. et Part. II. pag. 126. 128. *Tien-Ling* est מגן THNN *cogitans volens*, רוח RUC *Spiritus*,

(1) Vide Discours preliminaire *du P. Premare a la version Francaise du Chou-King. Paris.* 1770.
Lettres *de Hautes-Rayes a Goguet*. Tom. III. *de l origin. des Loix.*
Memoires *des Mission. de Pekin* Tom. I. pag. 101. etc. Tom. III. pag. 8. etc.
Annales de la Chine: *traduction du P. Mailla.* Tom. I.

anima, mens; quia L loco R adhibetur a Sinis; et RUC efferri *Ling* congruum est, et *Ling* est revera *Spiritus*, *Anima*, Genius Sinis. Tum *Ling* quasi *Lim* plurimorum pronuntiatione respondet Semitico רם RM *celso*, *elevato*, et quasi volitanti, quia *Ling* est Sinis etiam *elevatum eminens*; et *Spiritus*, *Animae* defunctorum quasi voce propria dictae sunt רם RM *Ram*.

II. POUAN-KOU:

Ita appellatur a praestantioribus Mythographis Sinensium *primum* Ens, *primum Animans*, quod e *Chao emerserit*, et quod quotidie novem diversas *formas indueret*, et res in alias species, et *figuras converteret*. Atqui פנה PHNE, פני PHNI homiophonon POUAN est *facies*, aspectus, *forma*, et insuper *vertere*, convertere, corrumpere, *perdere*, *immutare*. Tum חיה CIE homiophonon KOU est *animal*, *animans*. Ergo POUAN-KOU est revera פני-חיה PHNI-CIE, *Animal* scilicet, quod in varias *formas* se *immutet*, vel alia in *varias figuras* convertat: Videtur omnino *Proteus* Graecorum.

III. JEOU-TSAO-CHI.

Ita appellatur Imperator Mythicus, qui *Domos Ligneas* primus Hominibus *parat*, et compingit; qui primus *axes*, scandulas, trabes *dolat*, et coagmentat, ut Familias vagas, et exleges certo loco *figat*, et propriâ sede collocet. Atqui *Jeou-tsao-chi* vel *ghi* est omnino Semitice יצג ITZG, qui scilicet *figit*, *collocat*, constituit: sive Sinice י-צ-ג I-TZ-G *Jeou-tsao-ghi*: Est יצק ITZQ, י-צ-ק, I-TZ-Q, sive *Jeou-tsao-ki*, scilicet, qui *compingit*, *coagmentat*, aptat, qui קצץ QOTZ *Ko-Jeou-tsao radit*, *caedit*, *do-*

lat, עצה OTZE *Jeou-tsao-he Ligna*, *Scandulas*, trabes; ut Familiae, Tribus, Gentes, צעה TZOE *Tsao-Jeou-he*, *vagae*, *errantes*, instabiles. יצג ITZG *Jeou-tsao-ghi* maneant *fixae*, habitent *certo loco*, *propria sede* collocentur.

IV. SUI-GIN-CHI.

Imperator, qui primus *Lignorum attritu elicit Ignem*, primus *Scintillas educit*, et *Focos alit*, et adeo *vitam* socialem *iuvat*, et instruit. Et ita quidem: Nam *Sui-gin-chi* est שגה-אח SCGE-AC, contracte SGC, et Sinice *Sui-gin-chi*. Est autem שגה SCGE *augere*, accrescere, multiplicare, et אח AC est *focus*, *ignis domesticus*, et socialis. Quod si nomen datum pronuntiatur *Sui-gin-sci*, secunda *radix* erit אש ASC pariter *Ignis*, et *Focus*. Praeterea גשש GSCSC sive *Gin-sci-sci* est qui *quaerit*, *explorat*, investigat: et שגה SCGE, sive *Sui-gin-he* est *oblectare*, *iuvare*. Adeo ut *Sui-gin chi* sit Imperator, qui *quaerit*, investigat גשש GSCSC, *bona*, *utilia* commoda גשה GSCE, et singillatim *inveniat* et *augeat Focos* שגה-אח SCGE-AC, vel שגה-אש SCGE-ASC, ut vere scilicet sit *Sui-gin-chi*, vel *Sui-gin-sci*.

V. FO-HI, seu PAO-HI, et TAO-HAO.

Imperator sapientissimus, a Matre *Hoa-sie* ex splendore *Arcus Coelestis* conceptus, a plurimis habitus Fundator et primus Constitutor Imperii. Primus invenit *Lineas* Kua Libri *Y-king*, sive I-kim, et Tabulam *Ho-tou*: Primus *retia* et *laqueos* ad decipiendas feras; Primus modum *coquendi cibos*. Plures tribuunt Imperatori *Fo-hi Caput Tauri*, et *corpus Serpentis*.

1. FO-HI est Semiticum פחה PHCE, F-HE,

Dux, *Princeps*, Ductor; PAO-HI est פאח PHAE, PAO-HE iterum *Dux*. Ductor, *Princeps* Populi, immo פאח PHAE *Angulus*, et quasi *Fundamentum*, *Lapis angularis* Imperii.

2. TAO-HAO est Semiticum ידע IDO, דע DO, TAO-HO, deficiente D apud Sinas: Nempe *scire*, *nosse*, *cognoscere*, Doctrina, Sapientia. Est insuper תאח TAE, TAO-HAE *signare*, vel תוח TUE, TUE-HE *delineare*, *signare* קו QU *Lineas*, scribere. describere. quia omnium consensu ei tribuuntur *Kua* sive קו QU, קו QU *Lineae*, *Signa Metaphysica*, et *Divinatoria* apud Sinenses celeberrima, et prima adeo fundamenta Libri *Y-king*, sive meliore pronuntiatione *Y-kim*, nempe Libri יקם IQM *I-kim*, *Fati*, *Decreti*, rerum a Diis constitutarum, atque futurarum. Nam omnino *Y-king* est Sinis Liber *Fatalis*, et Divinatorius.

3. FO-HI, sive PAO-HI erit omnino *Splendidus*, lucidus. ut *Sol* et *Luna*, et ex *Splendore* etiam erit *conceptus*, quia est Temura Semitici יפע IPHO, HI-PHO, HI-PAO *lucidi*, *splendidi*, qui *apparuit*, exortus est ex *Luce Arcus Coelestis*, יפח IPHE *decora* et pulcra, vera et genuina Coelesti: *Veritas* enim קשט QSCTH est homiophonon קשת QSCT *Arcus*.

4. Praeterea פחח PHCC, פח PHC, FO-CHI, vel FO-HI est *laqueus*, rete, decipula: Ergo FO-HI inveniet *retia*, *laqueos* venatorios. Tum אפח APHE Temura פאח PHAE, sive PAO-HE est *coquere* excoquere *cibos*: Ergo PAO-HE sive פאח PHAE docebit Populum אפח APHE, HA-PAO, nempe *coquere* cibos. Quin si פאח PHAE est homiophonon אפעא APHOA *Serpentis*, Viperae, erit profecto Imperatori PAO-HE, sive PAO-HI *corpus Serpentis*.

5. Tandem tradunt Mythographi Sinenses *Serpentem-Equum* sive *Long-ma* adtulisse Imperatori FO HI Libellum illum *Y-king*, et profunda eius mysteria explicasse et aperuisse. Ita quidem: Nam *Serpens* est שרף SCRPH, et *Equus* est פרש PHRSC, et פרש PHRSC est ipsum *explicare* et *interpretari*: Tum *Long-ma* est homiophonon *Lek-ma* Temura מלך MLK *Regis*, et homiophonon לחם LCM *artificis*, *auctoris*, concinnatoris, לוח LUC *Tabulae* praeceptorum et mandatorum. Adeo ut ita Mythum et Fabulam licet interpretari: *Fo hi* Rex מלך MLK sive *Ma long* Hominibus adportavit attulit חמל CML, temura eiusdem *Ma-long*, *Librum* ספר SPHR, temura homiophona פרש PHRSC *Equi*, et שרף SCRPH *Serpentis*, *Librum*, inquam, *Numerorum*, et *Calculi* ספר SPHR, et eum *explicavit* eis et interpretatus est פרש PHRSC, quasi שרף SCRPH *Serpens* - פרש PHRSC *Equus*, qui Aegyptiis etiam fuit Symbolum πχρρησιχς, et *interpretationis*, ut animadvertimus in *Hieroglyphicis Selectis* Pag. 58. Monstrum autem *corpore Serpentis* potius, quam *Piscis*, ut mihi videtur, et capite et pedibus anterioribus *Equi* conspicitur in vase, ex iis, quae *Etrusca* etsi perperam solent appellari, et quod Comes Caylus exhibuit Tom. I. *Recueil Planche* XXXII Quin Tom. V. *Planche*. LIV. 5. conspicitur *Serpens* habenas *Equi* dorso eius impositus ore tenens. Adeoque fuisse et Graecis Mythum similem Sinensi probabile est.

VI. KONG-KONG.

Princeps rebellium, et *reproborum* simillimus *Typhoni* Aegyptiorum, *Typhoeo* Graecorum, et ipsi fere *Arimanio* Persarum. Coelum quassat, et disrumpit, Diluvium inducit, et omnia

funditus turbat. Nam *Kong-Kong* est יקע IQO, יקע IQO, qui *irruit*, *ingruit*, *divulsit*, luxavit, quassavit, ruinam fecit: quae penitus characteri congruunt. Tum קעא QOA, קעא QOA est ingens, sonitus, immanis strepitus, qui maximas ruinas necessario comitatur, et tandem temura homiophona עוק OUQ, est *arctare*, *premere*, vexare, angustiare, quae omnia Typo huic Mythico sunt plane congruentia.

VII. NIU-VA, NIU-HI, VEN-MING.

Virgo divina, summa *intelligentia* et prudentia praedita, Pacis praeses, debellat *Kong-kong*, Coelum quassatum et luxatum a Tyranno restituit. Ita quidem: Nam *Niu-va*, *Niu-ba* est ipsa Temura בינה BINE Rabbinorum, *Intelligentia* et prudentia summa, adeoque valde similis *Minervae* Etruscorum, Graecorum, et Latinorum. Tum *Niu-hi* est Semiticum נוח NUC, NUH *Niu-hi Pax*, requies; Et *Ven-ming*, vel est בנה BNE *aedificans*, exstruens, et מנע MNO *cohibens*, reprimens ruinas, et mala facta a *Kong-kong*, vel est הון EUN mens, intelligentia, און AUN fortissima, robustissima, מנע MNO *cohibens* mala.

VIII. CHIN-NONG.

1. Imperator dictus etiam *Jen-ti*, et *Kiang*; filius *Mulieris* dictae *Ngan-teng*, sive *Niu-tang*; Primus docet *Terram colere*, *plantare*, serere; Primus *Herbarum* vires *explorat*, et Stirpes medicas colligit; *Loquitur* vix *natus*. Ita quidem: Nam:

2. *Chin-nong*, sive *Chin-nom* fit ex Semitico כנה KNE *Planta*, *germine*, surculo, et נמה NME crescere, augere, accrescere: Adeoque *Chin-nom* est qui *curat*, ut *Plantae*, germina *crescant*

et augeantur. At מנה MNE homiophonon *Nor*, *Nong* est *numerare* recensere: Ergo *Chin-nom recensebit Plantas*, et *numerabit Herbas* in usum medicum.

3. Appellabitur insuper *Jen-ti* Temura homiophona נטע NTHO *plantavit*, *plantas fixit*, agriculturam exercuit: Quin erit filius *Niu tang*, et *Ngan-teng*, quae sunt homiophona נטע NTHO varia pronuntiatione prolata. Originali enim suo Instituto Sinenses aliquantum varie easdem Literas Semiticas pronuntiarunt, ut Monotoniam, quae ex summa paucitate elementorum necessario oriebatur, quantum poterant imminuerent, et quod caput erat, ut *Crypticismum* augerent.

4. Dicetur etiam *Kiang*, *Kiam*, quia קום QUM est *crescere* elevari, quod *Plantarum* proprium, et quia קמה QME est *seges*, frumentum, et קמח QMC iterum *frumentum*, et *farina*.

5. *Chin-nong* tandem vix natus loquetur, quia st ניק NIQ *infans*, puellus, lactens, temura homiophona *Chin*, נאם NAM, *Nom*, *Nong*, *loquens*, disserens. Sinenses enim servarunt integras Voces Semiticas, in quibus essent *Literae Nasales*, vel *Gutturales*, ut aliquando in *Centuria Sinogrammatum*, et in *Hermeneutica* innuimus: Utque plenius dicetur, ubi, Deo dante, agemus de Origine et Formatione *Linguarum fractarum*.

IX. HOANG-TI.

Dictus etiam *Souan-Iven*, *Kong-sun*, et *Hienyuen*, Matre *Fu-pao* per Nubem lucidissimam genitus; *Mucrones* et quaevis Arma *acuta* invenit, et primus *Muros* ex *Lateribus* exstruere docuit.

1. *Hoang-ti* fit, ut puto, ex הון EUN *mente*, *intelligentia*, און AUN *robore* potentia, עון OUN *adiumento* auxilio, et די DI *sufficientia*, abun-

dantia, plenitudine, quae Nomini *Augusto* convenientia.

2. *Souan-Iven* esse arbitror a שנן SCNN *acutus*, acuminatus, בנה BNE *fabricare*, *condere*, quia arma צנה TZNE, et quidem *acuta* שנן SCNN, ut animadvertimus, invenisse dicitur. Et שנ-בנה SCN-BNE, vel SCN-VNE, imo etiam צנה-בנה TZNE-VNE sunt homiophona Sinico *Souan Iven*.

3. *Kong-sun* sive *Kom-sun* erit a חמה CME, חום CUM *Kong* Muri, *moenia*, et נסס NSS temura *Sun*, *elevare*; extollere, moliri, vel *Sun* est ipsum סון SUN Semitarum *Latum*, et probabiliter *Creta Lateribus* conficiendis apta, quorum fabricatio huic Imperatori tribuitur.

4. Mater est *Fou-pao* sive פי PHI, PI, os oris; יפע IPHO *splendidum*, יפה IPHE *decorum pulchrum* ex lucidissima *splendida* יפע IPHO, *nube* ענן ONN, ענגה ONNE, ענין ONIN, sive *Hien-yuen*, gignens *Hien-yuen*, sive ipsum *Hoang-ti*.

4. *Uxor* Imperatoris secundum plures est *Si-lin-ghi*, quae prima docet modum educandi *Vermes Sericos*. Atqui *Si-lin-ghi* sive *Si-rin-chi* est ipsum *Serici* pronuntiatione Sinensi: Illique *Vermes* etiam modo a nostris plerumque *Silichi* dicuntur.

5. Sub *Hoang-ti*, *Iong-tching*, sive *Jomtchim Kalendarium* curat, et ordinem temporum disponit, quia ille est, qui de *diebus* יום IUM *Iong*, *curat*, cogitat זמם ZMM, *Cim*, *Tchim*. *Koue-in-Kiu* porro ille est literatus vir, qui *Sphaerae armillari*, quae dici potest *Sphaera* ענק ONQ, GONQ, KNQ, K-N-Q, sive *Koue-in-Kiu*, aptat disponit *Temporum* cursum; quia est כון KUN *Koue-In*, *aptans*, disponens, קו QU, *Kiu Lineas*, et temurice עק OQ *curvas* incurvas, ut

sunt *Circuli armillares*, et ipse חנך CNK *Koue-in-Kiu informat*, edocet, monet Imperatorem de *Temporum ordine*, et intercalatione dierum.

X. TSANG-KIE,

Quem alii Imperatorem vetustissimum, alii *Philosophum* sub *Hoang-ti* faciunt, dicitur invenisse *Characteres Scripturae* communis et *polygraphicae* ex *vestigiis Avium in arena* impressis. Et ita prorsus. Nam *Tsang-Kie* sive *Tsam-Kie* est ipsum Semiticum צמק TZMQ, Sinice *Tsam-Kie*, *locus siccus*, *arenosus*, *arenis stratus*: Tum צוק TZUQ, sive *Tsue-Kie* est *premere*, *imprimere*, infigere, et צנח TZNC sive *Tsang-Kie* est *inarrare*, *figere*, infigere: et tandem קמצ QMTZ, temura perfecta צמק TZMQ est *colligere*, *coadunare* plures *lineas*, et *tractus* unâ *cogere*, quod *Scripturae Sinicae* est fere proprium et peculiare.

2. *Tsang Kie* in *Scriptura* ista absolvenda utitur Sociis *Ki-pe*, *Sou-ven*, et *Lei-Kong*: Utitur nempe כפה KPH, Ki-pe *Manu*, *dexterâ*, qua scribimus; שנן SCNN, שן SCN *Sou-ven*, *Stilo*, *ferro* acuto, quo uno possunt *Tabulis* et *Asseribus Characteres* imprimi et infigi; et tandem לחה LCE, לוח LUC *Lei-kong Tabula*, *Asrere*, *Ligno dolato*, quo *Characteres* imprimuntur,

3. Characteres a *Tsang-Kie* inventi dicuntur *Niao-tsi-ouen*, sive *Characteres* facti ex *vestigiis Avium*: Atqui נצה NTZE, נצ NTZ sive *Niao-tsi* est qui *volat*, qui *pennis fertur*; et בנה BNE, *ben*, *ven*, *ouen* est *opus*, *fabrica*: Characteres ergo *Niao tsi-ouen* erunt *Volantum* et *Volucrium* opus, nempe נצ-בנה NTZ-BNE, *Niao-tsi-ven*. Imo potius sunt *Characteres* נצב NTZB *Niao-tsi-ven impressi*, *insculpti*, manentes in *Tabulis*. Dicuntur insuper *Kuo-teou-tchong*, non a nomine

nescio cuius *Insecti*, cui nullo modo sunt similes, sed quod fiant a קו QU *Kuo*, *lineis*, tractibus *linearibus* mutuo *adhaerentibus*, תכה TKE *Teon-tchong*.

4. Dicuntur tandem *Characteres Tsang-Kie* etiam *Kou-teu-ven*, non quod sint Characteres Insecti *Kou-teou*, sed quod sint *Characteres* כתב KTB *Kou-teou-ven* nempe *Literae*. *Scriptura*, *Librorum* Characteres; quibus Literati Viri utuntur ad *Scribendum*.

XI. TCHUEN-HIO.

1. Imperator, qui *Sacra* et *religiosa* Gentis *curat*, qui *Liturgiam* auget, et a pravis *Ritibus* liberat. Nam est כהן KEN *Sacerdos* per excellentiam, temurice כנ ה KN-E, et Sinice *Tchuen-hio*, *Ciuen-he*, qui כנה KNE, *aptat*, *ordinat*, disponit, expendit, ת-כן T-KN *mensuras*, dispositiones, *ritus*, *ceremonias*, *Sacerdotum* כהן KEN sive *Tchuen hio*. *Pater* Imperatoris dicitur *Tchang-y*, *Cian-y*, sive חנה CNE *Cen he*, *Tchang-hy Pietas*, *misericordia*, *clementia*, gratia, et *Mater Tchang-pu*, sive זבח ZBC *Zebece*, temurice *Zecebe* homiophonice *Ceng-be* sive *Tchang-pu sacrificium*, *holocaustum*, *oblatio*; quae *Tchang-pu* sive זבח ZBC est *filia Chou-chan-chi*, sive *Sciou-scian sci*: quae vox fere ipsa nempe *er-Schou-schou-schi* est *Coptitis sacrificare*, *sacrificia* peragere: Utraque a Semitico שסע SCSO, cui addito alio ש SC intensivo, quod Chaldaeis, Syris, et Judaeis solemne, est ipsum *Schou-Schou-Sou*, quod est *lacerare*, *discerpere*: Vel etiam, si mavis, erit a שסס SCSS, seu *Schou-sou-sou lacerare*, *spoliare*, quod sacrificantes veteri ritu faciebant.

2. Tum iussu eiusdem *Tchuen-hio* praeficitur sacris *Keou-ming*, et praecipitur, ut *curam ha-*

beat Liturgiae constitutae, quia est חמן CMN *Keou-ming*, *Sacerdos* nempe, *Sacrificulus*, addictus τοις חמנים CMNIM *Chamanim*, de quibus Seldenus, Spencerus, aliique plures egerunt.

3. Tandem praeponitur *Tcha-pe* ad moderandos et temperandos animos Populi, et bonos mores praecipiendos, quia est כפה KPHE *Tcha-pe*, qui *curat*, *moderatur*, flectit, inflectit, prohibet, retrahit a malo et noxa.

XII. TI-KO, vel CAO-TSIN.

Imperator *bonus*, *sapiens*, *desideratus*; Populum in Literis erudiri curat, *Instrumentis Musicis vocem* humanam *aptat*, et Deos pure colit. Ita quidem: Nam est תקה TQE, TI-KO *Spes*, *exspectatio*, res desiderata; est תקי TQI TI-KI *purus*, *bonus*, eximius. Praeterea תקע TQO est *clamare*, *vociferare*, *canere*: Adeoque תכה TKE, TI-KO *addet adiunget vocem* קוא, QOA Musicis instrumentis, quae pulsantur דחה DCE Sinice TI-KE: Quin vox Semitica נצח NTZC temura Sinica *Cao-tsin* est *Praecentor*, *Praeses* rei *Musicae*, qui *Musica curat*. Ergo *Ti-Ko* erit *Cao-tsin*, sive נצח NTZC temurice ח-צן C-TZN *Cao-tsin pulsantibus* דחה DCE *organa* Musica. Tandem *Ti-Ko* temura homiophona חטה CTHE *scribens*, lineas *ducens*, curabit etiam, ut Populus חטה CTHE *scribat*, lineas ducat, et characteres efformet.

XIII. HEOU-TSIE

Appellatur Princeps *fortis*, *robustus*, filius Imperatoris *Ti-Ko*, qui *infans clamat* magna *voce*; *Agriculturae praepositus* omnia, quae ad rite colendas *Segetes* faciunt disponit et praestat. Et ita quidem: Nam 1. est חצ CTZ, *Heou-tsie fortis*, *robustus*, valens viribus, et qui propte-

rea valide et immaniter צוח צוח TZUC, vel צעק TZOQ *Tsie-heou clamabit*, *inclamabit*. 2. Quia חצא CTZA *Heou-tsie* est *fodere*, *effodere* humum, et צחו TZCU *Tsie-heou* est *sarrire*, *purgare* arvum a noxiis herbis. Insuper חטט CTHTH est *arare*, *sulcos ducere*. Tum חץ CTZ, חצה CTZE *Heou-tsie* est *secare*, caedere: et חצב CTZB, et חצד CTZD, sive *Heou-tsie-ti* sunt *metere*, *secare segetes*, *fruges*. Nec est praetereundum dici חץ CTZ *Heou-tsie* omnia *frugum vitia* et mala *uredo*, *rubigo*, etc.

2. *Mater* Principis *Heou-tsie* dicitur *Kiang-yuen*, sive *Kiam-yue*, quae est ipsa קמה QME Sinice *Kiang-ye*, *seges*, *messis*, ager segetibus plenus. Tum קמח QMC sive *Kiam-kie* est *farina*, *frumentum molitum*, permolitum; et חמה CME est *Calor aestus*, adeoque aestas, qua fruges maturescunt, et revera formantur, et fiunt.

3. *Pater* Principis *Heou-tsie* est *Ti-ko* sive Temura חטה CTHE *frumentum*, Semen frugiferum, quod seritur, et in *sulcis* חט CTH, ut תכה TKE *adhaereat*, occulitur.

4. Tandem *Heou-tsie*, qui videtur *Typus Seminum* in usum Hominum destinatorum, in lucem editur a Matre *Messe* קמה QME, *Kiang-yuen* decimo mense absoluto a *Patris* TI-KO morte: Quia revera post Sepulturam TI-KO sive חטה CTHE *Seminis Frumenti* in *sulcis* חט CTH, in tota fere Zona temperata, ut habeatur *Messis*, et Frumentum novum servetur, *decem* integri *menses* intercedunt.

XIV. TI-TCHI.

Imperator *pravus*, *malus*, perversus; quia est תך TK Ti-tchi *dolus*, *fraus*, *perversitas*, et temura חטא CTHA *peccavit*, *erravit*, malus, et nequam fuit.

XV. IAO ,

Imperator *optimus* , praestantissimus , dictus etiam *Ti-Jao* , et *Jao-tang*. Nam יאה IAE *Jao* est *pulcher, decorus* , commodus , utilis , *bonus*, et *Ti-Jao* est דע DO , ידע IDO *scivit* , *novit*, scientia , doctrina , sapientia , et *Jao-tang* est דעת DOT, ipsa *scientia* , *doctrina* , quasi ipse *Thaut* Phoenicum, et *Thoth* Aegyptiorum esset. Vel יאה IAE , תום TUM , *perfectus Decor* , absoluta Maiestas.

XVI. PE-KUEN , vel PE-KUE.

1. Praefectus *Canalium* et *Aggerum*, qui iussu Imperatoris *Jao* erant exstruendi , ut aquae Diluvii *effluerent* , *Dux* praepositus ad liberandas Terras ab aquis Diluvii.

2. פחה PHCE *Pe-kue* est *Dux* , *inspector*, *praefectus* , praepositus : פקד PHQD *Pe-kue-ti* est *visitator*, ut alveos canales obstructos, *occlusos*, פק PHQ *Pe-kue* , *aperiret* reseraret פתח PHTC *Pe-ti-kue* , et *aquae* tandem *effluerent*, *diffluerent* פכה PHKE , *Pe-kue*, et ad mare exirent, decurrerent , profluerent פוק PHUQ *Pe-kue*.

XVI. IU , vel IU-VEN-MING.

Filius *Pe-kue*, qui tandem cohibuit inundationem et Diluvium , aggeribus et canalibus extructis , et fuit revera *Iu-ven-mim* , sive ינה INE *Ju-ven cohibens comprimens* , מים MIM *Ming aquas* Diluvii. Ob quam gratiam fabulantur deinceps Imperatorem factum.

SECTIO III.

ETYMA SELECTA

EX LEXICO HIEROGRAPHICO

BRACHMANUM (1).

1. AGNI, vel ACNI *Deus Ignis*, et *Foci* domestici: Ab אח AC *Ignis*, *focus*, et נאי NAI *commodus*, idoneus, *utilis*, ut quis נוח NUC, INCA *habitet*, *quiescat*, recreet se Domi. Tum Temura inversa INGA, est homiophonon נגה NGE *splenduit*, *illuxit*, fulsit, ut *focus* et ignis, et גנן GNN AGN est *Tectum* Domus, qua lucet et servatur *Ignis* socialis et utilis. *Uxor* porro Dei *Agni* est *Suaha* ipsa temura Semitici אש ASC *Ignis*, et peculiari Dialecto אשא ASCA HASUA unde Temurice est SUAHA.

2. APSARAE *Puellae* divinae, *pulchrae*, venustae: quasi ארס ARS, ארש ARSC *Sponsae*, *Nymphae*, יפה IPHE AP *pulchrae*, *venustae*, decorae.

3. ASUANI *Deus Medicus*, Geniorum bonorum Curator: ab אסי ASI *mederi*, *curare*, sanare, et נאי NAI commodus, utilis.

4. ASSUAMEDA *Sacrificium Equi*, a סוס SUS ASSUA *Equus*, et מד MD *ritus*, *regula*, liturgia, et temurice ab אדם ADM, vel דם DM *sanguis* et סוס SUS, AUSSA *Equi*.

5. ASCHURA *daemones mali*, noxii, terribiles: a שער SCOR ASCHUR, *terribilis*, *timendus*, malus; unde et illi שעירים SCOIRIM Syrorum.

---

(1) Vid. Auctores citatos Part. II. pag. 133.

6. BADDRA *Dea miseriarum, malorum*, inopiae: a בדד BDD, בד BD *solus*, *vagus*, *exsul*, desertus, dispersus, et רוד RUD *deiectus*, *proiectus* fuit, descendit praecipitavit. Temura inversa est ARDDAB, sive רד RD, ARD *domina*, *datrix* דאב DAB *dolorum*, *aegritudinum*, malorum, infirmitatum.

7. BANASCHURA *filius Bali* Regis pessimi et infandi; a בן BN BANA *filius*, natus, שער SCOR *pessimi et terribilis*, שעיר SCOIR *daemonis*.

8. BIROZANA, *Daemon noxius*, nefarius, maleficus. Qui ברז BRZ *transfodit transfigit*, et נוא NUA ANA *effringit*, *labefacit*, destruit. Tum Temura inversa est ANAZ ORIB nempe נזה NZE *spargens*, *importans*, ערב ORB *tenebras*, *caliginem*: vel רהב REB *superbiam*, insolentiam, tumultum, terrorem.

9. BRASHAPARBA *Daemon atrox*, nefarius, superbus. Temura inversa est ABR-APASH-ARB: Nempe est בר BR, ABR *filius*, *genitus*, פשׁ PHSC, APASH *superbiae*, sceleris, פשׁע PHSCO *rebellionis, praevaricationis*, רב RB ARB magnae, ingentis, qua בריה BRIE, BRA *creaturas* Dei, entia creata, שׁפה SCPHE, SHAPA *conculcat*, *proculcat*, vexat, angit, רב RB RBA *multum*, immaniter.

10. CAMA *Deus Amoris*, *Cupido*, quia est חום CUM *Calor*, *aestus*, et ipsum כמה KME, CAMA *desiderium*, exoptatio, concupiscentia.

11. CHENPURUSHA *Angeli* et *Genii alati*, pulcri, delicati, molles: Quia sunt כנפה KNPH, CHENPU *alati*, *alis praediti*, שׂר SCR temurice RUSHA *Principes*, duces, qui vivunt אשׁר ASCR, ASHUR, *feliciter beate*, et פנק PHNQ UPNECH *molliter delicate*.

12. CHINNARA sunt *Musici Coelestes*, qui

organa Musica pulsant: a כנור KNUR CHINNARE, *Cythara. Lyra.*

13. CIANDRA *Luna*: Temura inversa ARDNAIC: a רד RD, רדה RDÈ *domina*, praeses, dispensatrix, vel quae extendit dilatat נוח NUC NAIC *requiem*, *quietem* somni; et recta a חין CIN sinu, gremio. et דור DUR Generationis, Geneseos, quia *Luna* ab omnibus fere Veteribus habita est Genitalis, Locus Generationum, Planeta, quo Semina genitalia essent collocata et condita, et ex qua in Terras effluerent.

14. CUBERA *Deus* vel *Genius Antrorum*, et Specuum, quibus *Metalla*, et Lapides pretiosi condi et servari putantur: a חבב CBB *sinu gremio*; חבה CBE. גביא GBIA *fovea*, *antro*, caverna, et עיר OIR. ERA *vigil*: a קבר QBR etiam *fossa*. fovea, et כרב KRB *fodere*, *effodere.*

15. DANAVA, vel DANABA *Daemon* pessimus perdens et absumens omnia: est Temura אבדן ABDN, *Abadon. perditio*, *ruina*, exitium.

16. DERGODARSA: *Genii boni*, *providi*, qui ad *benefaciendum accurrunt*: a דרג DRG *ire*, *venire*, accurrere, et דרש DRSC *quaerere*. *exquirere*; et temurâ inversâ a סרד SRD ASRAD ut *trepidantes*, excurrentes, *pavidos*, גדר GDR *Custodiant*, *tutentur.*

17. DUMRACHESA *Daemon noxius*, malus, nefarius, quia est טמא THMA homiophonice DUM, vel TUM, *pollutus inquinatus*, רחש RCSC RACHESA *vermis*; *reptile*, a quo inferatur שחר SCCR, ASECHAR *nigra*, מות MUT, MUD *mors.*

18. DURBASA *Verbum potens*, *imprecatio*, per quam pessima quaeque putant Brachmanes posse effici: a דבר DBR *verbo*, *voce*, *sermone*, איש AISC, אשש ASCSC *vehementi*, forti, vel

יאש IASC *desperationis*, *fastidientis*, et abominantis animi, qua איש AISC homines BRUD, BRUZ ברז BRZ *transfigantur*, *configantur*, conficiantur.

19. ECABATTRA *Daemon malus*, noxius, a quo sint קב QB ECAB *exsecratio*, טרא THRA *violentia*, רטט RTHTH ARTT *tremor*, terror, et בכה BKE, BACA fletus, lacrimae.

20. MOONI est *adolescentula pulcra* venuta, gratiosa: Temura inversa INOOM ipsum נעם NOM pulcra, venusta, gratiosa.

21. NAREDA MUNI *filius Brachmae* inventor Musicorum instrumentorum, *Praefectus Musicae*: Temura inversa est ADE-RAN: Atqui הדד EDD est *clamare*, *canere*, הודה EUDE *laus*, celebratio, et רן RN, רנה RNE *canere cantare*. Tum ידע IDO *novit*, *scivit* intellexit est homiophonon ADE: et מנענע MNONO, vel מנע MNO est instrumentum *Musicum*, et מנים MNIM MUNI-M sunt *Chordae Musicae*.

22. MUDEVI *Dea miseriae*, et *inopiae*: a מדא MDA *perdidit amisit* omnia.

23. RAGHASA *Daemon ferus*, *turbulentus*, noxius, a רחש RCSC *vermis*, *reptile*, רגש RGSC *strepens* tumultuans, רגז RGZ *iratus*, *indignatus*, agitans, vexans.

24. RAGNI dicuntur *Puellae psaltriae*, cantatrices: a רג RG, RAG *suaviter*, dulciter; et רנה RNE *canere cantare*. Tum רגן RGN est *cantitare*, *mussitare*, et נגן NGN est *pulsare* organa *musica*, *psallere*.

25. SANCHASSURA *Daemon* atrox, ferus, terribilis, quasi נחש NCSC temura SANCH, *serpens*, *coluber*, et ריש ROSC temura homiophona ASSURA *horrendus*, timendus, vel רשע RSCO *impius iniustus*, qui שנק SCNQ *suffocat*, *stran*

gulat, et ראש RASC *veneno*, ore venenato eneat et perdit.

26. SCEMALI *Daemon* nefarius, quasi *Samael* Rabbinorum, adeoque est a שמאל SCMAL *laeva, sinistra*, quasi laevus et sinister, vel etiam a שמם SCMM, שם SCM *vastans perdens*, איל AIL. על OL *fortitudinem*, et sublimitatem humanam.

27. SUARBANA *Daemon contumax*, *nefarius*, superbus ipsum סרבן SRBN *rebellis*, *protervus*, contumax.

28. SUCCORA ASARGIA *Daemon pessimus*, noxiissimus, quasi רחש RCSC sive AROCCUS temura inversa vocis SUCCORA *Vermis*, *reptile*, שחר SCCR SUCCORA *niger*, qui גרס GRS AIGRASA studet, attendit, ut שרג SCRG, ASARGIA *intricet*, *involvat*, capiat quasi decipula Homines.

29. SUMANASSA *Angeli* boni, *Genii Coelestes*: quasi שמין SCMIN *Coelorum*, איש AISC homines, incolae; vel שמיא SCMIA *Coeli*, אנש ANSC *Homines*.

30. VARUNA *Deus* vel *Genius* Aquarum, a נהרה NERE *fluvio*, *flumine*, *aqua*, vel יאר IAR *fluvio*, et עין OIN *fonte*, aquarum scaturigine.

31. VIDDIADARA *Genii docti*, *Angeli sapientes*, eruditi, ab ידע IDO VIDDIA *scire*, *nosse*, *intelligere*, et דרה DRE, DARA, iterum, nosse, scire, doctrina, et eruditione ornari.

SECTIO IV.

ETYMA SELECTA

EX LEXICO HIEROGRAPHICO

SCANDINAVORUM (1).

1. ASGARD *Urbs Odini*, *Castrum Deorum*, Scandinavorum: a גדר GDR *Castrum*, *Castellum* munitissimum: Et AS. ASI Dei. ASI autem sive *Dei* Scaldorum, ut Αισοι *Dii* Etruscis, teste Hesychio, omnino ab איש AISC *fortis*, *potens*; עיש OISC *vita*, *vivens*; אסי ASI *medens*, *sanans*, aegritudines tollens; ישע ISCO *servans*, *liberans* a malis dicendi sunt: Omnes enim Dii sunt σωτηρες, et δωτηρες ἐαων, ut ait Hesiodus.

2. ASKE et HEMLA primus *Vir*, et prima *Mulier* facti a Filiis *Bore*. Atqui ASKE est ipse איש AISC Biblicus, et HEMLA est עלמה OLME *Virgo* pudica, quae *arcte colligatur* אלם ALM, *Viro* et coniugi; quae fit חמלה CMLE, HEMLE, *gravida*, *gestans uterum*; et fieri potest deinceps אלמה ALME *vidua*. *Filii Bore*, qui Protoparentes creant, et formant, sunt עולים OULIM ברא BRA, quae homiophona אלהים ALEIM, ברא BRA divini Mosis Genes. I. v. 1. Tum *Filius* est בר BR homiophonon ברא BRA *Creatoris*, et עלם OLM est *Mundus*.

3. ASTRILD *Amor*, *Cupido*, Deus *Amoris* Scaldorum: a סתר STR *protegere*, *tueri*, ילד ILD *Generationes* humanas: et tegere, obtegere סתר STR *mysteria*, *arcana generationis*. Tum inverse est a דלי DLI qui *haurit*, *exhaurit*, דלל DLL *manifestat aperit*, רצה RTZE RTSA *benevolen-*

---

(1) Vid. Auctores citatos Part. II. pag. 151 152.

tiam, *bonam voluntatem*, *affectum* propensum, qua potissimum ratione אצר ATZR, צור TZUR *custodiuntur*, *servantur*, curantur, ילד ILD *nati*, *filii*, geniti. Tum רצע RTZO, cuius temura homiophona est ASTR, significat *lactare*, *nutrire*, quod egregie convenit ילד ILD *filiis* natis, et *Amori* pudico et *coniugali*.

4. BRAGE est *Deus Poëseos*, eloquentiae, Rhetorices. Temura inversa EGARB est ab ipso הגא EGA *meditari*, *loqui*, disserere, disputare, unde הגיוני EGIUNI *Rhetor*, *Logicus*, Dialecticus, et הגו EGU est *Cantus*, *Oratio*, Carmen; et RB est ipsum רב RB *Praeceptor*, *Doctor*, *Magister*. Tum חביר CBIR temura homiophona BRACE est *eloquens*, narrator, qui *componit* חבר CBR, *opus*, librum חבר CBR. Uxor vero *Dei* BRAGE dicitur IDUNA ab ידע IDO *novit*, *scivit*, peritus, doctus fuit, quia Eloquentia absque *Scientia* et *Doctrina* est strepitus inanis et futilis. Quin ידעני IDONI est *Magus*, *Hariolus*, praestigiator: Et quia חבר CBR, sive BRAGE, est etiam *Magus*, *incantator*, coniurator, non dubito, quin *Eloquentia* et Rhetorice ipsius BRAGE sit similis *Eloquentiae* Dei ODINI, qua scilicet *Potestates* quaedam summae et arcanae sint *eloquenter*, et quasi *Orphicâ suaviloquentiâ* demulcendae, et exorandae.

5. BREIDABLIG vocatur *Aedes serenissima*, *pulcherrima*, *lucidissima*, qua degit *Balderus* filius Odini. Dicitur autem BREI-DA-BLIG, quia ברי BRI, BREI est *serenitas*, *puritas*, claritas aëris, דהה DEE, די DI, דא DA sufficientia, copia, quae dat praebet affatim, בלג BLG *recreatio*, *roboratio*, confortans, recreans: Nempe est בירה BIRE *Aedes*, *Arx*, Locus purissimus, et serenissimus affatim et plenissime re-

creans instaurans a quocumque malo, et miseria.

6. BERGELMER, vel HUORGELMER est *Puteus Tartari amarissimus*, *Fovea foetidissima*, qua Homines mali puniuntur: quia est BER, ביר BIR *puteus*, *cisterna*. *fovea*, qua sunt גלגלים GLGLIM omnes *foeditates*, vel quo est גל GL, גלה GLE *scaturigo aquae*, מר MR, מרר MRR *amaritudinis*, *moeroris*, tristitiae. Vel est חור CUR, HURI, HUOR *Fovea*, *Latrina*; גל GL *scaturiens*, מר MR *amaritudines*.

7. EDDA *Liber* Classicus Scaldis, ut *Veda* Brachmanibus, a דע DO *Scientia*, *Doctrina*; עד OD *firma*, *perpetua*, *invariabilis*, quam qui ידע IDO *scivit novit*, omnia novit et scivit. Potest etiam deduci a דד DD *Add*, *Edda*, Mamma, nutrix, altrix, quae lac et alimentum praebet Hominibus, qui huius sint sectae et haereseos.

8. GIMLE *Paradisus* Scaldorum, *Sedes pulcherrima*, suavissima, *locus retributionis* et *premii*. Ita quidem. Nam גמל GML, GIMLE est *elegans*, *decorus*, suavis, placens; et גמול GMUL est *retributio*, *praemium*.

9. HIDSKIALF est *Thronus*, et *Sedes* ODINI praecelsa, ex qua *videt*, *discernit*, discit omnia, quae in Mundo fiunt. Temura inversa est FLAIKSDIH: Nempe FLAIK est ipsum פלך PHLK *Regio*, sedes, *locus*, FLAI, פלא PHLA *Sublimis*, *arduus*, mirus, KSDIH est חסיד CSID *Sanctus*, *purus*, sacer, ex quo HID ידע, IDO *videt*, *noscit*, SKIAL שכל SCKL *intelligit*, *animadvertit*, ALF אלף ALPH discit, addiscit, quae fiunt in Mundo.

10. HIEMDALL *Deus Legatus*, Deus missus, ut *Camillus* Etruscorum, *Cadmilus* Graecorum, et *Casmillus* Romanorum. Est ipsum חדמאל CDMAL HIEDMAL administer, servus Dei, qui חמד

CMD, HIEMD *desiderat*, *exoptat*, חמד CMD HIEMD iterum *laudare*, *celebrare*, אל AL Deum; et ei attente חדם CDM, HDM, HIEDM *servit*, *inservit*. Palatium *Legati* Dei dicitur HIMINBERG non ab HIMIN *Coelo* Gothice, quasi *Domus* ceterorum Deorum fuisset in *Terra*; sed a Semitico אמן AMN et נאם NAM *vera dicere*, *vera proloqui*, quod *Legato* et *Nuncio* essentiale: quodque Mercurius Graecus et Romanus *Agno* אמר AMR, et *Bursa* המיאן EMIAN, ut vidimus loco suo pag. 118. 119. significabat. BERG porro ברג BRG Semitis maxime est *Domus*, habitaculum: unde Gothi, et alii vocem sumserunt. Quamobrem HIMINBERG erit *Domus* sedes *Veritatis* et *Veracitatis*.

11. IDRASIL est *Fraxinus* ingens, sub qua *Dii congregantur*, et *consilia* mutuo *ineunt*. Scilicet est אדר ADR, IDR *magna*, magnifica, nobilis, אשל ASCL *Aesculus* Romanorum, et *Fraxinus* Scaldorum. Tum IDRAS est דרש DRSC *concilium*, *conventus*, consilium, academia, אל AL, IL *Dei*, *Deorum*.

12. MITGARD est *Urbs Deorum munitissima*, Castrum Numinum, quo tuti sunt a Gigantum adgressionibus; a מתת MTT *manere*, *expectare*, confidere, sperare; תם TM *perfectum*, absolutum, et גדר GDR *Castrum*, *Vallum* munitum, scilicet est *Sedes*, qua Dii confidenter manent et degunt, quia tutissima.

13. MUSPEL, *Locus beatitudinis*, mirabilis, exoptatissimae, et felicitatis plenae; quia est משא MSCA, MUS *desiderabilis*, *exoptatus*, *pulcher*, et פלא, PHLA PEL, *arduus*, *sublimis*, mirus, mirabilis, et temura inversa לף LPH est *coniunctus*, *copulatus*, cum שמיא SCMIA SUM *Coelo*.

14. NIDOGER *Serpens* pessimus, qui *ve-*

rat, rodit, et *dissecat radicem* magnae *Fraxini Idrasil*, a qua *Radice* incolumitas Mundi pendet: Nam ניד NID *agitat*, *vexat*., עקר OQR OGER *Radicem*, et דנא DNA *propinquat*, ut גרר GRR *secet*. *dissecet*, *frangat* עקר OQR *Radicem*, דניא DNIA *Mundi*. Fata autem *Mundi* in illa *Fraxino* Scaldi servari putabant.

15. NIFLEIM: *Tartarus*, *Locus reproborum*, *sedes*, qua *impii* et *Deo rebelles* puniuntur et cruciantur: A נפל NPHL NIFL, *praeceps* ruit, praecipitium, *abyssus*, quo *ceciderunt* נפל NPHL, *Gigantes* mali נפלים NPHLIM, et inverse מעל MOL, MIEL *Rebelles*, reprobi, peccatores, qui adeo המם EMM, יהם IEM, *fremunt*, quia sunt omnino פנה, PHNE, FIN *perdendi*, *disperdendi*, destruendi.

16. NIORDR, vel NIORD, *Deus aquarum*, Deus fontium, maris, Oceani, quasi *Neptunus* Latinorum. Fit a NIOR, נהר NER *aqua*. *fluvius*, fons, et רד RD dominari. praeesse, et si vis iterum a רד RD *dominari*, דר DR *fluere* effluere, et עין OIN NIO *fons*. *scaturigo aquarum*.

17. NOSTRAND *Tartarus*, *sedes reproborum*, *locus damnatorum*, quia אנש ANSC NOS *Homines*, אנס ANS *violentos malos*, טרד THRD, inserta nasali TRANDT, *exagitat*, *angit*, *vexat*.

18. OEDUMLA: *Vacca Cosmogonica*, ex cuius uberibus quatuor fluvii Lactis manant, quibus nutritur Gigas *Ymes*. qui est ipse *Mundus*. Ita quidem: Nam OEDUMLA est עד OD, OEDU, *perennis*, *perpetua*, iugis, מלא MLA *abundantia*, copia, qua עדד ODD, עדא ODA, UDEO *nutrit*, *alit*, sustentat, עלם OLM, ALM *Mundum* factum a *Gigante Ymes*.

19. SKALDI, vel SKALDRI, *Poëtae*, *Sapientes*, et *Literati* viri Scandinavorum, ita di-

cti, quià שׂכל SCKL SKAL *scirent*, *intelligerent*, saperent; et quidem די DI *affatim* multum plene, vel דרי DRI *eruditione*, *doctrina* plurima essent instructi.

20. SURTUR Angelus, vel Genius Scaldorum, qui custodit et servat *Muspell*, habens gladium igneum et flammantem in manu sua: quia est שׁטר SCTHR, vel שׁרת SCRT *minister*, administer, אור AUR *Lucis*, *ignis*, *flammae*, qui שׁער SCOR custodit, *tuetur*, *invigilat*, qui תור TUR lustrat, perlustrat, qui סרד SRD SURTU *expellit*, eiicit, רע *malos*, *rebelles*. Vid. Part. I. Pag. 10.

21. VALKIRIAE Deae, quae invitant, advocant, et ducunt ad *Valhallam*, sive Regiam *Odini*, Homines occisos in bello, Viros strenuos, qui fortissime pugnantes ceciderunt: quia קרא, *Kiria*, est *adpellare*, *advocare*, et יבל IBL, BAL, VAL est *ducere*, *adducere*, חלל CLL, HLL, VAL *transfossos*, *confossos*, *caesos* in pugna, ut adsint כרה KRE *Kirie*, *Convivio*, *Epulo*, איל AIL, אל AL, VAL, *Dei*, *Odini* magni.

22. VINGOLF: *Paradisus*, locus deliciarum futurarum: Temura inversa FLOG-NIU, a נוה NUE, NIV *habitatio*, *habitaculum*, et פלג PHLG, FOLG *eximius*, *praestans*, commodus, et homiophonon בלג *recreans*, *confortans*, vivificans.

23. VOLUSPA *Dea fatidica*, Sibylla Scaldorum: Quasi VOLU-SPA sive איל AIL אלה ALE VAIL VOLU *Dei Numinis*, שׂפה SCPHE *labium*, os, sermo: et quae פסא PHSA *sortes*, *fata*, *fatalia*, לוה LUE *colligat*, *connectat*, *aptet*.

PARS QUARTA

LEMMATA HIEROGRAPHICA:

SIVE SPECIMEN TENTAMINIS IN GEMMAS APOTROPAEAS ET BARBAROPHONAS, QUAE VULGO APPELLANTUR ABRAXEAE (1).

SECTIO I.

INVESTIGATUR POTESTAS ET SIGNIFICATIO HIEROSCHEMATIS ABRAXEI GALLICIPITIS, ET SERPENTIPEDIS, VERBORUM SOLEMNIUM, ET ALIQUOT LEMMATUM, QUAE TYPO HUIUSMODI ADPONUNTUR.

CAPUT I.

Investigatur significatio Hieroschematis Abraxei Gallicipitis, et Serpentipedis.

ART. I. *Hieroschema Militis Gallicipitis et Serpentipedis referri primario ad Solem tenendum est.*

1. Primo quia *Thorax*, *Scutum*, et quandoque *Galea*, quae gerit *Miles* iste *Galliceps*, sunt *Martis* Symbola, et si in *Marte* Romano, vel Graeco *Solem* perspicere evidenter non valemus, *Martem* contra *Assyrium*, vel *Syrum* omnino pro *Sole*, vel *Typo* utcumque *Solari*, ha-

(1) Vide Chiffletii *Abraxam Proteum cum Tabulis* XXVIII. Montfaucon *Antiq. Expl.* Tom. II 2. Tab. 144. ad 178. Gorlaei *Dactyliothec.* Part. II. n. 326. ad 470. Ebermayer *Thes. Gemm.* Tab. XVI. XVII. Matter *Planches* a l'*Histoir. Crit. du Gnosticisme*: nempe *Tabulas* XII. in quibus plurima *Abraxeogrammata* etc. etc.

bendum esse iam pluribus animadverterunt Seldenus *de Diis Syr.* Pag. 130. 132. Beyerus in *Additam.* pag. 278. 279. Vossius de *Idololatr.* Pag. 48. 68. 138. aliique. Et ipsum hunc *Martem* Syrum Typo *Abraxeo* significari abunde, ut putamus, per subiectas animadversiones indicatur.

2. Secundo, quia *Apollo*, sive *Sol Hierapolitanus*, teste Macrobio Libr. I. *Saturn* Cap. 17. pag. 242. *Thorace* ornabatur, et *Victoriolam* sive Trophaeum militare gestabat, eo fere pacto, ac in *Gemma Abraxea* apud Chifletium Tab. XXIII. n. 94. et alios plures, *Miles serpentifer* exhibetur, quem in *Disquisitione Abraxea* Sect. I. Cap. I. Art. 2. *homiodynamicum* diximus *Militi Serpentipedi*, de quo modo agimus.

3. Tertio, quia *Gallum* fuisse peculiariter sacrum *Soli* constat ex Pausania Libr. V. sive *Heliac. I.* pag. 175. Plutarcho *de Pyth. Oracul.* Tom. II. Oper. pag. 400. Jamblicho *in vit. Pythag.* Cap. XXVII. pag. 136. Suida in eodem Πυϑαγορα. Heliodoro *Aethiop.* Lib. I. Cap. III. pag. 38. aliisque pluribus: Et iure sacrum *Soli Gallum* extitisse ex eius natura patet, quam eleganter descripserunt Plinius *Histor. naturalis* Lib. X. cap. 21. pag. 674. Aelianus *de Nat. Anim.* Lib. IV. Cap. 29. pag. 202.

4. Quarto, quia aeque constat ipsum *Gallum* fuisse etiam *Marti* sacrum et addictum, testesque sunt Lucianus in *Gallo* Tom. VI. Oper. pag. 67. edit. *Mittav.* Ausonius *Eidyll.* XI. v. 25. 26. etc. Vid. et Kircher. *Oedip.* T. I. p. 365. 366.

5. Quinto, quia *Gallus* conspicitur etiam in Dramatibus *Mithrae* apud Hyde *de Rel. vet. Pers.* pag. 111. 112. et notum pueris est *Mithram* vel *Solem*, vel Typum *Solarem* fuisse habitum. Tum aeque certum est *Solem*, *Mithram*, *Mar-*

tem fuisse summos *Persarum* Deos, vel potius unum: et *Gallum* fuisse semper *Persis* sacratissimum et honoratissimum ipse Hyde Op. cit. pag. 22. animadvertit: et iure quia *Sol* Semiʒis est חרס CRS, et *Gallus* Persis כרוש KRUSC.

5. Quinto, quia *Flagellum Militis Gallicipitis* recte convenire *Soli*, ex Iconibus *Solis* Andromorphis in plurimis Monumentis, ipsisque *Gemmis Abraxeis* conspicuis, patet. Quin *Solaris Scuticae* meminerunt etiam Arthemidorus *Oneirocrit.* Lib. II. cap. 36. pag. 127. Prudentius in *Symmach.* Libr. I. v. 438. 439. Macrobius Libr. I. *Saturn.* Cap. 23. pag. 262. Proclus Lycius *Hymn.* in *Solem* v. 25. 26. in *Biblioth. Graeca Fabricii* Tom. VIII. pag. 510. etc.

6. Sexto, quia etiam *Dracones* et *Serpentes* tribui recte posse Deo *Soli* ex Arthemidoro *Oneir.* Lib. I. cap. 13. pag. 101. Porphyrio *de Abstin.* Lib. IV. pag. 401. 402. Macrobio *Saturn.* I. Cap. 20. pag. 251. aliisque colligitur; Et quoniam *Apollo*, *Aesculapius*, *Bacchus* habiti sunt a plurimis *Typi Solares*, et *Apollini*, *Aesculapio*, *Baccho* fuerunt sacratissimi *Serpentes*, hinc et *Soli Serpentes* fuisse sacros iure tenebimus.

Art. II. *Hieroschema Militis Gallicipitis refertur secundario ad Lunam.*

1. Primo, quia *Vestis militaris* Hieroschematis *Abraxei* similis est *Vesti militari*, qua aliquando indutus conspicitur Deus *Lunus* vel *Men* Pisidarum, Phrygum, et aliorum Populorum, ut ex eorum Nummis patet apud Seguinum in *Select. Numism. Antiq.* pag. 105. Vaillant *Numm. Coloniar.* Tom. II. pag. 4. in *Sept. Sever.* Spanheim *de Praest. Num.* Tom. I. pag.

193., aliosque: Quin ipsa est ac *Thorax Malachbeli* Dei Palmyrenorum, quem habendum esse Deum *Lunum*, sive *Solem Menstruum* animadvertemus paullo post.

2. Secundo, quia *Gallus* etiam *Lunae* sacer et addictus fuit; idque constat ex Ovidio *Fastor.* I. v. 455. 456. Iamblicho in *vita Pythagor.* Cap. 18. pag. 87. Aeliano *de Hist. Animal.* Libr. IV. cap. 29. pag. 202. aliisque: et quod *Gallus* constanter adponatur Deo *Luno*, vel *Mensi* in Nummis Pisidarum, et Phrygum.

3. Tertio, quia *Flagellum* aeque opportune *Lunae* tribui ex Simulacris *Hecates* potissimum *Abraxeae* apud Montfauc. *Ant. Expl.* II. 2. Tab. 163. et Supp. II. Tab. 55. 3. pag. 212. Gorlaeum *in Dactylioth.* Part. II. Num. 398. etc. patet: tum ex Iconibus *Isidis in Gemm. Astrifer. Gorianis* Num. 26., ex Horatii Od. 26. Libri III. v. 10. aliisque plurimis colligitur,

4. Quarto, quia *Clypeus Militis Gallicipitis* tum formâ suâ evidenter *Lunam globosam* repraesentat, tum *nomine* et voce. Nam *Clypeus* dicitur סחר SER vel שהר SCER, *res rotunda*, circularis, et ipsum סהר SER, et שהר SCER est *Luna*, Tum *Clypeus* dicitur סחר SCR, SHR, homiophonon סהר SER *Luna*.

5. Quinto tandem, quia *Serpentes* conveniunt etiam *Lunae*, quia *Hecate*, et *Isis* sunt *Deae Serpentiferae*, et *Hecatae Abraxeae*, quam citavimus paullo supra, sunt ipsi pedes *Serpentini*, quemadmodum sunt Typo *Gallicipiti*.

Art. III. *Miles Galliceps Abraxeus habendus est Typus Homiodynamicus Deo Luno, vel Mensi Pisidarum, et Phrygum.*

1. Nam elementa intima et substantialia utrius-

que Typi sunt eadem: 1. Schema *Lunae*. 2. *Thorax*, et quandoque *Galea*. 3. et *Gallus*, sive *Galli caput*; Quae satis sunt ad fundamentalem similitudinem Typi utriusque constituendam.

Art. IV. *Deus Lunus Pisidarum, Phrygum, Comanorum, Carrhenorum, et Cappadocum non potest haberi Luna, sive ipse Planeta Lunaris Mensem efficiens.*

1. Primo, quia certum est has ipsas Gentes *Lunam* quasi Foeminam vel *Matrem* veneratas fuisse in *Cybele*, *Diana*, *Anaitide*, *Venere Urania*, *Astarte*, *Atergati*, *Alitta*, *Militta* etc. de quibus videri possunt, quae Seldenus, Beyerus, Vossius, Millius, Lackemacherus, aliique pluririmi disseruerunt.

2. Secundo, quia singillatim Strabo Libr. XII. Pag. 557. de hoc *Deo Luno* in pluribus Urbibus Asiae culto agens, omnino testatur *Lunam* foeminam την Σεληνην fuisse cum *Deo Luno* sive Μηνι veneratam: εστι δε και τουτον της Σεληνης το ἱερον: et propterea unam ab altero esse necessario discernendam: Tum adsunt monumenta, in quibus uterque conspicitur, ut Nummus, in quo iure Montfaucon Ant. Expl. Supp. 1. Tab. 81. *Dianam*, et *Deum Lunum* agnoscit. Nec levis est auctoritas Scriptoris secundi Saeculi Christiani, qui apud Origenem virum longe eruditissimum *Comm. in Johann.* Pag. 212. affert haec verba ex libro, qui inscribebatur *Praedicatio Petri*: λατρευοντες Αγγελοις, και Μηνι, και Σεληνη: *adorantes Angelos*, *Mensem*, *et Lunam*.

3. Tertio, quia *Deus Lunus* habebatur Deus maximus. Deus cui essent plurimi Sacerdotes, et ἱεροδουλοι, et cultus exquisitus, et in cuius *Nomen* iurare esset longe sanctum et terribile

iusiurandum, ut idem Strabo loc. cit. testatur. Atqui irrationale et absurdum est cogitare ideae abstractae *Mensis*. simplici Periodo 29. vel 30. dierum generali et incerto potuisse tantum cultum et religionem attribui, et conservari a pluribus et magnis Gentibus.

4. Quarto tandem, quia certum est et exploratum omnibus his Gentibus iam a Macedonum Regum aetate, et certius Romanorum tempore primo, secundo, tertio etc. saeculo Christiano fuisse *Menses Solares*, non *Lunares*, et *Annum* omnino *Solarem* non *Lunarem*, ut iamdiu ostendit praeter ceteros Norisius de Epochis Syromacedonum, aliasque auctoritates addidit Bennettis in *Chronolog*. et *Critic*. Tom. III. Pag. 166. 170. 214. 215. Quamobrem videtur leviter de isto *Deo Luno* egisse Leblond *in Act. Acad. Inscript*. Tom. XLII. pag. 381. 390.

Art. V. *Deus Lunus veterum Gentium habendus est SOL singulis mensibus cum Luna coiens, et per singulos menses Lunam Luce, Seminibus genitalibus, et omni bono in Terras effundendo ex eorum opinione implens.*

1. Nam quum Theologi harum Gentium ex Mythicis suis Traditionibus firmissime tenerent per *Lunam* Semina genitalia, et elementa Corporum et alia bona plurima in *Terras* effundi et tradi; et eam contra ipsa luce cassam et expertem a *Sole* impleri, et quasi gravidari; Quum *Sol* esset adeo ipsis verus *Parens*, Auctor, et primus *Seminum* dator; et is singulis Mensibus cum *Luná* coire, et copulari videretur, et eam adeo implere, plane aequum et congruum esse putarunt huius *Solis* Typum et Iconogramma constituere, cumque per singulos *Menses*, quasi vi-

tae omnium animantium instauratorem, et auctorem venerari. Hinc origo nominis ΜΗΝΟΣ, sive *Mensis*, quia revera foecundatio haec et quasi vitae Mundanae instauratio per singulos *Menses* fieret, hinc nomen *Dei Luni*, quia *Luna* putabatur Custos, Servatrix, et distributrix *Seminum genitalium*: Hinc cultus sacratissimus, et religio maxima, quia ex hoc *Solis* et *Lunae* coitu et coniunctione, ut iam innuimus, Mundum prorsus servari, augeri, ditari, et existere arbitrabantur.

Art. VI. *Malachbelus Palmyrenorum habendus pariter est Deus Mensis. Sol menstruus, sive Deus Lunus. V. Sponii Misc. Erud. Antiqu. P.* 1.

1. Primo, quia Symbola essentialia *Malachbeli* sunt plane similia Symbolis *Dei Mensis* Pisidarum et Phrygum; adeoque dubitari non potest, quin potestas essentialis *Typi* utriusque non fuerit una et eadem.

2. Secundo, quia certum est ex Iconibus *Planetarum*, quas ex Parietibus *Palmyrae* edidit Rob. Wood Tabul. XXX. *Lunam* Palmyrae sub specie *Mulieris* cultam fuisse. Et quum porro constet per omnes proximas Civitates cultum *Astartis*, *Anaitidos*, *Atergatis*, *Dianae*, *Cybeles*, sive *Lunae Gynaecomorphae* fuisse celeberrimum, et Systema Theologicum saltem quoad elementa substantialia idem cum Palmyreno extitisse, dubitari plane non potest, quin *Malachbelus Andromorphus* ad alium Typum, a *Luna* ipsa diversum, spectet.

3. Tertio, quia aeque certum est Naturam huius *Dei* non esse a *Luna* extraneum et prorsus remotum: Tum quia *Meniscus* est ei adpositus, tum quia *Bel* dictus *Sol* et *Luna*, ut Seldenus

et Beyerus, praeter ceteros, animadverterunt, et *Lunam* quasi per excellentiam מלכת MLKT iam ab aetate Hieremiae, V. Cap. VII. v. 18., dictam plures adnotarunt, et postremam ex *Sephirot Iudaicis Malchut* in *Luna* esse collocatam omnes norunt. V. Kircheri Oedip. II. Part. I. pag. 347. 348.. Et *Iudaeos* ipsos plurimos, et potissimum *Kabalistas* de *Luna*, *Sole*, *Mense* haec eadem, quae modo Art. 5. adnotavimus, semper pertinacissime tenuisse iamdiu animadvertit Basnagius in *Histoire des Iuifs*. Tom. III. Part. I. Pag. 379. 380.

4. Quarto, quia Typos certissime *Solares*, *Osiridem* in *Apide*, *Bacchum Tauromorphum*, *Attidem Menotyrannum* referri etiam ad *Lunam*, et posse appellari etiam singulos *Deum Lunum* et *Mena* facile etiam, si opus esset, posset ostendi et demonstrari: quod loco opportuniore, Deo dante, praestabimus.

Art. VII. *Ergo Miles Galliceps Abraxeus habendus est Typus Solis Luce, et genitalibus Seminibus per singulos menses Lunam implentis.*

1. Primo, quia, ut vidimus, *Miles Galliceps Abraxeus* habendus est Typus homiodynamicus *Dei Luni* Pisidarum, et *Malachbeli* Palmyrenorum.

2. Secundo, quia Symbola omnia *Typi Gallicipitis* aeque *Soli* ac *Lunae* congruunt, et quia in *coitu Solis* et *Lunae* in unam quasi rem, in unum propositum, in unum actum utrumque Astrum convenire et intime coire putabant, iure omnino *Symbolis* communibus actum hunc communem significasse tenebimus, et propterea illo Typo *Solem* cum *Luna* quasi congredientem repraesentari arbitrabimur.

3. Tertio, quia *Gallus* singillatim *Albus* non putabatur promiscue sacer modo *Soli*, modo *Lunae*, sed prorsus Μηνι, omnino *Mensi*, nempe *Soli* et *Lunae* coëuntibus. Diogenes Laertius in *vita Pythagorae* Libr. VIII. Segm. 34. p. 517. quasi peculiarissimum praeceptum Pythagoricum habet: Αλεκτρυονος μη απτεσθαι λευκου, . . τω Μηνι εστι ἱερος.... σεμαινει γαρ τας ωρας. *Ne attingas Gallum Album. quia Mensi sacer, etenim Tempora indicat.* Jamblichus in *vita* eiusdem *Pythagorae* Lib. I. Cap. 28. pag. 87. Μηδε (θυε) Αλεκτρυονα λευκον; Ικετης γαρ, (και) ἱερος του Μηνος, διο και σημαινουσιν ωραν. *Neque velis sacrificare Gallum album: Supplex enim et sacer Mensi; propterea indicat Tempus.* Et Libr. II. *Symb.* 18. pag. 146. Αλεκτρυονα τρεφε μεν, μη θυε: Μηνι γαρ και ἡλιῳ καθιερωται: *Nutri quidem Gallum Album, ne sacrifices; est enim Mensi et Soli sacer.* Atqui Μην iste nobilissimus, et sacratissimus non in Periodo 29. 30. vel 31. diebus potuit, nisi absurdissime consistere, sed omnino in *Solis* et *Lunae* coniunctione, a qua ipsa Semina genitalia pendere putabant. Atqui in *Gallo Albo*, sive in כרוש KRUSC, לבן LBN, est חרס CRS *Sol*, et לבנה LBNE *Luna*: scilicet est apertissima significatio illius *Solaris* cum *Luna* coniunctionis.

4. Quarto. quia in illo *Lemmate* CEMECEI-ΛAM, quod *Militi Gallicipiti* apponitur, frequenter ipsa *Solaris coniunctio*, et quasi *occultatio* in singulis Mensibus, ut dicemus Cap. I.V. Art. 2., significatur.

5. Quinto, quia *Miles Galliceps Clypeum* suum, quo *Lunam* significari diximus Pag. 201. nobis obvertit ex parte concava, vacua, et obscura, ut *Interlunium*, et ipsum *Lunae coitum* indicaret.

Quamobrem tenendum omnino est Typo *Militis Abraxei Gallicipitis* et *Serpentipedis* non spectari tantum *Solem* seorsim et in se, sed potissimum relate ad Lunam, quam ex eorum opinione per singulos *Menses* impleat et foecundet.

Nec potest obiici vocem *Abraxas* non 29.30.31. *Dies Mensis*, sed omnino Annum ex XII. Mensibus constantem, et *Dies Anni* 365. significare et indicare. Nam *το Abraxas* omnibus fere *Typis Abraxeis* commune est; et absurdum est cogitare singulis illis *Typis* significari *Annum*, e *Dies* 365. Praeterea *Mensis* est *aliquota Anni*, et annus Solaris pluribus Mensibus absolvitur: adeot que nil obstare potest, quin vox *Abraxas*, quum de uno eodemque *Sole* agatur, qui cursu suo proprio annum 365 fere diebus complet, et *Lunam* coitu singulis mensibus implet, adponatur *Typo Gallicipiti*, quo, ut diximus ipse Sol potest significari etiam absolute, utque Anni ipsius Deus, et effector. Tum alias potestates inesse voci *Abraxas*, quibus intime spectet ad *Typum* hunc *Gallicipitem* mox Cap. III. dicetur.

Quin illud tandem non est praetereundum, quod ubi Deo *Luno* et Μηνι significatio haec attribuitur locus ille celeberrimus Prophetae Isaiae Cap. LXV. v. 10. de *Gad*, et *Meni* perspicue intelligitur, et acerrimae illae contentiones doctorum Virorum Pfeifferi *in Dub. vex.* I. p. 388. Millii *in Dissertat.* VI. pag. 229. 230, Vitringae in *Isaiam* loc. cit. Lackemacheri in *Observat.* IV. pag. 21. 22. Huetii *Observat.* in Origenem. T. II. p. 108. 109. et aliorum facillime concilientur, et coniunguntur, quia revera est in utrisque vocibus *Sol*, revera est in utrisque *Luna*.

3. Tertio, quia נרגל NRGL contractum a נהרגול NERGUL est Temura homiophona רגל-נוה RGL-NUE: Atqui רגל RGL est *Homo*, נוה NUE est *divisus*, *fractus*: Ergo *Homo fractus*, *divisus*, Truncus Hominis erit Symbolum *Dei Nergalis*. Quin quum רגל RGL sit *Miles pedes*, Symbolum Dei *Nergalis* erit satius *Truncus Militis*, Truncus Hominis loricati, et scutati.

4. Quarto, quia רגע RGO, נרגע NRGO est *concitatus*, *excitatus*, commotus, et עול OUL Arabibus est *Serpens*: Et נהרגול NERGUL est homiophonum נרגע-עול NRGO-OUL: *Serpentes* ergo concitati, et se erigentes erunt Symbola satis apta איל AIL *Dei*, נרגל NRGL *Nergalis*.

5. Quinto, quia קוט QUTH, קטע QTHO homiophonon כות KUT *Kutaeo*, est *decurtatus*, *recisus*, praecisus: Et propterea simulacrum *Hominis decurtati*, ut *Truncus Abraxeus*, erit Symbolum opportunum, et Lexeoschema *Hominis* כות KUT *Kutaei*.

6. Sexto, quia *Serpentes* Arabibus sunt חיות CIUT homiophonon כות KUT, et propterea *duo Serpentes* erunt egregium Lexeoschema כותים KUTIM, sive *Kutaeorum*.

7. Septimo, quia *Gallus* Arabibus est דיך DIK, cuius temura homiophona est כות KUT.

Hierogramma igitur *Militis Gallicipitis* est Stemma Dei *Nergalis Kutaeorum*, sive Cittiaeorum, qui fuerunt filii *Kittim* Iaphetidae, vetustissimi fratres *Latinorum*, pridem ad Sinum Persicum Arabibus sociati, deinceps in Samaria, Syria, et Phoenicia habitantes.

ART. II. *Idem Hierogramma Militis Gallicipitis habendum est Stemma Gentilitium Cutaeorum iam Sichemitarum, et Samaritanorum.*

1. Nam 1. שכם SCKM SICHEM est *vigilare*, *advigilare*, *valde mane surgere*, quod *Galli* proprium: Quumque ipse *Gallus* dicatur שכו SCKU, erit adeo *Gallus* legitimum Lexeoschema *Sichemitarum*. 2. *Miles* porro officio, et institutione suâ est שכם SCKM *vigil*, qui *excubias servat*, qui vigilat *evigilat*: et propterea etiam *Miles* erit opportunum Symbolum *Sichemitarum*. 3. Tandem, quum Veteres unanimes et *vigilantes*, et experrectos, et insomnes fecissent *Serpentes* et *Dracones*, adeoque Thesaurorum custodes *vigilantissimos* finxissent, quod nos ipsi in *Phaedrum nostrum* ad *Fab. XXII.* Lib. II. v. 15. p. 243. 244. animadvertimus: etiam *Serpentes* שכם SCKM *vigiles*, maxime, si *Galli* Cristâ sint insignes, ut non raro in Gemmis Abraxeis conspiciuntur, esse Symbolum opportunum *Sichemitarum* perspicue patet.

2. Praeterea שמיר SCMIR est *vigilia*, *vigil* nocturnus, qui *excubias agit*, qui *custodit* et *tuetur*: adeoque eius Vocis Symbola, si minus homiophona, certe homiodynamica sunt *Gallus*, *Miles*, et *Serpens*. Ergo *Stemma Sichemitarum Samaritanorum* rectissime conficietur *Gallo*, *Milite*, et *Serpente*. Nec illud est praetereundum *Samaritanos* ipsos omnino a שמר SCMR *custodire*, *tueri*, *advigilare* Nomen suum derivare, quod iam omnes fere, qui de iis egerunt, iure animadverterunt.

Art. III. *Omnia Symbola Typi Gallicipitis Hierogrammati apotropaeo et averrunco apte conveniunt.*

1. Nam *Gallus*, *Miles*, et *Serpentes* naturâ suâ, ut modo vidimus, *vigilantiam*, *tutelam*, et custodiam significant, adeoque *Hierogramma* his Symbolis constructum est משכה MSCKE *Sculptura*, Drama exculptum, quod שכם SCKM dilingentissime *advigilat*, ne Potestates malae noceant, et שמר SCMR *custodit*, tuetur ferentem.

2. *Clypeus* porro naturâ pariter suâ, sive Ideographicê, defensionem et tutamen significat; Tum Lexeographice, quia *Clypeus* est טרק THRQ, qui claudit, *custodit*, tuetur, et תרך TRK homiophonum est *expulit*, eiecit, proiecit, תרך TRK iterum *maleficas*, *rebelles*, pravas Potestates. Est מגן MGN, et גנן GNN *protegere*, *defendere*, servare, conservare.

3. *Scuticâ* Ideographice malorum pariter et adversantium expulsionem, *eiectionem*, eliminationem significari notum est. Nec alia de caussa *Isidi*, *Horo*, *Soli Scuticam* datam Veteres perhibent: Unusque modo satis sit Proclus, qui Hymno in *Solem* apud Fabricium in *Bibliotheca Graeca* Tom. VIII. p. 510. haec habet:

Δειμαινουσι δε σειο θοης μαστιγος απειλην
Δαιμονες ανθρωπων δηλημονες αγριοθυμοι,
Ψυχαις ἡμετεραις δυεραις κακα πορσυνοντες.
Te vero metuunt, tua si quid Flagra minentur,
Invisi nobis Genii, semperque feroces,
Qui miseris moliri animis mala millia norunt.

4. Neque illud tandem est praetereundum Veteres vulgo fuisse persuasos, quod *Galli cantu mali Daemones* fugarentur, et *adversae Potestates* eo clamore perterrerentur. Ex qua communi

et vulgari persuasione politissimus Prudentius in Libro *Cathemerinôn Hymn.* I. v. 38. canebat : » *Ferunt vagantes Daemones* » *Laetos tenebris Noctium,*» *Gallo canente exterritos* » *Sparsim timere et cedere* ». *v.* 64. *Cantuque Galli cognito,*» *Peccare iustus* (Petrus) *destitit*» : *Inde est quod omnes credimus*» *Illo quietis tempore*» , *Quo Gallus exsultans canit*» *Christum redisse ex Inferis*». *Tunc mortis oppressus rigor* ». *Tunc lex subacta est Tartari*». Omnia ergo Symbola *Typi Gallicipitis*, secundum Veterum persuasionem, sunt apotropaea et averrunca.

CAPUT III.

Investigatur potestas et significatio Vocis fundamentalis ABRAXAS.

Art. I. *Vocibus ABRAXAS* , *et ABRASAX indicari Nomen benedictum, sanctum, arcanum, potens* , *apotropaeum certo tenendum est.*

1. Primo , quia ex nonnullis Lemmatibus Graecis *Abraxeis* perspicue arguitur fuisse *Abraxeographis* praeter nomina Divina *prolata*, et inscripta, aliud *occultum*, secretum, potens, sanctius. In magna enim *Gemma Abraxea* apud Montfaucon *Antiquit. Expl.* II. 2. Tab. 147. haec Graece sunt adscripta : Δος μοι χαριν , νικην . οτι ειρηκα σου το κρυπτον και αλιχωφνον (sic) Ονομα etc. In alia *Gemma Abraxea* etsi Hieroschematibus carente apud eumdem Montfaucon Tab. 164. legitur Ιαω , Αβρασαξ , Αδοναι , αγιον ονομα, etc.

2. Secundo , quia Divus Augustinus *de Haeresib.* Cap. IV. agens de τω *Abraxas* Basilidis scribit : *Unde etiam quasi sanctum Nomen commendabat. . . . Abraxas.*

3. Tertio, quia ABRAXAS solvi potest et debet in ABRAC-SAS, et ABR-ACS-AS, inverse vero in SA-SCA-RBA. Atqui ברך BRK homiophonon ABRAC est *benedictus*, *venerandus*, adorandus, שוש SCUSC homiophonon SAS est *laetificans*, *gaudium*, tranquillitatem, pacem afferens. Tum אביר ABIR homiophonon ABR est *potens*, validus, magnificus: חסה CSE temura homiophona ACS est *sanctus*, *pius*, qui protegit, tuetur, et כסה KSE est *absconditus*, arcanus, *crypticus*: יש ISC homiophonon AS verti potest *est*. Inverse סוא SUA homiophonon SA est *desideratus optatus*, et סיע SIO est *adiuvans*, *iuvans*, opitulans: שוח SCUC temura homiophonon SCA est *Sermo*, *eloquium*, et רב RB homiophonon RBA est *Deus*, *Dominus*: Ergo in voce ABRAXAS continetur: *Verbum*, *Sermo*, *Eloquium Dei benedictum*, *laetificans*, *potens*, *sanctum*, *occultum*, *adiuvans*, *protegens*.

4. Quarto, quia ABRASAX potest pariter solvi in ABRAS-ACS, et inverse in SCA-SA-RBA. Atqui בריש BRSC Syris est *benedictus*, חסה CSE homiophonon ACS *sanctus*, *adiuvans*, protegens: שוח SCUC homiophonon SCA est *eloquium*: סוא SUA homiophonon SA est *desideratus*, optatus: רב RB homiophonon RBA est *Deus*. Ergo in voce ABRASAX est iterum *Sermo Dei benedictus*, *sanctus*, *desideratus*, *adiuvans*, *et protegens*.

Quamobrem dubitari non potest, quin vox ABRAXAS condita sit imitatione שם המ-פרש SCM EMPHRSC Rabbinorum, et quin sint hae voces ex parte homiodynamicae. Nec potest obiici שם המ-פרש SCM EM-PHRSC Rabbinorum respondere ineffabili יהוה IEVE, et contra in *Gemmis Abraxeis* legi frequentissime IAO, quod

illud ipsum יהוה IEVE a pluribus putatur. Nam primo fieri posset, ut *Abraxeographi* aliud *Nomen* et diversum condidissent, quod numquam vel fere numquam proprio *sono* efferrent: vel potius, ut ego contendo, Nomen IAO minime respondere perfecte יהוה IEVE Hebraeorum: Sed tantum יהו IEU, vel IAU, ut plures pronuntiasse ex Clemente Alexandrino Strom. V. pag. 562. potest colligi. Et quo pacto *Characteres Sinici*, quibus Nomina natalitia Imperatorum *Sinensium* significantur, *arcani*, et penitus cryptici, possunt tamen adhiberi in profanos usus, si decurtentur, et aliquo pacto corrumpantur, ita Nomen יהוה IEVE propria et integra pronuntiatione, ut ἀπορρ'ητον potuit in voce ABRAXAS indicari, et interea decurtatum et excisum in IAO adhiberi publice, et quasi ex parte repraesentari.

Vocem ABRAXAS Joachimus Bellermann *in Bersuch uber die Gemmen* etc. I. pag. 49. 50. componi voluit ex duabus vocibus ABRAC, et SAGI, quas *Copticas* dixit: Sed probabile est SAGI Copticum esse ipsum Semiticum שוח SCUC, שיח SCIC, SUG, SAG, *Sermo*, verbum, eloquium: et ABRAC *benedictus*, *adorandus* non esse *Copticum* certum est. Nam in nullo neque *Libro*, neque *Lexico* Coptico unquam occurrit, et eius significatio ex unis *Hebraicis Lexicis*, vel utcumque *Semiticis* peti potest, et petita revera est ab ipso Bellermanno. Legitur quidem אברך ABRK in Genesi Cap. XLI. v. 43. quasi vox Aegyptia. Sed ut in *Fundam. Hermen*. Libr. III. Sect. I. Cap. 6. pag. 309. ostendimus, habenda est vox Semiticae originis et potestatis, quae nempe ea aetate adhibebatur, qua Lingua *Coptitarum* longe similior erat *Semiticis*, quam Lingua Coptica IV. Saeculi Christiani. Et si quis vocem AB-

RAC Semiticam habere nolit, tunc ea nihili est, et nullius usus, quia interpretatione et significatione caret. Quin Lectores viderint an ABRAC-SAGI, vel ut ipse scribit SADSCHI, possit haberi ipsum ABRAC-SAS, vel ABRA-SACS.

Fridericus Munterus vocem *Abrasax* ex Copticis *Berri-Sagi* quasi *novo recenti Sermone* deducebat, ut referunt Bellermann Loc. cit. pag. 52. et Matter *Hist. Crit. du Gnostic.* Tom. II. pag. 49. 50. et quidem longe infelicius. Alia *Etyma* tradiderant iam Windelinus, Souverainus, Harduinus, Beausobrius, Passerius; sed ea iam ut intrinsece vel absurda, vel improbabilia a Basnagio, Bellermanno, Mattero, et aliis pluribus merito reiecta fuerunt.

Art. II. *Vocem ABRAXAS ad Solem omnino spectasse certo tenendum est.*

1. Primo, quia *Typis Solaribus* certis et receptis, velut *Militi Gallicipiti*, *Leoni*, *Harpocrati* adponitur: Et hi saepe sunt pluribus Stellis, et *Vocalibus* Graecis exornati, quibus *Planetas* significari in *Disquisitione* animadvertimus. Nec in *Systemate Asterolatrico* Potestas aliqua maior *Sole* est, quae invocetur, et advocetur in calamitatibus, et quae preces Hominum exaudire putetur. Etsi enim et *Coelum*, et *Aether Sole* maiora essent, haec tamen *Numina* surda mortalium precibus, nimis ardua et remota putabantur, et vocibus hominum inaccessa; eo fere pacto, quo nec *Uranon* Graeci, nec *Coelum* Latini, nec *Kronon*, vel *Saturnum*, nec *Parcas*, vel *Fatum* hae Gentes orabant, et precabantur.

2. Secundo, quia *Leo Apifer* ad quem spectare vocem ABRACADABRA, voci ABRAXAS omnino homiodynamicam, dicemus paullo post, inter

Septem Stellas, sive *Planetas* conspicitur apud Leonar. Augustinum *in Gemmis*, Gorium et Passerium *in Gemmis Astriferis*, et Montfauconum *in Tabulis Abraxeis Ant. Expl.*, et adeo evidenter se Symbolum esse *Solis* ostendit.

3. Tertio, quia omnes fere Ecclesiae Patres, qui de ABRAXAS egerunt, eâ voce indicari testati sunt Dies 365. *Anni Solaris*, sive *Anni* Solaris cursum 365. Diebus constantem, et adeo, ut necesse est, *Solem* ipsum unicum *Anni* effectorem. S. Hieronymus *Comment.* in *Amos* Cap. III. pag. 100. haec scribit. *Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ABRAXAN, et eumdem secundum Graecas literas, et Anni cursus numerum, dicit in SOLIS circulo contineri, quem Ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Scilicet *Mithras* erat homiodynamicus *Abraxae*. Atqui *Mithras* habitus fuit *Sol*: Ergo et *Abraxas* nomen *Solis Annum* cursu 365. dierum efficientis est prorsus habendus. Tum S. Augustinus *de Haeresib.* Cap.IV. haec habet: *Basilides* 365. *Coelos esse dicebat, quo numero Dierum Annus includitur. Unde etiam quasi sanctum Nomen commendabat, quod est Abraxas, cuius nominis literae secundum Graecam supputationem eumdem numerum complent.* Praeterea S. Epiphanius Haeres. XXV. Pag. 73. scribit: Και βουλονται (Βασιλιδιανοι) την συστασιν τουτων απο των ὁμοιων Ψηφων ποιεισθαι, ὡς προειπον, του Αβρασαξ των τριακοσιων, ἑξεκονταπεντε τον αριθμον εχοντος δηθεν; δεικνουντες δι' αυτου το εχειν τον ενιαυτον τριακοσιων ἑξηκονταπεντε ἡμερων αριθμον κατα περιοδον. *Et volunt*, (Basilidiani) *ordinem horum* (Coelorum) *ex similium calculo effici, ut antea dixi; nempe ex numero* 365. vocis

Abraxas: *ostendentes ideo habere Annum in suo Periodo* 365 *dies* : Scilicet quia *Annus* ob numerum Dierum 365. diceretur antea *Abraxas*, et adeo *Sol Anni* effector. Quod ipsemet Jablonskius de *Nomin. Abrax.* IV. Tom. Opuscul. pag. 96. 97. recte vidit. In voce autem *Abraxas* Graecis literis descripta ΑΒΡΑCΑΞ contineri revera Numerum 365. pueri ipsi norunt : calculumque instituerunt omnes, qui de ea voce mihi adhuc noti, tractarunt.

Voce porro *Abraxas* indicatum fuisse revera *Solem* et Chiffletius *in Abraxa Proteo* Pag. 56. 57. et Beausobrius *in Histoir. du Manich.* Tom. II. Pag. 60. 61. et Jablonskius *de nomin. Abrax.* in Tom. IV. Opuscul. pag. 96. 97. 98. et alii fere omnes, qui de *Gemmis Abraxeis* egerunt, iique plurimi, ut alibi etiam adnotavimus, contenderunt.

Nec obstat quod Art. I. ostendere conati simus in voce *Abraxas* nescio quam arcanam, potentem, et sanctam Potestatem contineri, quae minime videatur *Soli* convenire. Nam contra, qui meminerit, quae de *Sole* cogitaverint, et protulerint Julianus Caesar, Macrobius, Martianus Capella, Proclus, aliique plures, singillatim Neoplatonici omnino fatebitur etiam illâ sententiâ arcanâ et penitiore vocem *Abraxas* prorsus *Soli* convenire et congruere.

Art. III. *Vox ABRAXAS Soli in Interlunio sive Deo Luno potest recte tribui.*

Nam in ABRASAX sive ABR-AS-ACS est אביר ABIR *potens*, magnificus, אש ASC, AS *Ignis*, *Sol*, qui חשח CSCE *implet*, replet, חיש CISC *uterum* matricem, כסה KSE *Lunae silentis*, *Lunae vacuae*.

Art. IV. *Vox ABRAXAS apte respondet Symbolis Hierogrammatis Gallicipitis.*

1. Nam ABRAXAS sive ABRACSAS scribi potest Semitice אברכשש ABRKSCSC: Atqui אביר ABIR homiophonon אבר ABR est *validus*, *potens*; adeoque est vox, qua *Miles* potest recte significari: Tum אבך ABK est *Gallus* Syris, et שכו SCKU est etiam *Gallus* Iudaeis, et temura homiophona חוש CUSC est Arabibus *Serpens*, et quum bis legi possit חוש CUSC, ideo duo *Serpentes* erunt in *Hierogrammate* expressi. Quin in voce AB-RACS-AS, est איש AISC, AS *vir*, est אכב AKB *Gallus*, est רחש RCSC *Serpens*, et temurice סחר SCR *Clypeus*. *Vox* ergo ABRAXAS respondet omnibus Symbolis *Militis Gallicipitis*.

Art. V. *Vox solemnis apotropaea et amuletica ABRACADABRA, quam servavit Q. Serenus Sammonicus Medicus agens de Hemitritaeo pag. 31. habenda est Homiodynamica voci ABRAXAS.*

1. Nam solvi potest in ABRACA-DABRA, et inverse in ARB-ADAC-ARBA: Atqui ברך BRK *benedictus*, *adorandus* est ipsum ABRACA; et דבר DBR *verbum*, *sermo*, eloquium est ipsum DABRA: Adeoque ABRACADABRA est *Verbum* Sermo, Nomen *benedictum* et adorandum. Tum רב RB *Deus* est ARBA; דחה DCE, DACA, est דוח DUC *expellere*, *proiicere*, deiicere, vel דוך DUK *tundere*, contundere; ארב ARB, *insidiae*, אורב AURB, sive ARBA *insidiator*. Ergo vox ABRACADABRA significat *Benedictum* et *adorandum Nomen Dei*, expellens, debellans, perdens omnes dolos, *destruens* omnes *insidias* Inimici. Atqui hanc ipsam vel pla-

ne similem sententiam contineri in ABRAXAS vidimus, et evidenter ABRAS-SAC, sive *Benedictus Sermo*, est homiodynamicum ABRACADABRA sive *Benedicto Verbo*.

2. Nec potestas huius *Vocis* subtractione literarum corrumpitur, vel immutatur. Quin eadem ipsa vel manet, vel alia apte congruit. Nam praetermissis vocalibus literis, quae nihil immutant ABRAC-ADAB est ברך BRK, ABRAC, דבה DBE, DEB, ADAB *Sermo*, *eloquium*: ABRAC-AD est AD אודי AUDI *Laus*, *confessio*, deprecatio, ברך BRK, ABRAC *Veneranda*. Tandem אב AB, אביר ABIR, AB, ABR est *Patris*, *Potentis*, quae opportuna. *Schema* porro *triangulare*, quod efficit haec *Vox* sensim deminuta, exhibent Adnotatores *Sammonici*, Baronius Tom. II. *Annal. Eccl. ad ann.* 120. n. 13. Kircherus in *Arithmologia*, Part. IV. Cap. I. Montfaucon *Ant. Expl.* II. 2. pag. 378. aliique plures.

ART. VI. *Hieroschema vocis ABRACADABRA habendus est Leo Apem ore tenens*, *vel proiiciens*, *qui conspicitur apud Montfaucon* Ant. Expl. II. 2. Tab. 148. *Gori* Gemm. Astrif. Tab. 153., *aliosque plures*.

1. Nam in ABRACA est פרח PHRC, APRACA *Leo*, *Catulus* Leonis homiophonon ABRACA: Est כפיר KPHIR, CAPIRE vehemens, potens, robustus, *Leo*, cuius temura homiophona est ABRACA. Porro דבורה sive DABRA est *Apis*. Et quoniam דבר DBR est *Vox Ore* prolata, ideo *Leo* כביר KBIR effingetur *Ore* tenens *Apis* דהברה DEBRE Caput.

CAPUT IV.

Investigatur potestas Vocum CEMECEI-AAM☨, ABAANAΘANABA, *et* ΩΦΕΟΝ, *quae Typo Gallicipiti solent apponi.*

Art. I. *In Lemmate* CEMECEIAAM☨ *potest deprehendi ingens Potestas auxiliatrix, et apotropaea.*

Nam si interpungimus CEME. CEIAAM.☨, sive PS: habebimus verba Semitica שם SCM, SEME, שלום SCLUM, SEILAM, פש PHSC: Nempe *Nomen*, *Signum* augens *accrescens tranquillitatem*, salutem, *felicitatem*. Quin vox שם SCM, שמא SCMA et Judaeis et Samaritanis per excellentiam fuit nomen Dei, et ipse *Deus Opt. max.*, quod Schindlerus in *Lexico* Pag. 1886. Buxtorphius in *Lex. Rabin.* Pag. 2438., aliique de Judaeis; de Samaritanis vero ex Epistolis eorumdem Samaritanorum ad Ludolfum Relandus *in Dissert.* VIII. Pag. 32. 33. aliique plures testati sunt: Quamobrem inesse illi Lemmati potestatem beneficam, *auxiliatricem*, *apotropaeam* dubitari non potest.

Art. II. *Lemma* CEMECEIAAM ☨ *potest recte tribui SOLI in Interlunio singulorum Mensium, sive Soli, Seminibus genitalibus Lunae ex Veterum opinione traditis, Mundum foecundanti, servanti, et augenti.*

Nam si Lemma interpungimus CEMEC. EIAAM.☨ sive PS: Scilicet si legimus שמש SCMSC, SEMES, עלם OLM, EIAAM, פש PHSC: habebimus *Solem* שמש SCMSC, qui *abscondite* et *occulte* עלם OLM, EIAAM, in Interlunio cum *Luna* coiens פסע PHSO, פסעה PHSOE *ingrediens*,

accedens ad *generandum*, עלם OLM *Mundum*, פשג PHSC *auget accrescit*, ut iam innuimus Cap. I. Art. 7. pag. 206. Hanc autem quam adstruimus significationem prorsus confirmat vox simillima et dubio procul homiodynamica CEMECEIAAM, quae aliquando vel legitur aperte, vel potest legi in *Gemmis Abraxeis*, ut in illa quam interpretamur Cap. I. Sect. II. Art. 2. Atqui IAAM est omnino עם OM *absconditus* celatus.

Art. III. *Vox* ABAANAΘANAABA *habenda est auxiliatrix*, *et apotropaea.*

Nam potest interpungi et distingui in ABAA. NAΘAN. AABA. Atqui אבל ABL est interdum *certo*, *utique*, *vere*; tum אובל AUBL est *proventus*, *copia*, abundantia Frugum et Annonae; נתן NTN est *dare*, *tradere*, tribuere; עליב OLIB, ALBA est *pauper*, *miser*, afflictus: Tum עלבה OLBE, AABA est *victoria*, *exsuperantia*, triumphus: Adeoque habebimus: Qui *dat certam annonam miseris*; Qui *utique tradit victoriam* de malis. Quin etiamsi ABAA sumatur hic pro אבל ABL *luctu*, *moerore*, sententia rectissime constaret. Nam sensus esset: *da*, *tribue* victoriam de *luctu*, de *malo*, quo premimur. Quod autem adhibitum sit Θ non T haud potest obstare: Nam etiam ת Tau pronuntiabatur ut HT, vel TH, quo plane pacto saepissime a Latinis scriptum est, et adhuc scribitur.

Art. III. *Vox* ΩΦΕΟΝ *apposita Typo Gallicipiti apud Montfaucon Loc. cit. Tab.* 146. *et alios plures*, *intime Typo eidem apotropaeo respondet.*

1. Nam עוף OUPH, OPHE, est *avis*, *volucris*, ὄρνις; adeoque *Gallus*, et maxime quia

פערה PHOE temura homiophona עוף OUPH est *vox, clamor*, quo *Galli* sunt insignes. Tum און AUN, ON est *robur*, *vires*, validitas: adeoque indicatur *Miles*; et tandem אפעא APHOA est *Vipera*, *Serpens*, coluber: Quae sunt elementa *Hierogrammatis Gallicipitis*.

2. Tum Temura homiophona ΩΦΕΟΝ est נפע NPHO *utilis*, *commodus*, adiuvans, apotropaeus, alexicacus.

CAPUT V.

Tentantur aliquot Lemmata apposita Typo Gallicipiti.

Art. I. *Tentatur Lemma*: ΙΑΩ ΑΔΩΝΑΙ ΜΙΧΑΗΛ ΚΕΝΕ ΕΛΠ ΚΦΔ; *appositum Typo Gallicipiti in Gemma Musei Odescalchi Tom. II. Tab.* 32. *vel* 15. *Edit. I.*

Scilicet ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ sunt *Nomina* magni *Dei* Secundi, sive *Vicarii* Dei summi et invisibilis, ut appellatur in Inscriptione *Abraxea*, quam Art. IV. interpretamur, quem Deum Vicarium, vel secundum Asterolatrae, vel Asteroduli in *Sole*, vel in *Sole* et *Luna* potissimum manere, vel potestatem et virtutem suam exerere putabant: Scilicet יהו IEU *Deus*, אדני ADNI Adonai *Domine mi.* ΜΙΧΑΗΛ habendus est aliquis ex magnis *Angelis* Planetariis, ut diximus in Disquisitione. Porro KENE est חנה CNE, CENE *gratiam* favorem praebe, misericordiam fac, miserere. ΕΛΠ ipsum לף LPH, הלף ELPH, ΕΛΠ *Pueri*, infantis: ΚΦΔ ipsum קפד QPHD, KPHD *circumcisi*, cui aliquid praecisum et abscissum est. Scilicet *Domine Iao, et tu Michael miseremini Pueri circumcisi*: Facite ne acer cir-

cumcisionis dolor ei noceat. Haec autem uni Samaritano potuisse convenire, qui ritus Iudaicos Asterolatriae Ethnicorum coniungebat *in Disquisitione Abraxea* animadvertimus.

Art. II. *Tentatur Lemma Typi Gallicipitis, quod legitur in Gorlaei Dactyliotheca II. Num. 341. aliosque plures*: TAAA APAIΩ ΩAPAO-PO NTOKO NBAI.

Scilicet: 1. TAAA, תלי TLI, תלה TLE *attolle*, *extolle*, educ, fac טלע THLO THALA *exoriri*, splendere.

2. APAIΩ, אור AUR, ה־אור E-AUR, ΩIA-PA *lucem*, *iubar* exoptatissimum Solis.

3. ΩAPA, עיר OIR, ΩAIR, *Vigil*, qui *vigilas* pro salute nostra.

4. OPON, רנה RNE, OREN, ORON *Cantu* tuo, clamore tuo, voce tua. Et

5. TOKO תקה TQE, *Pios*, timoratos, *puros*, sanctos: Tu Galle דיך DIK, DOKO, TOKO:

6. NBAI, נבה NBE, NBAI *excita*, expergisci fac, mone, admone, et serva, tuere. Vel etiam רנה RNE, *Cane*, edicito, nuntia, תקה TQE *pia*, *optata*, נביה NBIE *Vaticinia*, *monitus*, *praedictiones*. Nam Veteres exspectabant, et efflagitabant enixe a Diis *monitus*, et *praedictiones*. Vid. Bellermann *Bersuch uber die Gemmen dem Abraxas-Bilde* Tom. II. pag. 31. 32.

Art. III. *Tentatur Lemma Typi Gallicipitis*: IAO MECXA NAAΩ: *in Gemma Astriferâ. Goriana num.* 190.

1. Scilicet; Si interpungimus IAO. MECXA. NAAΩ; MECXA erit Semiticum מ־שכה MSCKE a שכה SCKE, שכו SCKU *mens*, cor, *ingenium*, intellectus, prudentia, et NAAΩ erit

נהל NEL *adduc*, *affer*, et נלה NLE NALE *perfice*, absolve, *auge*, praebe affatim; adeo ut sensus sit: O שכו SCKU, מ-שכו M-SCKU, o IAO *Galle*, נהל NEL *affer*, *da*, *tribue*, נלה NLE *perfice*, שכה SCKE, מ-שכה M-SCKE *ingenium*, mentem, et voluntatem nostram:

2. Si vero interpungimus IAO.MEC.XAN.AAO: MEC erit משי MSCI, MES *velis*, voluntas tibi sit, digneris: XAN, חנה CNE *misereri*, misericordia tangi. AAO אלה ALE *eiulatus*, lamenti, doloris, et *maeroris* nostri; et temura inversa OAA erit איל AIL, על OL *Deus sublimis* NAX, נוח NUC, NACH *habitet*, *quiescat*, שם SCM, *ibi*, *eo in loco*, quo nos et Symbola *Dei* erunt. Vide Bellermann *Bersuch uber die Gemmen*. III. Pag. 12.

Art. IV. *Tentatur Lemma Typi Gallicipitis*, *quod legitur apud Montfaucon Loc. cit. Tab.* 147: IAE. NEMOU. NOHIAAI. (1) PIXE. ABIPA. AIHO. NXO. MEN. ΕΡΦΑΟ. NEA. KIP. IEBA. PBA. HIU. XBIBU. PHEB. IB. IIIU. KAUΩ. HEOU. NIAΩ. . . . . BIAAE-ΞANDRA. Scilicet:

1. IAE NEMOU, יה IE *Deus* Magne, נמה NME, *auge*, crescere fac:

2. NOHIAAI נהל NCL, NEHELE *Fluvium*, נלה NLE, NELEHE, perfectum, ipse est *Nilus* Aegyptius.

3. PIXE RICHE רוח RUC, RUCHE, *flatus* Ventorum, Flabra Etesia, *Ventos*.

---

(1) Hic defectu Literae respondentis adhibita est H Latinorum, quasi ח *Chet* Semitarum: adeoque caveat Lector ne habeat pro H ητα Graecorum.

4. ABIPA ברר BRR , בר BR , ABIRE *purifica* , redde *saluιores* , noxiis halitibus expurga.
5. AIHO לחה LCE , LICHE *viriditatem, virorem* Segetum , et Plantarum :
6. NXO נקה NQE, NICHO *nitidum limpidum*, נחה NCE *adduc* , *affer* , praebe.
7. MEN מנה MNE *tribue* , inquam , *da* , *largire* nobis.
8. EPΦAO , רפל RPHL, ipsum ERPHLO, *Jao Vicarie* Dei supremi et exsuperantissimi , qui vices summi et invisibilis Dei geris.
9. NEA נאי NAI *pulcher* , *decore.*
10. KIP כרה KRE *foveas* , *canales* , aquaeductus , derivationes aquarum.
11. IEBA יובל IUBL *fluvii* , fluminis , Aegyptii *Nili*.
12. PBA רבא RBA multiplica , *imple* , auge.
13. HIU , חיה CIE *vitam* , nobis *viventibus*.
14. XBIBU חבב CBB , CEBIBU *desiderabilem* , exoptatam , amatissimam.
15. PCEB , RCEB, רחב RCB , RHEB *dilata*, *amplifica* , prolonga.
16. IB-IIIU, ב-יפה B-IPHE *in pulcherrima*, venustissima , ב-יפע B-IPHO in *splendidissima*.
17. KAUΩ, כלה KLE *perfectione* , consummatione.
18. HEOU , CEOU חוה CUE *signo* , argumento , charactere , pignore.
19. NIAΩ נאי NAI *pulcherrimo*, decentissimo, *opportunissimo*.
20. BI AAEΞANDRA BI בי BI , ב B in *Alexandria* Aegyptia: Scilicet hoc *Hierodrama Alexandriae*, et adeo pro *Alexandrinis* factum est. Huius igitur Inscriptionis Abraxeae versio erit huiusmodi: *Deus Jac* , *auge Nilum*, *Ventos purga* , *Plantas da* , *Vicarie pulcherrime* , *Canales*

Fluminis imple, *vitam amabilem prolonga*, *in splendidissima perfectione*, *dato signo* (praesenti) *opportunissimo*, (nempe felicissima Nili exundatione) *Alexandrinis*, habitantibus in *Alexandria.*

Art. V. *Tentatur Lemma*: ΙΑΘΑΙ ΜΑΘΑΗΕ ΡΕΟΤΗ ΑΕΧΩΜΙ CΒΩ : *Typo Gallicipiti appositum apud Bellermann Bersuch. etc. Tom. II. Pag.* 27. 28.

1. ΙΑΘΑΙ, אט ATH *suaviter*, *leniter*, איו AIU *bene*, opportune : (quia Deorum *Epiphaniae* terribiles).

2. ΜΑΘΑΗΕ, מתא MTHA, MATHAA *veni*, *adveni*, accede ad nos.

3. ΡΕΟΥΕ, רעה ROE *Pastor*, Rex *Jao*, qui *pascis*, *cibas*, nutris, alis nos :

4. ΑΕΧΩΜΙ, לחם LCM, LECHEME *Panem*, *escam*, cibos :

5. CΒΩ, ipsum שבע SCBO ad *satietatem* ad *saturitatem da nobis*, *praebe*, *largire.*

SECTIO II.

INVESTIGATUR SIGNIFICATIO HIERODRAMATUM ABRAXEORUM SERPENTIS, AEONIS, DEMIURGI, LEONIS, GRYPHI, SPHYNGIS, ET ALIQUOT LEMMATA EIS APPOSITA, UT ET HARPOCRATI TENTANTUR.

CAPUT I.

Investigatur significatio SERPENTIS Abraxei, et tentantur nonnulla Lemmata, quae ei apponuntur.

Art. I. *Serpentem Ellipseidê, qui Caudam suam ore stringit, et in plurimis Gemmis Abraxeis conspicitur, fuisse Symbolum Temporis, Aevi, Anni certum est.*

1. Primo, quia *Serpens* est Arabibus חִיִּה CIE *vita*, *vivens*, quibus *Tempus* metitur. Tum *Serpens* est etiam צפעני TZPHONI, et צפה TZPHE est *observare*, *tegere*, *custodire*, et און AUN, vel אואן AUAN est *Tempus*, et *Annus*; unde revera Latinorum *An-nus*, alio *Anni* nomine Semitico שנה SCNE, SUN temurice adiecto. Praeterea Syris *Serpens* est חלטא CLTHA, et חלד CLD est *Aevum*, *Saeculum*, *Tempus*.

2. Secundo, quia Macrobius *Saturn.* Libr. I. Cap. 9. Pag. 193. scribit: *Hinc et Phoenices in Sacris imaginem eius* (Mundi per tempora decurrentis) *exprimentes Draconem finxerunt in Orbem redactum, caudamque suam devorantem.*

3. Tertio quia Horus noster Libr. I. *Hieroglyphic.* Pag. 5. scribit: Καθ' ἑκαστον δε ενιαυτον (Οφις) το γηρας αφεις αποδυεται. Καθ' ὁ και ὁ εν τῳ Κοσμῳ ενιαυσιος χρονος εναλλαγην ποιουμενος

νεαζει. Per singulos annos (Serpens) senectutem deponit exsuens se : Sic et in Mundo annuum Tempus immutatione facta iuvenis fit.

4. Quarto quia Servius in *Virgilii Aeneidem* ad *vers.* 85. Libr. V. nempe : *Septem ingens gyros, septena volumina traxit* : adnotat : *Annus enim secundum Aegyptios indicabatur ante inventas Literas picto Dracone, Caudam suam mordente, quia in se recurrit.* Quin ipsum Virgilium singulis *spiris Serpentis* voluisse indicare *Annum* palam est.

5. Quinto, quia Claudianus *de Laudibus Stilichonis* Libr. II. v. 434. et seq. haec canit : quasi ipsum *Aeonem Abraxeum*, de quo mox agemus, describens :

. . . . complectitur Antrum
Omnia qui placido consumit Numine Serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu :
. . . . mansura verendus
Scribit iura Senex, numeros, qui dividit astris,
Et cursus : stabilesque moras, quibus omnia (vivunt,
Et pereunt. etc.

Art. II. *Tentatur Lemma* ΑΓΩC ΑCΑΩ ΑΑΩΝΕ CΕΜΕC ΕΙΛΑΜ ΑΒΡΑCCΑΖ ΥΡΡΑΤΕΑ ΚΡΑΜΜΑ ΚΡΑΜΜΑ ΚΑΝΑ ΡΙCCΕ ΕΓΓΕΝΒΑΑ ΦΑΡΑΝΓΕ CΕΜΕC ΕΙΛΑΜ ΩΒΛΕΜΛΕ ΝΙΑΜ ΒΩ ΝΑΡΟU ΑΝΤΑ ΜΙΧΑΗΛ ΑΜΟΡΑ ΡΑΧΕΙ ΦΥΛΑΖΕΤΕ ΜΑΙΑΝΟ: *Quod est appositum SERPENTI Abraxeo apud Montfaucon* Loc. cit. Tab. 164. *Chiffletium, Gorlaeum, et alios.* Nempe:

1. ΑΓΩC, גוס GUS, גוסא GUSA, AGOS *refugium, spes*, anchora :

2. ΑϹΑΩ, ישעו ISCO, ISAO *Salus*, *auxilium*, salvatio.

3. ΑΑΩΝΕ, ענה ONE, AANE *afflicti*, *oppressi*, vexati hominis.

4. CEMECEIAAM, CEMEC. EIAAM, שמש SCMSC, עלם OLM *Sol Mundi*, qui es CEME, CEIAAM, nempe שם SCM, שמא SCMA SEME *Signum*, *nomen*, pignus, character; שלום SCLUM, CEIAAM *pacis*, *salutis*, *felicitatis*:

5. ΑΒΡΑCCAZ nempe ABRACAΞ, Nomen *Solis* arcanum, potens, sanctum, de quo diximus supra Pag. 213. 214. 215.

6. ΤΡΡΑΤΕΑ ארתא ARTA, ARRATA *miserere*, misericordiam habe, tribue.

7. ΚΡΑΜΜΑ, ΚΡΑΜΜΑ כרים KRIM, כרים KRIM *venerande*, *colende*, reverende.

8. ΚΑΝΑ חן CN, חנה CNE *Pie*, *benefice*, clemens, benigne.

9. ΡΙϹϹΕ ריש RISC, רשש RSCSC, RISS, RISSE *pauperibus*, *inopibus*, miseris.

10. ΕΓΓΕ, הגה EGE, EGGE, *canentibus*, extollentibus.

11. ΝΒΑΑ, נבה NBE *psallentibus*, *laudantibus*, collaudantibus.

12. ΦΑΡΑΝΓΕ, פרג PHRG, PHARAGE *splendidissimum*, lucidissimum, *Salvatorem*, opitulatorem.

13. CEMEC, EIAAM שמש SCMSC, SEMES *Solem*; עלם OLM *Mundi*; *absconditum*, arcanum עלם OLM; *aeternum*; aeviternum עלם OLM; *sapientissimum* scientissimum עלם OLM.

14. ΟΒΑΕ, יבלא IBLA, יובל IUBL OBAE, proventum, annonam, *fruges*, *fructus*, gramina, יבל IBL OBAE adduc, *affer*, tribue.

15. MAE מלא MLA imple, *comple*, abundanter tribue, מלא MLA omnium Rerum *copiam*.

16. NIAM, נעם NOM, NAIM iucundissimam, gratissimam, *acceptissimam*.

17. BΩ, בעה BOE *rogamus*, *precamur*;

18. NAPOU נער NOR, NAPU *Pueri*, *Ministri*, *servi* tui.

19. ANTA, את AT, אנתא ANTA, TU, et TU

20. MIXAHΛ, MICHAEL unus ex maximis Angelis Coeli.

21. AMORA, מרא MRA, אמיר AMIR *Dux*, Princeps, Magister, Doctor.

22. PAXEI רוח RUC, RUCHI *Spirituum*, Angelorum: omnes

23. Φυλασσετε *custodite*, *servate*, tuemini

24. MAIANO, quod putatur *Nomen Orantis*, et *Supplicis*.

Animadvertat Lector Literam, quam modo A modo A fecimus, fecisse ex certa ratione. Quia dubitari non potest, quin et hic, et in ceteris fere omnibus *Gemmis* aliqua litera ob Crypticismum, et singillatim ista A, fiat data opera ambigua et duplicis potestatis, ut animadvertimus etiam in *Disquisitione Abraxea* Sect. IV.

Art. III. *Tentatur Lemma*: ZEEE MAXEI OU CABAΩΘ BHA BAΛ COUMHO OPOMAZI CABAΩΘ MΩ ΙΙΙΘ ANΩBI MIXAHΛ ΓABPIHΛ NEOPIHΛ ABPAΞIA KOUAM NHP, ΔIAΦUΛAZON AΛEΞANΔPON: *quod appositum est* SERPENTI *Ellipseidi Abraxeo*, *apud Kircherum in Arithmologia Part. IV. Cap. I. Pag.* 178.

1. ZEEE, צעה TZOE, TZOEE, quia illud Z est lineolâ decussatum, et recte potest respondere Semitarum צ TZ: *Audi*, *exaudi*, *ausculta*.

2. MAXEI, מכך MKK, מך MK, MAKI *prostratos*, humiles, moerentes.

3. OU CABAΩΘ . O SABAOTH , nomen Solemne *Dei magni* Abraxeographorum.

4. BHA , בעל BOL , בל BL Deus *Sol* in tota Syria et Palaestina celebratissimus. *Nomen* solemne , ut *Abraxas*, et alia Nomina *Solis* insignia, BAA, iterum בעל BOL *dominus*, *herus*, Rex.

5. COUMHO , שמיא SCMIA *Coeli*, regionis *Coelestis*. Quod si videatur legendum potius COUMHΘ tunc habebimus שמות SCMUT *Nominum* , ut indicetur BAL *dominus Nominum* , *Deus* nempe *Nominum* potentissimorum, et prorsus efficacium.

6. OPOMAZI *Nomen* scilicet *Dei* magni et *boni* veterum Persarum , idem ac *Hormusd* Parsorum, de quo etymon dedimus supra Part. III. Sect. I. Pag. 169.

7. CABAΩΘ Nomen repetitum ob praestantiam et virtutem . quae putabatur.

8. MΩ , מארה MAE *Centum* , numerus magnus ingens.

9. IΩΘ , יעד IOD *coetus* , collegia , *chori* : יעז IOZ , *strenuissimi* , *validissimi* ; יעט IOTH *doctissimi* , eruditissimi . *sapientissimi*.

10. ANΩBI , נבח NBE , הנבח ENBE *vigilum* , vigilantium , non dormientium : Sive עיר OIR , sive *Angelorum* , quia עיר OIR sunt *Angeli* , et *Angeli* dicti per excellentiam *vigiles*, insomnes , *Egregori*. Qui autem meminerit , quae de ordinibus , et exercitibus Angelorum Iudaei, Arabes , Mandaitae , et reliquae fere omnes sectae Orientales semper tradiderint , haud mirabitur , quod hic *Centum Coetus*, sive *Chori*, sive *Agmina Angelorum* invocentur.

11. MIXAHA , ΓABPIHA nomina Archangelorum nota.

12. NEOPIHA ignotum; sed facile et recte a

נהר NER, NOER *Luce*, *Lumine* Nomen deducitur.

13. ABPAΞIA pro ABPAΞAΣ sive Sculptoris errore, sive, ut vox magis crypticae et occultae intelligentiae fieret. Nam haec vox frequenter in Gemmis huiusmodi aliquo modo corrumpitur.

14. KOUAM, קום QUM, erige te, *surge*, *exsurge* in adiutorium.

15. NHP, נהר NER *accurre* celeriter, festinus advenias, *adsis velociter*: et

16. ΔIAΦUAAZON (sic) *custodi*, *serva*, tuere.

17. AΛEΞANΔPON, Alexandrum pro quo Amuletum confectum fuit: Nisi et hîc *Alexandria Aegyptia* lateat, unâ vel alterâ literâ finali vel suppletâ, vel temere adiectâ: ut animadvertimus in *Disquisitione Abraxea* Sect. III. Cap. I. Art. 2.

Art. IV. *Tentatur Lemma*: KAUMABPACAΣ ΣACAPBAΛONI KOTOKI AKO.... *adposita SERPENTI*, *qui elevatus et impositus est Baculo*, *quem tenet Vir stans*.

1. Scilicet KAUM est קום QUM *erectus*, elevatus, qui in altum assurgit. 2. ABRASAX vox nota, *Nomen* Dei magni. 3. Sequens vox est ipsa Temura ABRASAX, sed omnino facta argute, ut per suas partes explicetur: nempe ΣAC שש SCSC, SAS est *Gaudium laetitia*: APBA est רבא RBA *multiplicare*, augere: ΛONI est לנו LNU *nobis*. 4. KOTOKI, חתך CTK *abscindere*, *auferre*, 5. AKO . . . cryptice descriptum est עקה OQE *angustia*, *molestia*, *tribulatio*. Adeo ut erit sententia Lemmatis. *Abraxas celse*, *elevate*, *qui erectus stas in adiutorium nostrum*, *auge*, *multiplica nobis bona*, *laeta*, *abscinde*, *aufer angustias*, *et tribulationes nostras*. Vid. Ios.

Tacconii *de Trib. Gemm. Disquisit.* Tab. I. et Pag. 35. 58. 61. etc.et Art. 2. Cap.I. Sect. I. *Disquisitionis* nostrae *Abraxeae.*

CAPUT II.

Investigatur significatio Hieroschematum AEONIS, et DEMIURGI Abraxei, et aliquot Lemmata eis apposita tentantur.

Art. I. *Typus Viri saepius senis, nudi, alati, duobus baculis innixi, tertio, vel quarto quandoque adiectis, genibus saepe pilosis, Scorpionem manu stringentis, Serpente ellipseidi, vel circumdati, vel ei impositi, habendus est Symbolum Aevi, et Periodorum huius Mundi, simulacrum AEONIS, sive Chroni Asterolatrici.*

1. Primo, quia figura *Senilis* tum Ideographice *Tempus* et *Aevum* notat, tum Lexeographice, quia *Senex* est ישן ISCN, *Annus* שנה SCNE; *verti*, iterari idem שנה SCNE, *Tempus* אשון ASCUN: Et quia שני SCNI est *duplex*, *secundus*, ideo quandoque efformatus est huiusmodi AEON cum *duplici facie*, ut *Janus Romanus*, cum quo plura habet communia. Vid. Tabul.175.Tom. II. 2. *Antiq. Expl.* Montfaucon.

2. Secundo, quia *Alae* sunt propriae *Temporis* fugientis et avolantis: Et *Saturno* Phoenicio, Deo *Chronico* omnino *quatuor alas*, quot sunt *Typo* nostro, a Taauto fuisse tributas testis est ex Sanchuniatone Philo Byblius apud Eusebium in *Praep. Evang.* libr. I. Cap. 10. Pag. 39.

3. Tertio, quia *Baculi* illi, quibus innititur videntur omnino indicare *Tropicos Sphaerae* coelestis, per quos fiant perennes illi cursus et re-

cursus Planetarum, quibus *Anni*, et *Aevum* ipsum efficitur. Si *Baculi* sunt tres, tertius erit *Aequator*, si *quatuor* bis *Aequator* ipse ob duo *Aequinoctia* computabitur. Nec dubito, quin festum illud Aegyptiorum celebratum paullo post *Aequinoctium* Autumni de *Baculis Hori*, ut refert Plutarchus de Iside pag.372 ad *Solares conversiones*, et *τροπους* sit referendum. Tum animadvertendum est *Creaturas*, Res creatas dici בריה BRIE, et Baculum בוריה BURIE, quia *Aeon Creatis* Rebus et huic *Mundo* innititur, sine quibus evanesceret, et penitus non esset.

4. Quarto, quia *Genua* sunt ברך BRK Hebraeis, ברכא BRKA Syris, ערקוב ORQUB Rabbinis, רכב RKB Arabibus, et *Scorpio* omnibus עקרב OQRB; et haec omnia sunt temurae homiophonae רכב RKB *currus*, vehiculum, et *vector* vel auriga. Atqui nullum fere Emblema *Aevi*, *Temporis*, Aetatis potius desumi potest, ac a *Curru* et *vehiculo*; Quumque *Pili* et *villi* sint שער SCOR, erit adeo *Typus* ille *Auriga Mundi* timendus et *metuendus*: Et iure quia Ipse constituit *figit* et decernit שער SCOR *Mensuram*, *metrum cursus*, et *equitationis* vitalis in hoc Mundo. Ex Eo quidem *Aeone* est *Aurora Mundi* בקר BQR. בכר BKR, ex Eo *Primogeniti* omnis creaturae, et primitiae omnis *Fructus* בכר BKR, ex Eo augumentum, et quasi *pinguedo*, et saginatio רבק RBQ Corporum, ex Eo *Sepulcrum* קבר QBR. et *putredo* רקב RQB.

5. Quinto, quia *Figura* huiusmodi sive circumdatur, et circumcingitur, sive pedibus insistit *Serpenti Ellipseidi*, quem praestantissimum Symbolum esse *Temporis*, *Aevi*, *Anni* paullo supra pag.227. 228. demonstravimus.

6. Sexto, quia *Cauda* זנב ZNB *finis*, *terminus*

Rerum, vel קטן QTHN res *parvae minutae*, quasi momenta: eaque et implexa שבך SCBK, sive *mixtio confusio* bonorum et malorum egregie *Aeoni Mundano* convenit. Quin Cauda זנב ZNB est temura זבן ZBN ipsum *Tempus*, *Aevum*, *Aeon* Syris.

7. Septimo, quia *Modium metiri* מדד MDD, כיל KIL: homiophonon חול CUL *parere*, et כלה KLE *absumi*: שער SCOR, מ-שור M-SCUR *mensuram*, metrum rectissime *Tempori* et *Aeoni* convenire nemo non videt.

8. Octavo voces IAΩ, CTHL, MNH adiectae huic *Typo* in *Dactylioth*. Gorlaei. Part. II. n. 351. et apud alios plures, plane *Aeoni* congruunt sive Deo *Temporum*, et Rerum conditarum. Nam IAO est יה IE *Deus*; CTHL est שתל SCTL, qui *plantat*, qui surculos, germina Terrae infigit; qui incremento rerum conditarum praeest: Est שדל SCDL homiophonon, qui *operatur*, qui agit, et qui fallit, *decipit* vana apparentia, quia Mundus est fallax; et מנה MNE est qui *tribuit*, distribuit, dividit *Res* sive bonas sive malas huius Mundi: quae *Aeonis* sunt, sive *Chroni* veterum Gentium.

Art. II. *In parte anteriore Gemmae Abraxeae apud Matterum Tabula* I. F. 1., *qua conspicitur Gubernaculum Navis, Caput Arietis, et Leonis iugata, Rustrum, Truncus humanus, Crura et pedes Felis, Serpens ellipseides, et Mumia postrema: adiectis vocibus* ΙΙΗΡΦΟΥΘ ΜΟΥΙCΡΩ: *agnoscendus est* AEON *Abraxeus; et in posteriore, qua Septem Vocales Graecae septies temurice repetitae leguntur adiecta voce* ΤΙΤΟΥΗ, *agnoscendi sunt septem Angeli Planetarum.*

1. *Gubernaculum*, *Temo* דפף DPHPH, דפה

DPHE tum Ideographice *Tempori* convenit, quia eo omnia reguntur, et ducuntur: Tum Lexeographice, quia דף DPH est etiam *Porta* et *Janua*, quia *Portam* et *Januam* vitae *Tempus* et *Aeon* aperiunt: et quoniam דפה DPHE est quasi דו DU *duplex*, פה PHE *os*; ideo et *duplex ala Temoni*, et *duplex Caput* adpositum: quae etiam potestate similia sunt Symbolis *IaniRomani*. Praeterea *Temo* dicitur etiam מקדף MQDPH, et dici potest etiam מקדם MQDM. Atqui קדם QDM significat *Tempus*, *prius*, anterius, vetus, primordiale: Quod apprime *Aeoni* congruum. Tum si מקדף MQDPH est temura homiophona פה PHE, קדם QDM, et vocula פה PHE vel פי PHI est vel *in*, vel *pars*, *mensura*, *metrum*, illo etiam *Temonis* nomine recte significatum *Aeonem* perspicuum est.

2. *Caput Arietis* est ראש RASC, זכר ZKR: Atqui זכר ZKR est etiam *memoria*, *recordatio*, et omnino *Tempus* קדם QDM est ראש RASC *Caput* initium זכר ZKR omnis *recordationis* et *memoriae*. Praeterea *Caput Arietis* est ראש RASC, חמל CML, et חמל CML est etiam *graviditas*, *impraegnatio*, gestatio uteri, quae condito *Tempore* et *Aeone* initium *Caput* ראש RASC habuerunt. Quin *Graviditatem* חמל CML quamdam *Demiurgis*, et adeo Typis similibus *Aeonis* convenire tum in *Disquisit*. de *Obelisc*. *Hermapion*. Pag. 148. 149. tum hic Part. II. Sect. V. Pag. 135. 136. animadvertimus.

3. *Caput Leonis* est ראש RASC. קדום QDUM, quia *Leo* Arabibus est קדום QDUM · Sive *initium*, principium, קדם QDM *Aevi*, *Temporis* vetustissimi, et *primordialis*. Tum *Leo* est etiam עתאת OTHATH, et עת OT est *Tempus*, עדא ODA *diluculum*, Aurora, quae *Aeoni* convenientissima.

4. *Rastrum* est חרש CRSC, et tum omnia *opera* Agricolarum חרש CRSC, tum omnia *artificia* חרש CRSC eo indicantur. Praeterea eius *Dentes* שן SCN seriem longam שנה SCNE *Annorum* significant.

5. *Truncus Hominis* est גתה GTE, אדם ADM, quae temurae homiophonae יקת IQT, דאים DAIM, sive *Tempori*, *continuo*, *durabili*, perenni.

6. *Pedes Felis*, רגל RGL, חתל CTL indicant ab *Aeone* et *Tempore* constitui vias, consuetudines, *mores*, regulas רגל RGL; חלד CLD vel חדל CDL *Mundi*, *Aevi*, *Saeculi*.

7. *Serpente ellipseidi* significari *Tempus* Aevum diximus paullo supra Cap. I. Pag. 227. 228.

8. *Mumia* tandem iacens non modo *Mortem* et *finem* substantiarum *Tempori* subiectarum opportunissime significat; sed etiam earum conservationem et durationem, et futuram etiam restitutionem et instaurationem, ut ego teneo, et pluribus suadere possem, si locus esset opportunus.

9. *Prima* porro *Vox* adiecta, cuius secunda litera est quasi H Latinorum lineolis clausa, quae litera apud Etruscos, et Atticos saepius fuit *Aspiratio* gravis et profunda, quam Semitae exprimerent suo ח *Chet*, ut diximus supra Sect. I. Pag. 224. videtur fuisse חרף CRPH, vel החרף ECRPH, quum prima litera videatur et secundae ex parte similis, scilicet *aperuit*, *manifestavit*, *revelavit*.

10. *Pars reliqua* OUΘ est ipsum עת OT, עוד OUD, עדא ODA *Tempora*, *Aevum*, quae *Aeoni* plane opportuna.

11. *Altera Vox* MOYISRO facta videtur a מעה MOE *Viscera*; *Cor*, intellectus, *intimus sensus*, et שרע SCRO *statuit*, *constituit*, confir-

mavit, vel שריה SCRIE *initium* principium, quia omnia ex *Tempore*, et per *Tempus* fiunt, et gignuntur, et potissimum *γνωσις*, *prudentia*, et *intelligentia* Rerum.

12. *Septem vocalibus Graecis*, et temurice dispositis significari *Septem Planetas* animadvertimus iam in *Disquisitione Abraxeâ* Sect. I. Cap. 2. Art. 2.

13. *Postrema Vox* TITOYE respondere potest Semitico תהיה TTEE, et potest verti *invisibiles*, *admirabiles*, stupendae, potentissimae *virtutes*, vel potius תשע TTHO *Copia*, *abundantia* omnium bonarum Rerum, quam implorabant ab his Potestatibus Coelestibus.

Art. III. *Tentatur vox* XΩCAMIAΛΩΘ *adposita Aeoni Abraxeo in Matteri Tabula* I. E. 8.

Si interpungimus XΩCA. MIΛA. ΩΘ. habebimus חוש CUSC, COSA qui *festinat* rapide celeriter *currit*; כשה KSCE, qui *tegit*, *obtegit*, occulta servat; כשא KSCA KOSA, qui *cumulat*, *adgregat*, *colligit*, disponit, 2. מלא MLA MILA *copiam*, *abundantiam*, plenitudinem. 3. עת OT, OTH *Temporum*: Tum עד OD, ועד UOD homiophonon ΩΘ est *aeternitas*, *perennis cursus Temporum*: Adeoque Lemma illud potest verti: *Iungens*, *colligens*, *ordinans plenitudinem Temporum*, *aevi*, *aeternitatis*. Atqui is ipse character est *Aeonis Abraxei*.

Art. IV. *Tentatur Lemma*: AANAΘANAA. CEMECEIΛAM. *apposita AEONI Abraxeo apud Montfaucon in Tab.* 162.

Scilicet לאן LAN, לון LUN, et את ATH *sensim*, *molliter*, suaviter, pedetentim, 2. אתה ATE incedendo, veniendo, *gradiendo*. 3. נהל NEL, NAL

sustentat, nutrit, educat, נלה NLE *perficit*, exornat, *implet*, 4. שמש SCMSC, SMS, CEMEC *Sol*, 5. עלם OLM, EILAM *Mundum*, Rerum universitatem. Haud autem mirum quod in *Gemma Aeonis* nomen *Solis* legatur. Is enim *Sol* est *Sol νοερος* intelligibilis, Lux illa Primigenia, recens emergens ex Chao, per quam prima *Tempora*, et primus adeo *Aeon* fuit. De qua *Luce* prima, et *Sole νοερῳ* multa egregie disserit Philo Judaeus *de Mundi Opificio*. Pag.6.7.Et propterea forma huius *Aeonis* est iuvenilis et pulcra. Et propterea est *Sol* שמש SCMSC, עלם OLM, EILAM *crypticus*, arcanus, non autem is visibilis. et oculis nostris quotidie spectabilis. Tum שמש SCMSC est quivis *minister*, quivis administer, famulus, et adeo ipse AEON quisquis sit, est famulus *Futi* Mundani. Tandem haec plane ad rem Servius *ad Aeneid*. I. v. 621. Assyrios *constat Saturnum* (Aeonem), *quem et Solem dicunt . . . . coluisse . . . . . Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione Saturnus, et Sol*. Vid.*Disquisit. Abrax*.Sect.I. Cap.4. Art.4.

Art.V. *Typus adhaerens Aeoni Abraxeo apud Kircherum in Oedipo T.II.2.Pag.464. Ebermayerum Tab.XVII.num.436. et Matterum Tab.I. E. 7.sive Vir nudus, rasus, cornutus, sexu carens, cuius Collo infixum est Caput Lupi sive Sciacalis, qui dextra facem adtollit, sinistra ramum Palmae gerit, et videtur super nubes Coeli gradi ad Caput Hominis e Solo erumpentis, habendus est DEMIURGUS et conditor Mundi, atque Aevi Mundani Parens.*

1. Primo, quia *Nuditas* recte congruit *Demiurgo* tum Ideographice, quia ante creationem erat *Nihil*, et *nudum* spatium, *nuda* et vacua

tantum erat *Hyle*: Tum Lexeographice, quia *nudare* est חשף CSCPH, et homiophonon חשב CSCB est *excogitare*, deliberare, computare, *aestimare*, quae *Demiurgi* sunt: Quin ipsum חשף CSCPH vel כשף KSCPH est *revelare*, *manifestare*, quae abdita et recondita sunt in lucem et apertum promere, quod potissimum *Demiurgus* facit.

2. Secundo, quia recte caret sexu *Demiurgus*, qui Mundum non *Generatione*, sed *Creatione* condit; immo ipse unus potest *sexu* carere.

3. Tertio, quia *Caput rasum* est ראש RASC, חלק CLQ, vel גלח GLC, et חלק CLQ est etiam *condere creare*. Quamobrem *Caput rasum* significat *Principem* שר SCR, *creantem* חלאק CLAQ.

4. Quarto, quia *Caput* ראש RASC *Sciacalis* שחל SCCL, impositum יצב ITZB, *Collo* צור TZUR suo, significat שר SCR *Regem Principem*, שכל SCKL *intelligentem*, *scientem*, prudentem, qui עצב OTZB *format*, *efformat*, effingit, צור TZUR, יצר ITZR *figurat*, *speciem dat* Rebus et Mundo.

5. Quinto, quia *Ramus* אמיר AMIR, שוח SCUC, שפיא SCPHIA, et *Palma* תמר TMR, דומה DUME significant *Verbum* אמר AMR, *Sermonem* שוח SCUC. *Eloquium* שפה SCPHE, תמד TMD, et דים DIM *perenne*, *aeternum*, *perpetuum*: Scilicet Creationem factam per *aeternum Verbum*, et per cogitationem, et Sermonem aeternum.

6. Sexto, quia *Pedes* רגל RGL adhuc *absconditi* in Nubibus, et *Caput* ריש RISC tantum *Hominis* אדם ADM ex eis *emergens* significant Coelos quidem iam esse conditos, scilicet *Choros* sane *Angelorum*, qui *octo Stellis* indicantur, et

Coelum νοερὸν, incorporeum, de quo Philo Iudaeus, quem citavimus Pag.239.praeter ceteros agit. Sed adhuc tum *Solem* et *Lunam*, tum *Terram* hanc habitabilem אדמה ADME, et *Hominem* אדם ADM, et רגל RGL esse condenda. Nam si *Sol*, *Luna*, *Stellae*, putarentur conditae numquam *Demiurgus facem flammantem* manibus gestaret, et Schemata ipsa *Solis* et *Lunae* fuissent adposita. *Terra* אדמה ADME vero non apparet, quin *Nubes* tantum conspiciuntur, et *Caput Hominis* ריש RISC, אדם ADM, quo significatur *principia* tantum et fundamenta iacta, ut perficeretur אדמה ADME *Terra*, et אדם ADM *Homo*, opus vero ipsum non fuisse absolutum.

7. Septimo, quia *Baculus curvus* כף KPH, לף LPH, qui ad *Caput* adpositus est, res adhuc occultas, et absconditas significat.

Art. VI. *Typus huiusmodi habendus est potissimum Symbolum* **DEMIURGI** *primigeniam et originalem Lucem ex Chao educentis, et Tempora primum discernentis.*

1. Primo, quia *Fax*, quam sinistra extollit Ideographice *Lucem*, et adeo hic *primam* evidenter significat.

2. Secundo, quia *Cornu* sive *unum*, sive duplex in *Capite* significant ריש RISC *principium* initium, קרן QRN *irradiationis*, *splendoris*, lucis, qua *Luce Tempus*, *Aevum* קרן QRN, שרר SCRR, שר SCR stabilitur, constituitur, et suum *initium principium* שרוי SCRUI sumit.

3. Tertio, quia ipsa *nuditas* חשף CSCPH, et ערה ORE, *Lucem* אור AUR, qua *Corpora* et *Loca* חשף CSCPH *manifestantur*, *revelantur* perspicue significat.

4. Quarto actus ipse *incedendi* בוא BUA in-

dicat בהא BEA *splendorem*, fulgorem, *lucem*.

5. Quinto, quia *Lupus*, sive *Sciacalis* sacer erat *Soli*, Apollini. Horo Typis *lucidissimis*; nosque in *Disquis. de Obel. Hermap.* Pag. 124. animadvertimus voces Λυκης, et *Lucis* factas a שכל SCKL, et adeo quod *Lupus*, Λυκος, שחל SCCL esset *Lexeoschema Lucis* aptissimum.

Art. VII. *In alia Gemmâ Abraxeâ pariter DEMIURGUS est agnoscendus.*

Scilicet tenendum est eumdem *Demiurgum Abraxeum* significari a *Figura Iuvenis plane nudi, cui sunt Capilli hirti, et duae alae Capiti adpositae, quique dextrâ demissâ ramum Lauri gerit, et sinistrâ innititur quasi baculo Serpenti Cynocephalo, huius Serpentis caudae pede utroque imposito. Corpori* vero *Iuvenis*, et *Serpentis* adscripta sunt haec: ΙΑΩ CABAΩ IBP AΔM CEME XAE AΔM ACEIVΩ. In altera parte Gemmae: AMAPΩMA. Vid. Passerium *in Gemm. Astrifer.* I.Tab. 197. et II. Pag.218. 219. et Jos.Tacconi *de Trib.Gemm.*Tab. 3. Pag.85.88.

1. *Alae* enim *Capitis* sunt אבר ABR, ריש RISC, quarum vocum temurae homiophonae sunt שר SCR *Dominus*, ברא BRA *creans*, *creator*, conditor. *Pennae*, *alae* sunt נצה NTZE, et צנע TZNO est *fecit*, *efformavit*, artifex, conditor. *Alae* porro sunt *duae* שני SCNI, quia *Secundus alter* a Deo summo שני SCNI, *Filius* בר BR est *Conditor*, *Demiurgus*, ברא BRA.

2. *Capilli erecti*, longi sunt שער SCOR, et ipsum שער SCOR est *metiri*, aestimare, *norma*, regula, quae *Demiurgo* necessaria. *Capilli* sunt מנות MNUT, et מנה MNE est *numerare*, calculare, *tribuere*, partiri, et מנדע MNDO est *scientiâ*, prudentia, *Sapientia*, Γνωσις, quae *Demiurgi* sunt.

3. *Nuditas* חשף CSCPH, *Adolescentis* עלם OLM significat *revelationem* manifestationem *Mundi* עלם OLM, *absconditi* עלם OLM

4. Qui *Dextrâ* ימין IMIN, *demissâ* שח SCC, *tenet* לכד LKD, *Ramum* אמיר AMIR, *Lauri* דריה DRIE: Est qui *meditando* שוח SCUC, *iubendo* אמר AMR, מנה MNE *disponit* ordinat, דריה DRIE *sapientissime*, מריא MRIA *imperium* dominium, חלד CLD *Mundi* sui.

5. *Innixus* סמך SMK, *Baculo* שבט SCBTH, *Sciacali*-שחל-SCCL -- *Serpenti*-חיה-CIE *formi*, est qui שבט SCBTH *educit*, producit, extendit, *propagat*, creatione, *vitam*, existentiam חיה CIE, *laetissimam*, iucundissimam שמח SCMC, *prosperam* felicem שכל SCKL. imo et intelligentem, prudentia praeditam שכל SCKL iterum.

6. *Cauda* זנב ZNB, *Serpentis* חיה CIE, *Pedibus* Demiurgi *compressa* צור TZUR, *significat*, ut initium *vitae* in eius esse dominio, ita et *finem*, et *terminum*. Nempe ipse etiam est צור TZUR Custos, זנב ZNB finis., חיה CIE vitae. Adeo ut *Demiurgus Abraxeus*, sit etiam *Patulcius*, et *Clusius*, ut Ianus Romanorum; de quo diximus Part.II.Sect.IV. Pag. 125. 129.

Voces porro adiectae apte etiam *Demiurgo* et *Conditori* congruunt. Nam:

1. IAΩ est יה IE *Deus*.

2. CABAΩ est סבה SBE *Causa*, principium Rerum, שבע SCBO *satur*, plenus, ditissimus, qui סבב SBB homiodynamicum שנה SCNE *vertit*, *convertit* formas, *figuras* שבה SCBE, Entibus, ut sit similis שנה SCNE, שני SCNI, sive *Iano* Romanorum.

3. IBR, est ברא BRA, qui *creat*, *condit*.

4. AΔM, אדם ADM *Hominem*, Animal ra-

tionale dictum *Homo*: vel *cryptice* אדמה ADME *Tellurem*, *Terram*.

5. CEME שמיא SCMIA, *Coeli*, *Coelestem* Hominem, vel ipsum *Coelum*. Nec arbitror mirum dici אדמה ADME *Tellurem*. loco ארץ ARTZ, ארעא AROA, vel similis vocis: neque adeo praeponi *Coelo*; ut iam animadvertimus ad *Tabulam Rosettan*. Pag. 12. 13. Probabilius tamen puto intelligendum de *Homine coelesti* primo, de quo omnes Sectae et Scholae Orientales, Rabbinica, Zoroastrica, aliaeque plurima habent; quae hîc attingi nequeunt.

5. XAE, ADM est חוה CUE, אדם ADM *Typus*, *exemplar*, signum, demonstratio *Hominis*, אדמה ADME *terrae*, terreni: Quin si legimus una XAEADM, et factam putamus vocem a קדם QDM *anteriori*, *vetusto*, originali, et אוה AUE *desideratus*, exoptatus, erit epitheton ipsius illius אדם ADM *Hominis*, שמיא SCMIA, SEME *Coeli*, *Coelestis*, revera קדם QDM: Et plane opportune. si meminerimus quae quantaque singillatim Rabbini de *Adamo Kadmon* disserant et comminiscantur.

6. ACEIVΩ est ipsum ישע ISCO, vel סוע SUO, ISIVO, qui *salvat*, qui *servat*, qui *adiuvat*, qui *opitulatur*, quod *Conditori* congruum, et in Gemma Apotropaea conveniens.

7. AMAPΣΙΜΑ est אמר AMR *verbum*, *sermo*, *praeceptum*, עם OM *occultum*, tectum, *mysticum*. Ad sensum autem Apotropaeum totum Lemma ita verti potest: *O Deus Iao plenissime*, *ditissime*, *conditor Hominis Coelestis*, ut *terrenus* sit Coeli particeps, *indica mihi Homini terrestri Salutem et Salvationem Verbo et Nomine tuo mystico et arcano*.

Illud tandem non est praetereundum *Verba*

adscripta referri ad ipsa *Symbola* Hierogrammatis, quae adeo haberi possunt, ut eorum *Lexeoschemata*. Nam

1. ΙΑΩ, ΣΑΒΑΩ sunt in ipso *Theogrammate*, in שבאה SCBAE *figura*, *simulacro*, et quidem שבאב SCBAB *adolescentis*, iuvenis.

2. IBR est in *Alâ* utrâque אבר ABR, et in *figura* adolescentis, filii בר BR.

3. ΑΔΜ, CEME, אדם ADM, שמיא SCMIA, est in ipsa *forma* humana *Dei* necessario *Coelestis*.

4. XAE, est in חיה CIE *Serpente*.

5. ACEIVΩ est in *Capillis turbatis* hirtis שאה SCAE ASEAE, et in שעה SCOE, השיע ESCIO *pressit*, *compressit* Serpentem.

6. ΑΜΑΡΩΜΑ est in actu *attingendi*, *tenendi* עמם OMM, OMA, *Ramum*, surculum אמיר AMIR, AMAR.

CAPUT III.

Investigatur significatio LEONIS Abraxei, et tentantur aliquot Lemmata, quae ei apponuntur.

Art. I. *Probabile est LEONE Abraxeo indicari Deum praesidem exundationi Nili Aegyptii.*

Nam quum tenendum sit sive omnes sive plerasque *Gemmas Abraxeas* conditas et exculptas fuisse in *Alexandria Aegyptia*, quemadmodum ostendisse arbitramur in *Disquisitione* subiecta Sect. III. Cap. I. et iusta Nili exundatio non Thebaeis et Memphitis modo, sed ipsis *Alexandrinis*, quin toti fere Romano Imperio fuisset desideratissima, est intrinsece probabile plures *Gemmas Abraxeas* conditas fuisse cum Symbolis exoptatissimae *inundationis*. Atqui *Leone* significari

Niliacam exundationem, et ad Horum nostrum Sect. I. Pag. 13. et in *Disquisitione de Obelisco Hermapion*. Pag. 127. 128. pluribus animadvertimus. Tum vox MAVI adiecta *Leoni Abraxeo* apud Chifflet. Tab. VIII. n. 32. et alios, non respondet *Moui Leoni* Coptitarum, quod ineptum: Sed omnino מוי MUI, מיא MIA *aquae*, et hoc *Moui Leonis* nomen Copticum unum ex illis est, quod factum a *Hierophantis*, et traditum Populo putamus, et quod indicavimus *Praefat. ad Fundam. Hermen.* Pag. XXXVII. adeo ut, quum *Leo* esset Symbolum *inundationis* voluerunt, ut Animal ipsum *aquae* מוי MUI nomine a Vulgo nominaretur et discerneretur. Praeterea *Leone*, cuius *Capiti As.rum* impositum, et *Tridens* subiectus in *Hierogrammate Harpocratis* apud eumdem Chiffletium Tab. X. num. 40. et cuius *Lemma* Capite sequenti interpretamur, *inundationem* indicari dubitari non potest, tum consideratione ipsius Sideris Zodiacalis, quod dicitur *Leo*, sub quo *inundatio* fit, tum significatione *Tridentis*, de quo mox dicemus.

Art. II. *Hieroschemate LEONIS recti, qui dextrâ Tridentem, sinistrâ Situlam gerit, et cui adiectum est Lemma* : ΘΟΥΘ ΚΟΜ ΒΟΥΡ ΦΡΙ ΜΝΙ ΕΜΕ ΣΙΕΜΕΘΙ : *apud Gorlaeum in Dactylioth. II. Num.* 362. 363. *et alios plures, inundationem Niliacam significari tenendum est.*

1. Nam 1. ipso *Leone exundationem* iure significari modo et saepe dictum est. 2. *Situlâ*, דלי DLI indicari *aquarum eductionem* דלה DLE, et adeo effusionem Ideographice patet. 3. *Tridente* צנור TZNUR significari *canales*, *rivos*, derivationes, aquaeductus, quae etiam צנור TZNUR dicuntur, aequum est.

2. Praeterea 1. ΘΟΥΘ est Temura homiophona עטאט OTHATH *Leonis* Arabica Dialecto, et *Leonem* dictum ab *Abraxeographis* aliquando hoc modo ex Hierogrammate *Harpocratis Leontocephali* apud Sponium in Miscell. erudit. Antiq. pag. 16. num. XXV: cui *Harpocrati* adscriptum est ΟΤΙΗΑ: colligitur Praeterea temurâ homiophonâ תמע TTHO Arabica pariter Dialecto, copia, *abundantia* omnium bonarum rerum significatur. 2. KOM est קמא QMA *segetes*, messes. 3. BOUP בר BR *Frumenti*, tritici. 4. ΦΡΙ פרי PHRI *Fructus*; 5. MNI מנח MNE *largieris*, tribues, dabis. 6. EME. מיא MIA *aquam* inundationem. 7. CIEMEΘΙ שמט SCMTH *emittens*, educens, fluere faciens. Scilicet, O *Leo* ΘΟΥΘ עטאט OTHATH, *praebebis* MNI, מנח MNE, *Segetes* messes KOM קמא QMA, *Frumenti* BOUR בר BR, et omnes ΦΡΙ, פרי PHRI *fructus*: *aquas* EME מיא MIA, *emittens* fluere faciens CIEMEΘΙ שמט SCMTH SIEMETHI.

3. Insuper voces *Lemmatis* apte Symbolis *Hieroschematis* respondent. Nam 1. ΘΟΥΘ, sive עטאט OTHATH est *Leo*, ut diximus. 2. KOM est קום QUM *erectus*, *rectus*, stans, qua positura est *Leo*. 4. ΦΡΙ, פרי PHRI indicat habitum *Ithyphallicum Leonis*. 5. EMECIE, משח MSCE significat hic *Situlam*, *haustrum*, quia משח MSCE est *extrahere*, *educere* ab *aquis*, *haurire*, et facile potest ideam ad *Haustrum* ipsum extendi. 6. Tandem ΜΕΘΙ מטח MTHE est *baculus virga*, ex qua constat maxime *Tridens*.

Art. III. *Deus Samaritanorum Hematensium*, אשימא *ASCIMA*, *cuius mentio fit IV. Regum Cap.* 17. *v.* 30. *agnoscendus saepe est in LEONE Abraxeo.*

1. Urbem *Hemat*, sive חמת CMT Biblicam esse *Heliopolin* sive *Balbek* ad Libanum demonstravit Haarenberg in *Miscell. Berolin.* Tom. VII. pag. 443. 450.

2. Divinitatem maximam *Heliopolitanorum* sive *Hematensium* fuisse *Solem* notum est, et quum *Sol* sit חמה CME, et חמת CMT *Murus*, paries, probabile est contractas fuisse duas voces in *Hemat* חמת CMT, et a *Sole* etiam veterem Urbem, quasi *Solis murum*, *Solis moenia* dictam fuisse.

3. *Leonem* sacrum specialiter *Soli* plures animadverterunt, nosque ipsi ad rem non pauca adnotavimus in *Disquisit. de Obel. Hermapion.* pag. 125. 126. Et quum *Sol* sit חמה CME, *Leo* Arabibus חמו CMU, quum *Hemat* sit חמת CMT, *Leo* חמז CMZ; omnino probabile est Deum *Solem Hematensium* indicatum fuisse *Leone*: Et profecto in Templo *Heliopolis* Phoeniciae, sive *Hemat*, cultum fuisse *Leonis* forma *Deum Gennaeum*, qui alius a *Sole*, vel *Typo Solis synthrono* esse non potuit, ex Damascio in vita Isidori apud Photium pag. 1063. constat.

4. *Deum* autem a Samaritanis potissimum dictum fuisse שמא SCMA homiophonon אשימא ASCIMA, et שמיא SCMIA *Coeli* Relandus iam, aliique plures animadverterunt: Tum constat ab Arabibus, qui etiam Edessam, et ceteram Syriam habuerunt et impleurunt Coloniis ab antiquissimis temporibus, *Leonem* dici אשמא ASCMA. Hematenses ergo iure potuerunt voce אשימא

ASCIMA, et *Leonis* Figurâ *Deum* suum magnum *Solem* significare: Et profecto haud leve est *Leoni Abraxeo* apud *Chifflet*. Tab. VIII. num. 31. et alios, inscriptum esse CAMA, sive שאמא SCAMA, pro אשימא ASCIMA Semate, et nomine *Solis*. Et propterea hunc ipsum *Leonem* fuisse שם SCM *Stemma Samaritanorum Hematensium* tenendum est.

ART. IV. *In LEONE Abraxeo, qui Caput Tauri premit apud Chifflet. Tab. VII. 28.29. VIII. 32. et alios, Mons Garizim Samaritanorum iure potest agnosci.*

Nam *Leonis Catulus*, et ipse adeo *Leo* est גור GUR. אריה ARIE, rugiens est זום ZUM: Atqui הר ER, גרזים GRZIM *Mons Garizim* est omnino homiophonon אריה ARIE, גור-זום GUR-ZUM. Qui est *desuper*, supra, qui premit est על OL, et על OL est homiophonon הל EL, איל AIL *Deo*. Tum *Caput* est ריש RISC cuius Temura homiophona שר SCR est *Rex*, Princeps, Dominus: *Taurus* est תור TUR, et *Mons* est טור THUR: Adeo ut verba haec *super*, *caput*, *Tauri*; sive על OL, ריש RISC, תור TUR respondeant איל AIL *Dei*, שר SCR *Domini*, טור THUR *Mons*.

CAPUT IV.

Tentantur aliquot Lemmata apposita *HARPOCRATI Abraxeo.*

Art. I. *Tentantur Lemmata* ΑΒΡΑCΑΖ CΙΓΙ-ΡΙΜ; et ΑΡΧΕ ΟΙΑ ΩΜΕR ΜΕΝΝΟ: *quae apposita sunt HARPOCRATI sedenti super Arbusculâ, Leone, et Tridente subiecto, et Menisco adiecto: apud Gorlaeum in Dactyl. II. n.* 378. 379. *et Cuperum in Harpocr. Pag.* 8.

1. ΑΒΡΑCΑΖ est *Abrasax* ipsum, quia Abraxeographi rarissime Ξ, ξ Graeco usi sunt; Nomen magnum SOLIS, ut diximus Sect. I. Cap. 3. Art. 2. pag. 215. 216.

2. CΙΓΙΡΙΜ, ut recte habet Cuperus loc. cit. fit a שאג SCAG *rugitu*, fremitu Leonis, ut *Leo* adiectus indicetur; a שגר SCGR, SIGIR *arbore, arbusculâ*, frutice, super quo revera sedet *Harpocrates*: et ab eodem שגר SCGR *emittere* educere, et ים IM loco מיא MIA aquam *aquas*, ut propositum Hierogrammatis significetur, scilicet impetrare felicem Nili exundationem: quum Leonis, Stellae, et Tridentis Symbola hanc apertissime insuper significent, ut vidimus supra Cap. III. Pag. 245. 246.

3. Porro ΑΡΧΕ est ירח IRC, IRCHE, ARCHE *Luna*: Nam *Meniscus* additus est, ut Harpocratem ad *Lunam* etiam referri indicetur; ΟΙΑ est ΙΟΑ, יה IE *Deus*, ΟΜΕR est ipsum עמר OMR angustias, *dolores*, mala nostrae *vitae*, עמר OMR iterum, *aufer*, *amove*; מנע MNO, ΜΕΝΝΟ *cohibe*, *arce*, prohibe.

Art.II. *Tentatur Lemma* : COUMAPTAABAA-NAΘANAABAA KPAMA XAMAPI : *appositum HARPOCRATI Abraxeo apud Chiffletium Tab. IX. num.* 35. *Gorlaeum II. num.* 371. *et alios.*

1.COUMAR שמר SCMR, vel COUMAPT שמרת SCMRT est *custodi*, *serva*, *conserva*, tuere.

2. TAABAA תבל TBL TABALA *Mundum*, *Orbem*; vel AABAA, אובל AUBL ABLA *fluvium*, *annonam*, יבל IBL *praeb*, *da* : Vel טוע THUO, טאע THAO *Subditos* tuos, servos *obedientes*; בלא BLA de *afflictione*, *periculo*, *malo*.

3. NAΘAN נתן NTN *da*, *tribue*, concede.

4. AABAA עלבה OLBE *victoriam*, *triumphum*.

5. KPAMA, כרים KRIM *venerande*, *honorande*, colende.

6. KAMAPI, קמרי QMRI *Lunaris*, ad *Lunam* spectans, *Deus Lune* : Nam constat Harpocratem non ad *Solem* tantum, sed magis ad *Lunam* spectare; quamobrem in Gemmis *Abraxeis* frequenter conspicitur cum *Cynocephalo* Symbolo Lunari, ut ex libr.I. *Hieroglyphicor. Hori-Apollinis*.num. 14. Pag. 27. 28. in *Excerpt. nostris* Pag. 9. et aliis pluribus colligitur; immo frequentius *forma* prorsus *muliebri* exhibetur : ut videre est apud Montfaucon in Tabula Abraxea 158. Sensus ergo *Lemmatis* probabilior erit : *Custodi*, *serva obedientes tibi*, *de malo victoriam da*, *honorande*, *Lunaris* Harpocrates.

CAPUT V.

Tentatur Hierogramma Gemmae Abraxeae de Humana EMPSYCHOSI, quod conspicitur in Act. Academiae Cortonensis Tom. II. Pag. 121. 122.etc. Additurque interpretatio alterius Hierogrammatis argumenti similis, qua Humanae vitae exitus significatur.

Art. I. *Describitur primum Hierogramma.*

1. In parte superiore anterioris Partis *Gemmae* conspicitur *Gryphus*, qui *sinistro pede premit Rotam* septem radiis constantem : adstat coram *Angelus*, sive *Puellus* duabus alis instructus, qui *Grypho* obvertit magnam sive *Tabulam*, sive Librum scriptum.

2. In spatio medio est *Coetus Puellorum*, sed symbolis sexus carentium. Duo ex eis absque *alis* sunt, tres cum una tantum *ala*. Singuli *Puelli* Monopteri attingunt, vel complectuntur *Puellum Apterum*. Iuxta *Puellum Apterum*, quem a tergo complectitur *Monopterus*, est *Avis rapax*. utque ego teneo *Vultur*: His *Puellus* medius etiam *Monopterus* ostendit utraque manu *Flagellum*.

3. In parte infima haec adscripta : ΨΥΧΩCI-ΕΛΙΑΗCΤΑΙ, quam vocem factam ex Poetarum λιλαιομαι *appeto*. *exquiro*, desidero, et hoc ελιλησται esse pro λιλαιεσθαι omnino arbitror : ita ut *Lemma* genuinum sit Ψυχωσεως λιλαιεσθαι, sive *desiderare*, *cupere*, vel desiderium *Animationis*, informationis Animae in Corpus humanum.

4. Tandem in postica Parte Gemmae haec leguntur ΩΡΕΟ ΜΑΝDΑ ΒΗ ΑΒΡΑCΑΞ.

Art. II. *Tentatur explicatio Hierodramatis.*

1. *Gryphus* est גור GUR, כפיר KPHIR *Catulus Leonis*, ut animadvertimus Part. I. p. 37. vel גור GUR, שחל SCCL, quia *Leo* est etiam שחל SCCL. Atqui שכל SCKL homiophonon est *Intelligentia*, scientia, et quidem *felix*, *fortunata*, *prospera*, et גור GUR est *peregrinus*, *exsul*, hospes, advena. *Animae* igitur *doctae* primum, et *felicis* שכל SCKL, quae vellet *peregrinari* et hospitari in *Corpore* humano opportunum Symbolum erit *Gryphus*.

2. *Gryphus*, qui *Rotam* גלגלא GLGLA, *Pede* רגל RGL, *premit* עשה OSCE, significat *fieri* עשה OSCE, גיל GIL *generationem*, רגל RGL *Hominis*.

3. Et quoniam nulla Entia rationalia esse possunt absque *Legibus* et praeceptis Summi Dei, ideo *Grypho Animarum Peregrinantium* Symbolo *Angelus* ostendit *Tabulam* scriptam, sive *Fatum* et decretum Magni Dei, Leges in Coelo iam descriptas: De quibus Legibus loquutus est Plato singillatim in Timaeo. Quin de *Tabulis Coeli* plures ex Veteribus meminerunt, quorum testimoniorum partem collegit Dodwellus in notâ, quam Grabius adposuit *Volum.* I. sui *Spicilegii* SS. *Patrum* etc. Pag. 336. 337. etc. et Fabricius in *Codic. Pseudoepigr. Veter. Testam.* Tom. I. Pag. 559. 560. qui et nonnullas animadversiones *Rich. Simonii* adiecit; nosque addimus *Tabulas* illas *Harmoniae*, quas » πρωτογονοιο Φανητος επεγραφε μαντιπολος χειρ » ut canit Nonnus Libr. XII. *Dionysiac.* qui ibi de huiusmodi *Tabulis* plura profunda, et consideratione dignissima addit.

4. Hinc Animae e Coelo delapsae, in *Puerulis* illis *Monopteris* sunt agnoscendae. *Alati* qui-

dem, ut *Spiritualis*, et Coelestis earum natura et a corpore diversissima significetur, sed *Monopteri*. quia alae ex parte deciderant ex *concupiscentia* corporis, et gravitate, qua versus Terrestria ferebantur, ut uberius, Deo dante, dicemus in Interpretatione Theologica Hierodramatis Pompeiani, in quo adhuc invenimus Zephyrum et Floram. V.Vol.II.Act.Acad. Herculanens. In *Pueris* vero plane *Apteris* agnoscenda sunt *Corpora* ipsa humana, quae *Psychae* complectuntur, et cum eis intimo nexu vinciri conantur.

5. Tandem *Flagellum* מצור MTZUR, quod ostendit *Puellus Monopterus*, qui caret socio Corpore, indicat צור TZUR, מצור MTZUR, effigiem, imaginem, *efformationem*, figurationem *Corporis* sui per *Generationem*, et *Uterum* רחם RCM, cuius Symbolum illustre est *Vultur* רחם RCM, quae Avis adstat: et quod per *Generationem* Homo innumeris malis afflictetur et prematur צור TZUR, adeo ut fiat dignus miseratione et *pietate* רחם RCM.

Haec autem erant ipsa Dogmata Pythagoricorum, Platonicorum, Neoplatonicorum, et omnium fere Sectarum Orientalium; si unos ferme *Gnosticos Haereticos* excipis; eaque latissime propagata, et tenacissime servata.

ART. III. *Tentatur Lemma Abraxeum.*

1. ΩΡΕΟ est ערה ORE, ערי ORI *denudatis*, *nudis*, eis, qui vestibus carent, ut sunt omnes *Puelli* Hierodramatis.

2. MANDA מנדע MNDO, מדע MDO, ab ידע IDO *novit scivit*, *Scientiam*, *Doctrinam*, γνωσιν.

3. BH, nam prior litera mihi B habenda videtur, est בא BA *infert*, *tradit*, praebet.

4. ABPACAΞ, *Deus magnus*, Demiurgus, conditor Generis humani, ex eorum opinione.

Scilicet si *Psychae* vestiri et cooperiri *Corpore* maluerunt, si humana Carne *indui* desiderarunt, sciant modo Scientiam magnam, Γνωσιν rerum aeternarum, מנדע MNDO arcanorum Coelestium, non vestitis, non humano sanguine constantibus a Deo summo servari et tribui, sed plane nudis, sed eis tantum, qui humana tegumenta abiecerunt: Quod erat postremum Dogma omnium illorum Philosophorum, quos modo citavimus.

Est res porro animadversione digna *Gryphum dici* עך OR, et עדיא ODIA, et *nudum* dici ערי ORI, et *conceptionem* generationem dici pariter ערה ORE, et עדא ODA. Tandem si vox illa MANDA Γνωσις est etiam diligentissime consideranda, caveat, Lector, ne cogitet ad Γνωσιν Haereticorum Christianorum, a quorum placitis haec quae exposuimus sunt ferme omnia alia et diversa, ut in *Disquisitione Abraxea* Sect. II. ostendimus.

Art. IV. *Tentatur interpretatio Gemmae, quae, est apud Passerium in Gemm. Astrif. Tab.* 138. *et qua conspicitur SPHYNX Columellam Capite impositam gestans, et pede premens Cranium humanum, adiecto Menisco, Stella, et Caduceo, et ex alia parte intra Serpentem, qui caudam suam ore attentat, haec verba* ΑΑΚΑΝΑ ΘΑΛΑΚΑ ΙΩΙΩ *inverse leguntur.*

1. Et omnium primum quidem animadvertimus magnam esse similitudinem huius *Hierogrammatis* cum praecedente. Nam 1. *Sphynx* hic plane est homiodynamica cum *Grypho*, quum in voce SPHYNCS sit נפש NPHSC, *Anima Spiritus*, שוח SCUC SYC *meditans*, *sciens*, con-

templans, *depressa*, afflicta, et חמרח CSE CIS olim *sancta* et pura, eaque *immortalis* et perennis, quia *Columna* Symbolum *perennitatis* et stabilitatis Capiti eius est imposita: Utque porro *Gryphus* pedem sinistrum *Rotae* impositum habet, ita *Sphynx Cranio* humano. Atqui tum *Rota*, tum *Cranium* humanum est גלגלא GLGLA: Et adeo utrumque Humanae vitae curriculum significat. 2. Secundo quod significat in superiore *Hierogrammate Tabula Fati* a Puello *Diptero* elevata, id ipsum in hoc *Caduceus* ostendit. Nam Part. I. Pag. 42. 43. iustam legationem, et adeo iura, leges, praecepta imposita eo significari diximus. 3. Tertio, quod in illo Dramate *Vultur* et *Flagellum* indicant, hic *Meniscus* sive *Luna*, et *Planeta Veneris* ostendunt, per quae humanam *Generationem* potissimum fieri omnium fere Veterum Gentium fuit pertinacissima persuasio: unde illa Mater, et Genitrix, et *Uterus* Mundi appellabatur. 4. Quarto quia ut initia vitae humanae *Grypho*, et *Sphynge* significantur ita pariter *exitus*; utque Gryphus appetere et lacerare Homines tradebatur, quemadmodum peculiariter ex pluribus *Hierogrammatibus* Etruscorum patet, quorum nonnulla *Lemmata* in *Hierographia Etruscorum*, Deo dante, interpretata proferemus; ita aeque a Sphynge lacerari et discerpi Homines traditum est. Nosque ipsi superius Part. I. Pag. 39. id animadvertimus. Nam hic *Gryphus*, et *Sphynx* non sunt Emblemata ipsius *Animae*, sed *Fati Animarum*.

2. Auctorem autem Hierogrammatis distinctius Hominis exitum voluisse significare ex *Caduceo* Mercurii Inferi et Phychopompi, ex figura humani Cranii, ex Columella quasi Stela funebri Capiti imposita, et a *Serpente* illo *Aeternitatis* potissimum signo perspicue arguitur.

3. Et hanc profecto sententiam Lemma adiectum exprimit. Nam AAKANA est a לקה LQE *percussit*, feriit; a לקח LCQ *accepit*, adsumsit; a נקל NQL NAKALA *transtulit*, in aliam regionem transportavit; a נכל NKL *insidians*, dolos struens. ΘΑΛΑΚΑ porro est a טלק THLQ *divisit*, solvit, dissolvit, et insuper *abire* proficisci fecit, quae et *Sphyngi*, et *Homini* obeunti plane congruunt. ΙΩΙΩ est יעה IOE, יעה IOE *removit amovit*: Et temurice הוי EUI heu! eheu!. Vide, si lubet, Passerium ad *Gemm. Astrifer*. Tom. II. Pag. 169. 170. et Bellermann *Bersuch uber Gemm*. II. 36. et III. pag. 10. 11. ubi falso legitur ΑΝΑΚΑΔ, ΑΚΔΑΑΘ, quum elementum A ipsissimo modo sexies recurrat.

CAPUT VI.

Tentatur Hierogramma dubio procul Abraxeum, de futura Hominis pii et poenitentis summa et perpetua felicitate, quod exhibet Passerius in Gemmis Astriferis: Tomo III. Pag. 171. 172.

ART. I. *Describitur Hierogramma.*

1. In parte antica *Gemmae* conspicitur *Quadrupes*, cui est *Corpus Felis*, *Caput Accipitris*, *Cauda* elevata et dilatata, quasi *Serpens* Aegyptiorum *Ubaeus tutulatus*: *Serpens protensus*, adeoque *mortuus* sub eius *pedibus* iacet: Super *dorso* est impositus *Gryphus* dextro *pede premens Rotam sex radiis* distinctam: Super *caput* est pars *Caducei*, ex *Serpentibus* tantum *colligatis*, et se mutuo *respicientibus* constantis: In *Pectore* videtur *Aegis* impressa; ex quo *Pectore* prominet quasi *Manus*, de qua *Homo* pendet ex

pedibus, capite, et brachiis deorsum proiectis. *Genius* sive *Angelus* alatus coram *Quadrupede* est, cui sinistrâ *Coronam* protendit, dextrâ *Ramum Palmae* servans. Adiectae *literae* ΑΕΩΕΩ supra, et infra ΗΑΩΑ.

2. In parte postica *Gemmae* cernitur *Adolescens coronatus*, *subligari tectus*. cetera *nudus*, *Serpente* circa umbilicum *praecinctus*, sedens *super Cubo*, in cuius anteriore superficie *duae lineae decussantur*. *Dextrâ* gerit quid simile *Cruci ansatae Aegyptiorum*, *sinistrâ Baculum*; Super *caput* est quid simile *Acui magnetico*, *lineae* bifurcatae imposito, adeo ut etiam *Crucis* formam exhibeat, alia *Cruce* multo minoris formae supra ipsum caput adiectâ.

3. Appositum est *Lemma* propius *Adolescenti*, et a dextra descriptum. ZOME HNOUC CΩON: aliud prolixius et remotius est hoc: APBHXI ETINO CAIA NEΨA ΨΩ MAIBA CANI KUPIAU: et circa *limbum Gemmae*: OUCERF .:IN ENTHP MONOUΘI.

Art. II. *Tentatur Hieroschema, quod conspicitur in Parte antica Gemmae.*

1. *Gryphus* premens *Rotam*, ut vidimus modo Cap. V. Pag. 253. 256. est egregium Symbolum *Fati* Animarum, et *Peregrinationis* ANIMAE humanae in hac vitâ, sive in uno, sive in pluribus, ut illi absurde arbitrabantur, Corporibus; modo vero est גור GUR *Peregrinus* quidem, sed פוס PHUS (*Gryphus*) *contentus*, *laetus*, *persuasus*, quia est על OL *supra*, *super* גוה GUE *Corpus*, supra *Corporea* et *Terrestria* Morte elevatus, elatus; et quidem על OL, שכם SCKM *super dorso*, nempe *elevatus* עלה OLE, שכם SCKM *vigilantiâ*, *industriâ*, studio suo summo.

2. *Cauda* זנב ZNB similis *Serpenti Ubaeo* צפעני TZPHONI, cui impositus est *Tutulus*, vel *Corona* כתר KTR, significat quod ANIMA, זבן ZBN *redemerit* se, *liberaverit* se, et פצה PHTZE temura partis *vocis* צפ-עני TZPH ONI, iterum *redemerit* et *liberaverit* se, ab ענה ONE, altera parte *vocis* צפ-עני TZPH-ONI, ab *afflictione*, tyrannide, *oppressione*, miseria; a חטר CTHR a *superbis*, et arrogantibus *hostibus*.

3. *Corpus* גוה GUE, *Felis* שנור SCNUR, קט QTH, חתל CTL significat ANIMAM שנד SCND, homiophonon שנור SCNUR, *afflixisse*, *cruciasse*, torsisse, גוה GUE *Corpus* suum, ut se *redimeret*; גוה GUE, קט QTH, *Corpus* suum *deb litasse*, *languefecisse*; et גוה GUE, קטל QTHL, *superbiam*, *arrogantiam*, quam etiam significat גוה GUE, *oppugnasse*, *debellasse*, confecisse.

4. *Calcat* בסא BSA, *Serpentem* חיה CIE, *mortuum* מות MUT: Scilicet *contemsit sprevit* בסא BSA, *vitam*, cursum *vitae* חיה CIE, *mortalis*, *moriturae* מות MUT.

5. *Corpus humanum* ex pedibus pendens in *caput*, et adeo necessario *oscillans*, ut pependisse et *oscillasse* ferunt *Oedipum* Laii infantem, arcanam illam *expiationem* et purgationem per *Oscillationem Corporis* significat, de qua plura animadverterunt Munckerus *ad Hyginum* Fab. 130. Pag. 235. Vossius *de Idololatria* Libr. II. Cap. 14. Pag. 141. Lomeyerus *de Lustrat.* Cap. 18. Pag. 181. Rolle *Recherch. sur le culte de Bacchus*: Tom. I. Pag. 37. 38. Et si non memini Veteres de ista per *pedes* suspensione, et *oscillatione* loquutos fuisse, haud inde fit; vel non fuisse, vel esse non potuisse: et adeo profundum Auctorem huius *Hierogrammatis* adhibere non potuisse, ut Symbo-

lum *expiationis* sacerrimae, et summae, utpote omnium molestissimae, et gravissimae: Cuius tamen exempla haud rara sunt inter *Fakiros Indorum*, ut ex Salmone in *Stato presente* etc. Tom. IV. Pag. 329. 330. aliisque constat.

6. *Pectus* ornatur *Capite Gorgoneo*, de quo egimus Part. I. Art. 7. 8. Pag. 30. 31. etc. ut ostendatur ANIMAM *armis invictis* et insuperabilibus sese munivisse, quibus quaecumque adversa Potestas expugnabitur, et conteretur. *Armis*, inquam, quibus ipse *Iupiter*, ipsa *Minerva* Fabularum facti sunt invicti et insuperabiles.

7. *Caput* ראש RASC, et *Collum* צור TZUR, *Accipitris* נץ NTZ significant ANIMAM iam נצה NTZE *avolasse*, *aufugisse*, ex צור TZUR *custodiā*, *carcere* teterrimo, *venenoso* ראש RASC *Corporis* sui.

8. *Duo Serpentes* חיה CIE *arcto nodo colligati* significant ANIMAM iam utramque *Vitam* חיה CIE, *coniunxisse*, et arctissime mutuo *copulasse*, nempe *praeteritam*, et *futuram*.

9. Hinc iure *Angelus* Symbolo isti ANIMAE *Coronam* כליל KLIL offert, et *Palmam* תמר TMR servat, paullo post traditurus: ut ANIMAM iam *Praemium* obtinuisse, כלה KLE *perfectissimum*, et תמד TMD *aeternum* significet.

Art. III. ***Tentatur Hieroschema Partis posterioris Gemmae.***

1. ***Adolescens pulcher***, et fere totus *nudus* est Symbolum Ideographicum aptum **ANIMAE** felicis, et *incorporeae*, cui *aeterna* est et *iuventus* et *pulcritudo*, et quae non amplius adhaerebit *Corpori* gravi, aegro, senescenti, perituro.

2. *Subligar* טבן THBN est Symbolum טוב THUB *bonitatis* et *felicitatis*; *Subligar* כנס KNS

est Symbolum כנש KNSC, נכש NKSC *purgationis*, *expiationis*, mundationis impletae, peractae.

3. *Actus sedendi*, et *Cubus* super quo *Adolescens* sedet, *quietem*, tranquillitatem, et *securitatem* perpetuam atque *aeternam* significat, et *Lineae* קו QU, קו QU. *decussatae* שכל SCKL, quae sunt in *Cubo*, *spem* et *exspectationem* קוה QUE, ת-קוה T-QUE semper magis *felicem* et *prosperam* שכל SCKL notant.

4. *Serpens* חיה CIE, *lumbos* חלצים CLTZIM, Iuvenis *praecingens* אצר ATZR significat *Vitam* חיה CIE, חלץ CLTZ *expeditum*, *liberum* a malis, expertem doloribus, quae *arcte* אצר ATZR ANIMAM *complectitur*.

5. *Cruce ansata* generationem. vel *regenerationem felicissimam*. *Vitamque futuram*, *perennem*, *beatam* significari ad *Tabul. Rosettanam.* Pag. 83. 84. et in *Disq. de Obelisc. Hermap.* Pag. 125. et 174. animadvertimus, idque *instrumento simillimo* hic significari valde probabile est.

6. *Baculus* שען SCON, et שבט SCBTH significat *spem*, *exspectationem* beatam שען SCON, *pacem*, *quietem* שינא SCINA. שבת SCBT.

7. *Lineae decussatae* שכל SCKL, *super caput*, et *Corona*, praemium et *mercedem* eius *felicissimam* et perpetuam significant.

ART. IV. *Tentantur Lemmata huic Hieroschemati adposita*: ZOME HNOUC CΩON: et APBHXI ETINO CAIA NEΨA ΨΩ MAIBA CANI KUPIAU: *et* OUCERE .. IN ENTHP MONOUΘI.

1. ZOME זמע ZMO *futura*, *ventura*, quae fiet.
2. HNOUC אנש ANSC, ENUS *Hominibus*.
3. CΩON, שען SCON. SOON, שינא SCINA *spes*, *exspectatio*, *pax*, *tranquillitas*, *requies*.

1. APBHXI, רבח RBC, ARBECHI *lucratus est*, *acquisivit*, meruit, promeruit.

2. ETINO, תנה TNE, ETINE *praemium*, *mercedem*.

3. CAIA, סוא SUA, SAVA *exoptatam*, *desideratam*. *concupitam*.

4. NEΨA, נפש NPHSC, NEPESA *Anima*, Hominis ANIMA.

5. ΨΩ, אפס APHS, APS, PSO *sortita est*, in sortem habuit.

6. MAIBA, מביא MBIA *gaudium*, *laetitiam*, consolationem.

7. CANI, שינא SCINA, SINA *Pacem*, *tranquillitatem*, securitatem.

8. KUPIAU, חריה CRIE, CARIE *libertatem*, *facultatem* agendi *plenam*, *liberationem* a Tyrannide Daemonum.

1. OUCEPE, סרה SRE, SERE *arcanum*, secretum, *mysterium*.

2. ..IN, ינה INE *preme*, *comprime*.

3. ENTHP, נטר NTHR, ENTHER *custodi*, *serva*, tuere.

4. MONOUΘI, מנט MNTH, MONOTHI *adligationem*, colligationem, nempe *religionem*, *mysterium*, cui *Sacramento* es *adligatus*, et adstrictus, vel etiam מנדע MNDO, MONODI, MANDA *γνωσιν*, *scientiam arcanam*, et *profundam*.



SECTIO III.

TENTATUR SIGNIFICATIO SERPENTIS LEONTO-CYNO-CEPHALI RADIATI, ET ALIQUOT VOCUM AC LEMMATUM, QUAE TUM AD TYPUM HUNC; TUM AD HIEROGRAMMA HERCULIS LEONICIDAE SOLENT APPONI.

CAPUT I.

Tentatur significatio SERPENTIS Leonto-Cyno-cephali radiati, cui apposita est vox XNOUBIC, *vel* ANOX XNOUBIC.

Art. 1. *SERPENTE Leonto-Cyno-cephalo radiato significatam fuisse Aetatem fortunatam, Aevum beatum, et Aeternitatem ipsam felicissimam tenendum est.*

1. Nam *Serpens* est חיה CIE ipsa *vita*, ipsum *vivere*. *Serpens* est צפעני TZPHONI sive צפה TZPHE און AUN, vel אואן AUAN *abdens* nesciens *tempus*, quemadmodum diximus ad *Hieroglyph.* selecta ex *Horo-Apolline* Pag. 1. 2. *Serpens* est צמאון TZMAUN, *Tempus*, *Aevum* est זמן ZMN. *Serpens* est חכן CKN, *Tempus*, Aevum est חין CIN. Vide supra Pag. 227. 228.

2. *Leo* est Arabibus דאהאם DAEAM, *aeternus*. immortalis דאים DAIM: *Leo* Arabibus קדום QDUM, *antiquus*, aeternus קדם QDM. Quae caussa fuit, ut saepe in Nummis *Leo* sit Symbolum *Aeternitatis*. et *Consecrationis*. Vid. Rasche *Lex. Numism. in Voce* Pag. 1577.

3. *Serpens* porro est שחל SCCL, *Leo* שחל SCCL, *Canis* שחל SCCL: et homiophonon שכל SCKL est *fortunatus*. *prosper*, felix.

3. Tandem *septem Radii*, sive *virgulae* sunt

שבע SCBO, קנה QNE, quae sunt homiophona שבע SCBO *saturitati*, satietati, חין CIN *Temporum*, sive *Tempori* abundanti, saturanti, felicissimo.

Patet ergo *Serpente Leonto-Cyno-cephalo* indicari *Aevum felix*, Aetatem fortunatam. Et quoniam *Cerberi* Serapidis, si ita appellare fas est, quem Macrobius describit *Saturn.*I.cap.15. Pag. 253. 254. elementa eadem sunt ac *Serpenti Leonto-Cyno-cephalo*: Scilicet caput *Leonis*, caput *Canis*, et caput *Lupi*, qui etiam est שחל SCCL, et *Serpentis* Spirae, et dubitari nequit, quin aeternae, et praestantissimae *felicitatis* Emblema *Cerberus* ille fuerit, aeviternam et *immortalem felicitatem* indicatam etiam a *Serpente Leonto-Cyno-cephalo* tenere iure possumus.

Art.II. *Vox* XNOUBIC. *quae saepe SERPENTI Leonto-Cyno-cephalo radiato adponitur ipsam hanc Temporis plenitudinem, et distributionem, et perpetuum Cursum significat.*

1. Nam XNO est temura homiophona חין CIN *Temporis*, et יקין IQIN *futuri*, advenientis, perpetuo decurrentis; et שבע SCBO temura homiophona CIBU est *Saturitas*, satietas, affluentia, copia. Immo quum BIS sit homiophonon פש PHSC *crescenti*, adcrescenti, et פס PHS *minuenti*, dividenti, plane *Deo* alicui convenit, qui *augeat*, *dividat*, *definiat*. חין CIN *tempora*, aevum. Ergo in voce KNOUBIC est potestas *Satietatis*, summae *copiae*, et *discretionis Temporum*.

Art. III. *Vox* XNOUBIC *respondet intimae formae et figurae SERPENTIS Leonto-Cyno-cephali radiati.*

Nam in voce XNOUBIC est 1. נחש NCSC *Ser-*

pens temura XNIC, et אוב AUB, sive *Ubaeus* Serpens celeberrimus Aegyptiorum, vel eius homiophonon אפעא APHOA. Est 2. *Leo* סבע SBO temura homiophona UBIC, quia Arabibus, teste Dominico Germano in *Fabric. Ling. Arab.* Pag. 940. *Leo* est סבע SBO, סבאע SBAO, et חנה CNE est *benevolentia*, *misericordia*, quae huic *Leoni* est tribuenda. 3. Inest *Canis* נבחז NBCZ homiophonon NOUBIXC, et temura XNOUBIC. 4. Sunt שבע SCBO *Septem* temura homiophona UBIC, et קנה QNE homiophonon XNO, *virgulae, baculi*, *Radii*, quibus caput *Typi Leonto-Cyno-cephali* exornatur. Atqui omnino *Hieroschema* fit a 1. *Serpente* נחש NCSC. 2. *Leone* סבע SBO. 3. *Cane* נבחז NBCZ, et 4. a סבע SBO, קנה QNE sive *septem Radiis*. Ergo in voce XNOUBIS insunt omnes *Characteres* Serpentis Leonto-Cyno-cephali radiati.

Art. IV. *Probabile est SERPENTEM hunc Leonto-Cyno-cephalum radiatum fuisse Symbolum vetustissimum Herculis Protogoni, Temporum, et Aevi Conditoris.*

Nam Athenagoras refert in *Legatione* pag. 18. Orphicos repraesentasse *Herculem* hunc *Chronicum*, sive *Temporis Dominum*, *Serpentis* formâ, cui esset impositum *Leonis caput*. Et quamvis addat adiectam etiam fuisse in medio *faciem Dei* θεου προσωπον, hanc faciem ad maiorem quidem perspicuitatem additam fuisse tenendum est, non ad diversi *Hieroemblematis* constitutionem: quum dubitari non possit, quin elementa *Hieroschematis Herculei* satis idonea et opportuna fuerint *Serpens*, et *Leo*; quae ipsa sunt in *Hierogrammate* nostro. Damascius porro in Libr. *de Princip.* Pag. 254. *edit. Wolf.* eidem *Herculi* et *Chrono*

formam pariter *Serpentis*, et *Leonis* adtribuit ex traditionibus pariter Orphicorum, tum *Facie Dei*, tum *Capite Tauri* adiecto: Ex quibus tamen non fit aliud *Hierogramma*: Sed clarius firmatur, quod *Leone*, et *Serpente* fuerat constitutum. Nam *Bos* dicitur בקר BQR, et בקר BQR est *Aurora*. principium Diei, prima lux. Et quoniam isto *Hercule* et *Chrono* significabatur *origo Temporum*, prima *Lux*, prima *Aurora* Mundi, hinc *Serpenti* et *Leoni*, quibus *aevum*, *tempora* et cursus Rerum indicari diximus, additum *Caput Bovis*, sive ריש RIS *principium*, *Caput*, initium, בקר BQR *Aurorae*, diluculi, diei, lucis Mundanae.

Art. V. *Probabile est Herculem Aegyptium dictum* Χων, Γιγων, Παταικον, *ut Auctor Etymologici Magni et Hesychius tradiderunt, esse ipsum Herculem Orphicorum conditorem et dominum Temporum.*

Nam Χων est homiophonon חין CIN, et יקין IQIN *Tempori*, et קנה QNE *possessori Domino*. Γιγων est homiophonon גוח GUC, GIC *extrahens*, *educens*, emittens און AUN tempora, cursum Rerum. Παταικον est פתיח PHTIC *aperiens* manifestans, חין CIN *Tempus*, vel און AUN *Tempora*: De quo autem Hercule Aegyptio *Temporum Domino* legi possunt, quae animadvertit Jablonskius *in Pantheo* Tom. I. pag. 186. 190. et *in Opusc.*Tom.I.pag.415. ad *Voces Aegyptias*, et Tom. II. pag. 193. 194. etc.

Art. VI. ***Probabile est Molochum*** **מלך MLK** ***illum Hebraeorum, de quo Propheta Amos Cap. V. v. 26. et Stephanus Protomartyr Actor. VII. v. 43. loquuti sunt, fuisse ipsum hunc Herculem Chronicum, et nomen solemne ei fuisse*** **כיון KIUN**, ***et Imaginem*** **צלם TZLM** ***fuisse similem SERPENTI Leontocephalo, de quo agimus.***

1. Primo, quia certum est hunc *Molochum* fuisse Typum Astronomicum, et propterea necessario *Chronicum*, quia S. Stephanus Act. VII. v. 22. Nec dixit: εστρεψε δε ο' Θεος, και παρεδωκεν αυτους λατρευειν τη στρατια του ουρανου. etc.

2. Secundo quia *Hercules* in tota Phoenicia dicebatur per excellentiam *Melchartus*, *Rex Terrae*, sive מלך MLK *Molochus*.

3. Tertio, quia certum est, ut Jablonskius ostendit plenissime agens *de Terra Gosen*: Tom. II. *Opusc.* Pag. 193. 194. etc. Hebraeos habitasse, in Nomo *Heracleopolitano* Aegypti, quo *Hercules* dicebatur Χων, Γιγων, etc.

4. Quarto, quia Arabes, et Persae Planetam *Saturni*, sive *Chroni*, adeoque *Herculis Chronocratoris* appellant כיואן KIUAN, homiophonon כיון KIUN Amosi.

5. Quinto, quia Χων Aegyptiorum est omnino homiophonon כיון KIUN Amosi, et Γι-γων sive Γι-χων esse potest a גוה GUE, חין CIN, qui *elevat educit*, in altum e Chao extrahit *Tempora*, sive res *Tempori* subiectas.

6. Sexto, quia in כיון KIUN Amosi est כון KUN, qui *aptat*, *ordinat*, disponit; est קנה QNE, qui *possidet*, habet, tenet; חין CIN, *Tempus*, יקין IQIN *Tempus* futurum adveniens quae perfecte conveniunt *Herculi Chronocratori*.

7. Septimo, quia, ut vidimus, *Serpens Leon-*

tocephalus, qui dicitur *Knoubis Anoch* perfecte exprimit tum Ideam, tum Nomen כיון KIUN Dei *Chronocratoris*, et Astriferi.

Art. VII. *Lemma hoc*: ΙΑΩ ΙΑΗ ΑΒΡΑ ΙΑΧΕ ΙΩΦΩ ΞΑΩ: *adpositum Serpenti Leontocephalo apud Montfaucon Ant. Expl. Tom.II. 2. Tab.*151. *et apud Passerium in Gemm. Astrifer. Tom.II. pag.*274. *n.*147 *.respondet tum potestati amuleticae, quae Hierogrammati tribuebatur: tum formae et figurae ipsius Hieroschematis.*

Nam Lemma huiusmodi sic potest verti Semitice: ΙΑΩ יהו IEU, IAH, יה IE *Deus, Domine* JAE; אביר ABIR, ΑΒΡΑ *potens, praestans* robore: יחיה ICE, IACE, ΙΑΧΕ; *festina, accelera*; יפה IPHE . IOPHE, ΙΩΦΩ. *pulcram*, opportunam; שלוה SCLE, SCLO. ΞΑΩ *tranquillitatem, salutem, pacem*, sanitatem: Et inverse: Tu qui formam habes ליש LISC, LISCO temura ΞΑΟ *Leonis*; *splendidi* et *radiati* יפע IPHO, OPHOI; et *Serpentis* חויה CIE, ΕΧΑΙ temura homiophona ΙΑΧΕ; *multiplica, auge* רבא RBA, ΑΡΒΑ; *substantiam* rem nostram איה AIE homiophonon ΩΙΑ.

Art. VIII. *Hierogramma* ΧΝΟΥΒΙC *potuit, et debuit appellari AmuletumRegis NECHEPSI.*

Nam in voce ΧΝΟΥΒΙC temurice est ipsum nomen ΝΕΧΕΨΩ, quum Νοχυβσι sit homiophonon Νεχεπσω, quia β et π sunt homiophona: Quin in utroque est bis *Serpens*, nempe נחש NCSC, et שפה SCPH, quasi NECHES-SPI, sive NECHEPSI, et NECHOUSBI temura CHNOUBIS. Et semel *Canis* נבחז NBCZ: quasi Νεβεχεζ, vel Νουβιχζ, quae temurae homiophonae NECHEPSI,

et XNOUBIC. De *Serpente* autem *radiato* quasi *Amuleto* Regis *Nechepsi* loquuti sunt Galenus *de Simpl. Medic. facult.* Lib. IV. cap. 2. n. 19. pag. 258. et Aëtius in Tetrabibl. III. *Serm.* II. Cap. 35. pag. 70.

CAPUT II.

Vox XNOUMIS, *et nonnulla Lemmata tentantur, quae SERPENTI Leonto-Cyno-cephalo saepe etiam adponuntur.*

ART. I. *Voce* XNOUMIC *Sol, Luna, et quinque Planetae quasi Temporum effectores et signa perspicue significantur.*

Nam in voce XNOUMIS est XOUMI sive חמה CME *Sol*: Est NOUMI, cuius temura homiophona est מנה MNE, מני MNI, qua voce *Lunam*, et *Mensem* fuisse a veteribus, et a recentioribus Gentibus non paucis adpellatam constat. Nosque de hac *Luna* et *Meni* non pauca superius disseruimus Pag. 202. ad 207. Est XNIC sive חנש CNSC, qua voce *quinque Planetas* indicari ab Arabibus iam adnotavimus ad *Horum* nostrum pag. 8. 9. Tandem est XNO homiophonon חין CIN, et יקין IQIN *Temporis*, *Aevi*; et in Temura CIMU est שם SCM signum, שום SCUM positio, constitutio. Quamobrem in voce XNOUMIC est *Sol* חמה CME; *Luna* מני MNI; *quinque Planetae* חנש CNSC; חין CIN *Tempus*, שם SCM signa, שום SCUM constituentia.

ART. II. *In voce* XNOUMIC *ipse SERPENS Leontocephalus continetur.*

Nam XNOUMIC aequivalet XICNOUM Atqui חיש CISC est *Serpens*, et נחם NEM est *rugire*,

quod *Leonum* proprium: Immo Arabibus נאהם NAEM est ipse *Leo*: et קנין QNE, שמיא SCMIA, temurae homiophonae XNO-UMIS, sive *virgulae, radii coelestes* satis commode indicant *radios*, quibus *Caput Leonis* ornatur.

Art. III. *Tentatur Lemma*: XNOUMIC AIП OCCOPO OPM EPΦ ΓIΓA PHAM AΦPIO APIM : *appositum eidem SERPENTI apud Montfaucon Tab.* 151.

1. XNOUMIC : Vox nota: O SERPENS *Salutaris*, *Apotropaee* : 2. AIП, יהב IEB, AIB *da, concede, praebe*. 3. OCCOPO, עשר OSCR, OCCORO *divitias*, *bona*. 4. OPM, ערם ORM *prudentiam*, *sollertiam* ingenii. 5. EPΦ, רפא RPHA, ARPHA *sanitatem*, *valetudinem*. 6. ΓIΓA, גהא GEA *morborum*, *infirmitatum levamen*. 7. PHAM, רחם RCM, RECAM *misericordiam, gratiam*. Nam illud H non est η eta, sed aspiratio vehemens, sive ח Chet. 8. AΦPIO, אפר APHR *afflictis*, *moerentibus*. 9. ARIM, ערם ORM *nudis*, *pauperibus*; Et quidem, tu qui es ערם ORM. *sollertissimus*, qui es totus שכל SCKL *prudentia*. *sapientia*. הרם ERM *vetustissima*, *antiquissima*, ירם IRM *sublimis, celsa*, praestantissima.

Art. IV. *Tentatur Lemma* : ΦIC NOA IONX UIMCUI: *appositum eidem SERPENTI apud Montfaucon Tab.* 151.

1. ΦIC, פס PHS, PHIS *imminue*, *absume*, aufer; 2. NOA, נול NUL *sordes, immunditias*: 3. IONX, ניק NIQ, *infantis*. ינק INQ, IONC *lactentis*. 4. UIMCUI, עמש OMSC, UIMSI *lippi*, *lippientis*, cui oculi sordibus pleni caecitatem proximam timere faciunt. Tum inverse. 5. IUCMIU

שמרה SCME, ESME *perde*, *disperde*. 6. XNOI, קנא QNA, KNAE *invidiam*, *aemulationem*, oculos invidos, lividos. 7. ΛON, לון LUN, *murmura*, *querelas*, *praestigias magicas*, לען LON *blasphemias*, maledictiones: 8. CIΦ, סיה SIPH *absume* perde, שפה SCPHE *contere*, *confrige*, שפח SCPHPH *conculca*, *comminue*. Tu qui es שפח SCPHPH *Serpens*, שפה SCPHE *elevatus*, *sublimis*, et שפא SCPHA, *medicinam*, *salutem* afferens.

CAPUT III.

Tentantur Lemmata HERCULIS Leonicidae.

Art. I. *Tentatur primum Lemma HERCULIS Leonicidae*: IEΩ BAP PABAU APU HCC: *apud Montfaucon Ant. expl. II. 2. Tab.* 159.

Nempe IEΩ est יה IE, vel יהו IEU *Deus dominus*: BAP est בר *Filius*, *natus*: PABAU vel APBAU est ארב ARB *insidiae*, *laquei*: APU est אריה ARIE, *Leo*: HCC est השש ESCSC, ESS *confrigere*, *comminuere*, perdere. Lemmatis ergo sententia est: *Hercules Dei filius insidias Leonis* (inferi) *perdit*; ut *ipsemet* in Schemate *Leonem strangulat*.

Art. II. *Tentatur secundum Lemma HERCULIS Leonicidae*: AΔΩN AIA ANX: *apud Montfaucon loc. cit. Tab.* 161.

AΔΩN sive אדון ADUN est *Dominus*, *herus*, *Rex*. AIA ליל LIL, לילה LILE est *nox*, est לילית LILIT *Daemon malus*, noxius, *Lamia*; *Stryx*: ANX est ipsum אנק ANQ *strangulare suffocare*, necare. Quemadmodum ergo אדון

ADUN, *Hercules*, *Dominus*, אנק ANQ *strangulat* ליש LISC *Leonem*, ita idem אדון ADUN *strangulat*, *conterit*, *perdit* אנק ANX, AIA לילית LILIT *Daemonem* nocturnum, noxium.

Passerius *in Gemm. Astrif.* Tom. II. pag. 271. num. 124. legere voluit hoc Lemma: ΑΔΩΝΑΙ. ΑΑΝΤΑΑΑ. Sed omnino perperam. Ne autem quis putet nos hanc lectionem reiecisse, quod fortasse interpretari non valuissemus, fatemur imo et facilius, et haud sententia adversa posse explicari. Nam AAN potest Semitice scribi לען LON *amaritudo*, *moeror*, afflictio, malum; et TAAA potest respondere תאה TAE, *limitare*, limitibus coercere: תהה TEE, in nihilum redigere, *desolare*, perdere: vel תעה TOE *deviare*, *deflectere*, quae satis commode possent Hierogrammati aptari. Sed lectio, ut dicebamus, falsa est.

ART. III. *Tentatur tertium Lemma Herculis Leonicidae*: ΚΑΛΑ ΑΙΟΤ ΡΙΘΙΟ ΗΩΡ: *apud Montfaucon loc. cit. Tab.* 163.

Legamus ΗΩΡΚΑΛΑ. ΡΙΘΙΟ. ΑΙΟΤ: Erit Ηρακλης *Hercules*, qui רתת RTHTH, רעש ROTH, רעצ ROTZ, RITHIO, *confringit*, *comminuit*, conterit ΑΤΙΟ, LVIO, לביא LBIA, LVIA *Leonem* bet ב in ו vau, et quasi in aspirationem vocalicam immutato. Verum quidem est in Ectypo Montfauconi legi ΑΙΟΤ: Sed Passerius in Gemm. Astrifer. Tom. II. Pag. 253. num. 21. dedit AIOU et omnino legisse AIOU ostendit, vocem a Graeco ΑΤΩ deducendo. AIOU porro potest respondere etiam להי LEI *imposturae. fraudi*, dolo, deceptioni. Adeout *Hercules* quemadmodum *Leonem* strangulat, ita רעצ ROTZ *comminuet* et disperdet להי LEI *fraudes*, *deceptiones*, et dolos improborum, vel ipsum *Leonem* malum, inferum, *Daemonis* mali Symbolum.

DE NATURA, AUCTORIBUS, ET LINGUA HIEROGRAMMATUM ABRAXEORUM DISQUISITIO.

SECTIO I.

HIEROGRAMMATA ABRAXEA FUISSE ASTEROTHEISTICA, ANGELOLATRICA, ET APOTROPAEA; EAQUE AD PECULIARE PANTHEUM CERTAE GENTIS, VEL SECTAE SPECTASSE; ET A PRIMI SAECULI CHRISTIANI FINE AD SEXTUM USQUE DURASSE ET VIGUISSE CERTO TENENDUM EST.

CAPUT I.

Proponuntur Criteria, quibus Elementa praecipua Panthei, de quo Scriptores nil nobis retulerint, possint rationali modo discerni, seligi, et in Systema componi.

1. Primum Criterium est adsociatio, adhaerentia, coniunctio *Typi quaesiti* cum *Typo dato*, et fundamentali, cum *Theogrammate radicali* iam selecto, et constituto. Nam quoniam *adhaerere* extranea, et externa non possunt, quoniam mutuo componi non possunt nisi homogenea, nisi intima relatione coniuncta, et quae ad idem *Systema Rerum* spectent: ideo dicemus spectare ad idem *Pantheum*, referri ad idem *Systema Theo-*

logicum omnia *Theogrammata*, omnia *Hiero-Emblemata*, quae unâ composita, unâ coniuncta conspicientur in Monumentis genuinis; Ita ut dato *Milite Gallicipite* et *Serpentipede* centro et *Typo* primario *Hierogrammatum Abraxeorum*, omnes alios *Typos*, et *Emblemata*, quae sive in anticâ, sive in posticâ *Gemmarum* parte illi *Typo centrali* erunt adsociata, adhaerentia, adposita, ad *Pantheum Abraxeum* dicemus spectare. Et eodem iure, si aliqua *Dramata* sint, in quibus cum *Typo Gallicipite* plura alia *Theogrammata* sint efficta, vel exculpta, adeo ut unam veluti *Scenam*, unum *Systema* Schematicum efficiant, ut illa sunt, quae edidit Montfaucon in *Antiqu. Expl. Tom.* II. P. 2. Tab. 167. et 177. 178. etc. ea omnia ad unum idemque *Pantheum* referemus, et computabimus, nisi graviora obstent.

2. Secundum Criterium erit communio aliquorum *Verborum*, vel *Lemmatum solemnium*; adpositio earumdem *Vocum peculiarium*, et quas adpositas fuisse ad proprium et peculiare aliquod *Systema Theologicum* exprimendum sit intrinsece probabile. Nam haec *peculiaria Verba* habenda sunt quasi tesserae, et *signa characteristica* Elementorum *Systematis Theologici*; Adeoque ad idem *Pantheum* referentur omnia illa *Theogrammata*, et *Hieroschemata*, quibus eadem *Verba solemnia* apposita et adscripta inveniemus. Quamobrem quum *Voces* vel *Lemmata* ΑΒΡΑΣΑΞ, ΑΒΡΑΞΑC. CEMECEIΛΑΜΨ, ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ, ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ. CΑΒΑΩΘ, ΕΛΟΗΙ, ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ etc. videantur peculiaria, et Characteristica alicuius *Systematis Theologici*, maxime si plura adsint; iure omnia *Theogrammata*, et *Hieroschemata*, quibus haec sive *Vocabula*, sive *Lemmata*, maxi-

me si plura ex eis erunt unâ coniuncta et sociata, ad idem *Pantheum* referemus.

3. Tertium Criterium desumetur ex ipsa natura *Panthei*, quod constituitur. Nam si ex.gr. certum est *Typos fundamentales* esse *Asterotheisticos*, *Typi* alii minus certi et evidentes poterunt definiri et constitui per naturam et elementa *Panthei Asterotheistici* intelligibilis et naturalis. Ita ut si tenere iure possumus primarios *Typos Abraxeos* esse *Asterotheisticos*, et contra non adsint argumenta evidentia *adhaerentiae* et *coniunctionis*, ut *Typus* ex. gr. *Aeonis*, et *Chroni*, de quo agemus paullo post, *Pantheo Abraxeo* appônatur; quae de *Aeone* et *Chrono*, quae de *Luce* aliqua *Primigenia Chronometrica*, quae de *Periodis magnis* Astronomicis in *Systemate Asterotheistico* novimus, vel nosse possumus, satis superque sunt, ut *Typum* hunc *Chronicum* ad *Pantheum Abraxeum* vindicemus.

4. Quartum Criterium habebimus in diligenti comparatione *Pantheorum* similium, in attenta collatione *Typorum fundamentalium*, quos ad similia *Systemata Theologica* spectare certum sit. Tum enim plures *Typi* obscuriores, et indefiniti possunt iure ex comparatione *notorum* et certiorum determinari et definiri. Ita quum certum sit *Pantheum Isiacum* Alexandrinum, *Mithriacum*, *Palmyrenum*, *Pisidarum*, et *Carrhenorum* fuisse *Asterolatrica*, si verum est, quemadmodum paullo post ostendemus, *Hierogrammata Abraxea fundamentalia* esse *Asterolatrica*, magnum adiumentum in definiendo toto *Pantheo Abraxeo* inveniemus in comparatione mutua *Typorum* et *Symbolorum*, quae sunt in *Pantheis* istarum *Gentium*, vel *Sectarum*: maxime si aliquot ex his *Typis* et *Symbolis* sint vel eadem

vel simillima, et fundamentum comparationis prorsus rationale et aequum efficiant.

CAPUT II.

Recensentur Typi Classici Hierogrammatum Abraxeorum, sive indicantur Elementa Panthei Abraxei.

ART. I. *Typus primus et fundamentalis Panthei Abraxei habendus est MILES GALLICEPS et SERPENTIPES.*

1. Nam *Typus* huiusmodi 1. occurrit frequentius in omnibus *Thesauris Gemmarum*, quibus *Lemmata Barbarophona* adscripta sunt. 2. Hic *Typus* conspicitur in *Dramatibus Abraxeis Pantheographicis*, quae edidit Montfaucon *Ant. Expl.* II. 2. Tab. 167. et 177. 3. Huic *Typo* saepe adposita est vox *Classica* ABRACAΞ, vel ABPAΞAC: ut videre est apud Montfaucon *Loc. cit.* Tab. 146. 147. 160. et omnes alios, qui huiusmodi *Gemmas* ediderunt. 4. Huic *Typo* apponitur fere semper vox IAΩ, et quandoque additur AΔΩNAI, CABAΩΘ. etc. 5. Huic *Typo* adponitur etiam *Lemma* CEMECEIAAMΨ: ut videre est apud Montfaucon *loc. cit* Tab. 144. 145. etc. et alios plures. 6. Quandoque etiam ABΛANAΘANAABA, ut apud Matterum *Tabula* V. n. 8. etc. 7. Huic *Typo* sive una sive plures *Stellae* saepe sunt additae, apud Montfaucon *loc. cit.* Tab. 144. 145. Matterum Tabulâ V. et VI., Passerium *in Gemm. Astrifer.* Tab. 190. 191. 192. 193. etc. Is ergo *Typus* habendus est Centralis et Fundamentalis *Panthei Abraxei*. et quasi *Typus datus, concessus*, et *praestitutus*.

2. *Typo* autem isti *Gallicipiti* habendus est

homiodynamicus *Typus Militis loricati*, qui *Galericulo cristato* est instructus, et *baculum* rectum sinistrâ tenet, super cuius baculi fastigio impositus est *Serpens*, in *Gemm. Abrax. Joseph. Taccon.* Tab. I. pag. 58. 61. Adsunt enim omnia elementa *Hierogrammatis*, et *Symbola* characteristica *Galli, Militis*, et *Serpentis*: Additumque propterea iure Lemma: KAUMABPACAϚ, et ϚACAPBAΛONI : quae vox fere tota est inversa ABPACAϚ: Quum Ϛ sit hîc Ξ Graecorum, non Σ: Hoc autem *Lemma* tentavimus supra Parte IV. Sect. II. Cap. I. Art. 4. pag. 232.

3. *Typus* etiam homiodynamicus *Militi Serpentipedi* haberi potest *Miles* ille apud Chiffletium Tab. XXII. Num. 94. et apud Montfaucon Tab. 60., qui singulis manibus singulos *Serpentes* extollit, et *Tropaeum* capiti impositum gerit, longo *Lemmate* Barbarophono adiecto, et insculptis in altera parte Gemmae *sex Vocalibus* Graecis quater Temurice transpositis. Nam quamvis *Galli* Symbolum desit, tot alia adsunt, ut *Gemma* in censum *Abraxearum* iure possit haberi.

Art. II. ***Secundus Typus Panthei Abraxei est SOL Andromorphus capite radiato.***

Nam huiusmodi *Sol* saepe exsculptus est in altera parte *Gemmarum*, in quarum primâ est *Miles Galliceps*. Vid. Montfaucon *Antiq.* II. 2. Tab. 144. 145. Matter Tabulâ V. n. 3. VII. n. 2. etc. Adeo ut quum *Miles Galliceps*, et *Sol* sint *Typi adhaerentes* et socii, plane necesse est ad idem *Pantheum* spectasse, ex *Criterio* superius constituto Pag. 273. 274.

Art. III. *Tertius Typus classicus Abraxeus habendus est HARPOCRATES sive rectus, sive sedens super Loto, vel Frutice; sive virili, sive muliebri specie effictus, quia Arsenothelys.*

1. Primo, quia *Harpocrates* conspicitur in magno *Dramate* sive *Pantheogrammate Abraxeo*, quod edidit Montfaucon *Antiq.* II. 2. Tab. 167.

2. Secundo, quia occurit etiam in *Libro plumbeo Abraxeo*, quem edidit idem Montfaucon Tab. 177. 178.

5. Tertio, quia est *adhaerens* et socius *Soli Andromorpho*, et *Militi Gallicipiti* in Gemmis *Astrif. Gorianis* Tom. I. num. 193. 194.

4. Quarto, quia huic *Harpocrati* apponuntur verba illa solemnia ΑΒΡΑCΑΞ, ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, CΑΒΑΩΘ, etc. in Montfaucon *Antiqu.* cit. Tab. 158. etc. Tum *Lemma* CΕΜΕCΕΙΛΑΜΨ Tab. 159. et etiam ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ in Gorlaei *Dactyliothec.* II. Num. 370. 371.

Art. IV. *Quartus Typus Abraxeus est HECATE triformis.*

1. Nam *Hecate* huiusmodi est *adhaerens* et socia *Typo Gallicipiti* apud Fabrettum in *Inscript. Antiq.* pag. 535. adiectaque est Epigraphe.... ΑΚΑΩ.... ΡΑCΑΣ, forte CΑΒΑΩ. ΑΒΡΑCΑΣ:

2. Tum *adhaerens* et socia est *Harpocrati*, qui inscribitur, ΙΑΩ, CΑΒΑΩ in alia *Gemma* apud Gorlaeum II. n. 398. 399. et in aliâ apud Chiffletium Tab. XIV. Num. 56.

3. Quin aliâ in *Gemmâ* apud Montfaucon Tab. 163. *Hecatae* sunt *pedes* et *coxae anguineae* eo ipso modo, quo sunt *Typo Gallicipiti*. Et iidem *pedes anguinei Hecatae* sunt agnoscendi

in aliâ *Gemma* apud eumdem Montfaucon in *Supplem.* Tom. II. Tab. 55. 3.

Art. V. *Quintus Typus classicus Abraxeus habendus est SERPENS Ellipseides caudam suam ore stringens.*

1. Primo, quia conspicitur in *Pantheogrammate Abraxeo* a Montfaucone edito Tab. 167. et iuxta inscriptum est ΑΒΡΑCΑΞ.

2. Secundo, quia quandoque praecingit *Typum Gallicipitem* apud Montfaucon Tab. 144. vel *Lemma* ad *Harpocratem* spectans in Gorlaei *Dactylioth.* II. num. 370.

3. Tertio, quia vel in ipsâ eius areâ Ellipseidi, vel ad eam. sunt adscripta verba illa solemnia ΙΑΩ, ΑΒRΑCΑΞ, CEMECEIΛΑΜ, ΜΙΧΑΗΛ vel temurice ΙΜΧΗΑΛ, et *Vocales* illae *Graecae Symbola*, ut dicemus paullo post, *Angelorum*, et haec quidem in pluribus Gemmis, ut videre est apud Montfaucon Tab. 164. 165. 166. et alios.

Art. VI. *Sextus Typus classicus Abraxeus habendus est Vir nudus, saepius Senex. alis quatuor, et duobus, tribus, quatuor Baculis instructus, Serpenti Ellipseidi saepius insistens. aliisque insuper Symbolis exornatus, et AEON vel Chronus Abraxeus appellandus.*

1. Primo, quia conspicitur *adhaerens* et *socius Harpocrati Abraxeo*, apud Montfaucon *Loc. cit.* Tab. 163.

2. Secundo, quia adest in *Pantheogrammate Abraxeo* Montfauconi Tab. 167.

3. Tertio, quia insistit *Serpenti Ellipseidi*, in cuius spatio vacuo inscripta saepe sunt ΙΑΩ, ΑΒΡΑCΑΞ etc. V. Montfaucon T. 163. 164. 167.

4. Quarto, quia adiecta quandoque sunt *Lemmata* CEMECEIΛAMΨ, apud Montfaucon Tab. 162. et ΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑΛΒΑ apud Matterum *Tabula* VI. num. 6. etc.

5. Quinto, quia sunt quandoque apposita Nomina *Angelorum*: ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΚΟΥCΤΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ, etc.v.Montfaucon Tab.163. vel septem Vocales Graecae Temurice dispositae apud Matterum *Tabula* I.F.1. Vid.supra p.237.238.

Hunc autem *Typum* satis commode et recte appellari posse *Aeonem* arbitramur: non quidem sententia *Gnosticorum Haereticorum*; sed *Asterotheistarum*; Scilicet ut Symbolum *Aevi*, et *Temporis*, ut *Emblema Periodorum Mundi*, et cursus Rerum factarum, et Stemma' *Dei*, a quo *Fata* haec *Mundana*, mortalia; vita, mors, bona, mala huius vitae tribuerentur et constituerentur, quemadmodum iam pluribus ostendisse putamus ad *Lemmata* Hierographic. Sect. II.Cap.2. Pag. 233. ad 238. Vocem autem *Aeon* posse hac sententia sumi, scilicet pro *Aevo*, *Tempore* Rerum conditarum, pro *Aetate*, et cursu huius *Mundi* innumeris exemplis probare esset facillimum, nisi iam plura ex eis adduxissent Massuetus *ad Irenaeum* pag. 20. Mosheim in *Instit. Hist. Eccl.* Saec. I. pag. 143. 144. et Suicerus *in Thesaur. Eccles.* Tom. I. pag. 140. 141. etc.

Nemo porro, ut puto, negaverit *Aeonem* hunc *Abraxeum* habendum esse similem 1. *Chrono Phoenicum*, de quo Philo Byblius nonnulla retulit apposite apud *Eusebium* in *Praep. Evangel.* Lib. I. cap. 10. pag. 39. Similem 2. *Chrono Orphicorum*, de quo Damascius de *Principiis* pag. 254. et Athenagoras *de Legatione* pag. 18. loquuti sunt; 3. *Aeoni Mithriaco*, de quo egerunt Raffei *Dissert.* VII. in *Monum.*

inedit. Winkelmann. Tom. I. pag. 135. 136. Zoega *Bassi Rilievi* Tom.II.Tab. 59. pag. 15.16. Visconti *Museo Pio-Clement*. Tom. II. Tav.44. pag. 167. 168. Labus in *Bibliotec.Italiana* Tom. II. 1816. pag.196.197. Similem 4. *Aeoni Isiaco*, cuius Symbola nemo adhuc, quem sciam, est interpretatus, sed cuius simulacra videri possunt in Kircheri *Oedip*. Tom. II. 2. pag. 161. 259. Tom.III.pag.502.in *Obelisc. Pamphil*. pag.462. apud Montfaucon II. 2 Tab.167.et *Suppl*.II.T.52. Caylus *Recueil* Tom. IV. Tab. 15. 16. VII.Tab. 6. etc. et Lenoir *nouvell. Interpret. des Hieroglyph*. Tom.I. Tab. 1. 2. 5. 6. Tom.II. Tab.20. Etsi *Harpocrates Chronocrator* videatur Typus praecipuus horum *Hieroschematum*.

Art. VII. *Septimus Typus classicus Abraxeus habendus est LEO, vel Leontocephalus Homo*.

1. Primo, quia *Leo* additur *Harpocrati Abraxeo* apud Montfaucon Tab. 158.

2. Secundo, quia *Leo* adpositus est *Typo Gallicipiti* in Pantheogrammate *Abraxeo* Montfauconi Tab. 167.

3. Tertio, quia *Miles Leontocephalus* est socius et adhaerens *Militi Gallicipiti* apud Montfaucon Tab. 144.

4. Quarto, quia *Leo* Menisco et Stellis exornatus eidem *Typo Gallicipiti* est adhaerens et socius Tab. 149.

5. Quinto, quia *Leoni*, vel *Viro Leontocephalo* sunt adiecta solemnia verba ΑΒΡΑCΑΞ, vel ΑΒΡΑCΑΤ, ΙΑΩ. ΑΔΩΝΑΙ apud Montfaucon Tab. 148. 149. 150., apud Matterum Tabula I. F. 3. etc.

6. Sexto, quia *Leo* exhibetur quandoque *Galliceps* apud Montfaucon Tab. 148. etc.

7. Septimo, quia *Miles* ille *Serpentipes* quandoque repraesentatur *Leontocephalus* apud Gorlaeum II. Num. 364. Montfaucon Tab. 150. etc.

Art. VIII. *Octavus Typus Classicus Abraxeus habendus est Vir CYNOCEPHALUS, sive Anubidis, sive alio nomine appellandus.*

1. Primo, quia *Typus Serpentipes* conspicitur quandoque in *Gemmis* capite *Canino* apud Gori et Passeri in *Gemm. Astrifer.* Num. 195. et apud Montfaucon *loc. citat.* Tab. 154.

2. Secundo, quia *Vir Cynocephalus*, vel *capite Canino* adiecto, est saepe adhaerens *Aeoni Abraxeo*, apud Matterum in *Tabulis* I. E. 7. 11. II. B. 8. II. C. 1.

3. Tertio, quia *Viro Cynocephalo* adposita est vox ΙΑΩ apud Chiffletium Tab. XII. Num. 46. et 49. et alios plures. Et apud Caylus *Recueil* Tom. VI. Tab. XXI. adiecta sunt nomina *Angelorum* ΟΥΡΙΗΩ, ϹΟΥΚΙΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, et in altera parte *Gemmae* ΜΙΧΑΗΛ.

4. Quarto quia *Vir* nudus *capite Canino* est adhaerens et socius ipsi *Militi Gallicipiti* in *Tabula XVII.* Ebermayeri Num. 441. in *Dactylioth.* Gorlaei II. num. 344. 345. etc.

5. Quinto, quia Vir nudus Capite *canino* adhaeret *Harpocrati Abraxeo* apud Sponium in *Miscell. erudit. Antiq.* pag. 16. etc.

Art. IX. *Isis, Serapis, Mercurius Hellenicus, Hercules Leonicida, aliique Typi, qui solent inter Abraxeos percenseri, inter legitima Elementa Panthei Abraxei numerandi non sunt.*

1. Nam nulla adsunt argumenta rationalia, nulla criteria aequa, ut ea sunt, quae superius Cap. I. pag. 273. 274. exposuimus, quibus in *Pan-*

theum Abraxeum *Typi* huiusmodi plane certo computentur. Et profecto Hierogrammata *Isidis*, et *Serapidis* , ut ea sunt, quae ex innumeris Monumentis novimus, nuspiam , quod ego sciam, in legitimis *Gemmis Abraxeis* apparent. Et si quandoque legitur in *Gemmâ Abraxeâ* εις Ζευς Σεραπις apud Montfaucon Tab. 153. et alios, haud *Serapidi* genuino , sed potius *Harpocrati* haec verba adiecta sunt : Adeo ut tenendum sit vel errasse Sculptorem , vel *Gemmam* ad Sectam *Syncretisticam* spectasse. Arbitrari porro quod ad idem *Gentis* , vel *Sectae Pantheum* spectent quaevis *Schemata* , quibus aliquae voces absonae et Barbarae sunt adiectae , vel etiam quandoque ΙΑΩ . vel CΑΒΑΩΘ , et irrationale et falsum est. Nam Vocum portenta , et *Lemmata Barbarophona*, et *Nomina Dei* potentia avidissime captabantur ab omnibus *Jatromagis* , et *Amuletopoeis* cuiuscumque *Gentis* , *Linguae* , *Religionis*, *Sectae*. Et profecto si *Grammata Ephesia*, si *Lemmata Barbarophona* Catonis Cap.161. R. Rust., Marcelli Empyrici, Alexandri Tralliani, et alia plurima Vocabula ασημα , quae indicant Origenes *contr. Celsum.* lib. I. pag. 18. 19. etc. Galenus *de Simpl. Medic. facult.* lib. VI. *Praef.* pag.144.145. Eusebius *Praeparat. Evang.* libr. IV. cap. I. pag. 132. Porphyrius *apud Jamblichum*, et ipse Jamblichus *de Myster.*Sect.VII. Cap. 4. pag.153. et alii plures ; non sunt *Abraxea* : Haud sunt profecto *Hieroschemata* illa , quae indicavimus, in unum cogenda , nec absque certa et evidenti ratione in idem *Pantheum Abraxeum* numeranda , etsi aliqua *Vocula* eadem vel similis videatur. Et quoniam dubitari nequit, quin fuerint in urbe *Alexandria* , qua condita fuerunt *Abraxeogrammata* , ut Sect. III.

Cap.I. ostendemus, plures Sectae, plura Systemata Theologica; quoniam dubitari non potest fuisse ibi eodem tempore *Hellenistas*, sive Sectatores Religionis *Graecae* et *Macedonicae*; fuisse *Isiacos*; fuisse Sectatores veteris superstitionis a *Nechepso* et Petosiride inductae; fuisse *Iudaeos*, fuisse *Syros*, *Phoenices*, *Palaestinos*, haud defuisse potuerunt sive *Sectae*, sive *Tribus*, et *Gentes*, quibus rationali iure reliquae *Gemmae* Monstriformes, vel *Barbarophonae* tribuantur: ut iam indicavimus in *Prolegomenis*.

ART. X. *Ipse Serpens Leonto-Cyno-cephalus radiatus dictus Chnoubis, vel Chnoumis haudquaquam numerari potest inter legitimos Typos Panthei Abraxei.*

1. Primo, quia numquam est adhaerens et socius alicui *Typo Classico Abraxeo*, puta *Militi Gallicipiti*, *Hecatae*, *Harpocrati*, *Militi Leontocephalo*. Et si in *Gemma* apud Montfaucon Tab. 168. conspicitur *Serpens Leontocephalus* praecinctus *Serpente Ellipseidi*, et cui appositae sunt quinque *Vocales Graecae*, et plures voces *Barbarophonae* animadvertendum est Capiti deesse radios, et Serpentem esse tantum *Leontocephalum*, quum *Chnoubis*, et *Chnoumis* sint omnino *Leonto-Cyno-cephali*.

2. Secundo, quia non conspicitur in *Pantheodramate Abraxeo*, quod edidit Montfaucon T. 167.

3. Tertio, quia non conspicitur in *Libello plumbeo*, quem edidit idem Montfaucon Tab. 177. 178. et cuius partem ediderat iam Bonannus ex alio originali etsi simillimo, quod in *Museo Kircheriano* servabatur Pag. 180.: etsi in his libris conspiciatur *Serpens Ubaeus* Aegyptius, et, ut certum habeo, *Serpens* ille *Hieracocephalus*, de

quo loquitur Eusebius *Praepar. Evang.* libr. I. Cap. 10. pag. 41.

4. Quarto quia nulla *Vox* solemnis *Abraxea*, quod ego saltem sciverim, *Typo* huic sit adposita. Et falsum est non raro conspici adiectum Lemma CEMECEIΛAAM. Nam in Tabulâ Matteri II.A.3.5. et alibi legitur omnino CEUE EIΛAAM, nec ut alii mallent CEMEEIΛAAM, quae adeo penitus diversa ab illis sunt. Illud porro CEUE EIΛAAM est סוח SUE, SEVE, vel סוא SUA SEUA *desiderium*, *exoptatio*, *amor*; עלם OLM, EIΛAAM *Mundi*; vel סוע SUO, SEUO *auxiliator*, *adiutor*, opitulator *Mundi*. Falsum insuper est huic *Typo* addi ABRASAO; quum legendum omnino sit ABRAMAO: Quin illud ABRASAO numquam potest haberi homiodynamicum τῷ ABRASAX. V. Matteri *Tabul. cit.*

5. Quinto quia Galenus scriptor secundi saeculi Christiani *de Simplic. Medicin. facultat.* libr. IX. cap. 2. num. 19. pag. 258. loquitur de *Gemmis*, in quibus insculptus erat *Serpens radiatus*, quasi aetate sua late celebribus et famosis, unaque commendatis et laudatis a *Pseudo-Nechepso* Aegyptio, quem multo vetustiorem Galeno haberi necesse est, et certo vetustiorem Plinio, qui eum pariter citat. Et *Serpentem radiatum* Galeni, et *Nechepsi* esse eumdem *Chnoubim* vel *Chnoumin Gemmarum* nostrarum certum insuper est, tum ex iis, quae nos animadvertimus ad *Lemmata Hierographica* Sect. III. Cap. 1. pag. 268. 269: tum ex effectibus iisdem, quae utrisque tribuebantur. Etenim *Gemmae* illae *Nechepsi*, et Galeni appositae ad *orificium ventriculi* eius *dolores* lenire, vel penitus sedare putabantur. Atqui in parte aversa *Gemmae*, qua insculptus est *Serpens Leonto-Cyno-cephalus* radiatus haec

Graece adscripta sunt : Φυλαξον υ'γειη στομαχον Προκλου. V. Montfaucon Tab. 150. Porro *Gemmae* huiusmodi pleraeque omnino conditae sunt II. III. et IV. saeculo Christiano, plurimae scilicet post ipsam aetatem Galeni, ut omnes uno ore fatentur, nosque paullo post Cap. VI. animadvertemus.

CAPUT III.

Pantheum Abraxeum fuisse Asterotheisticum, et Angelolatricum certo tenendum est.

Art. I. *Qui dicatur Asterotheismus, et quodnam dicatur Pantheum Asterotheisticum, et Angelolatricum.*

Dicitur *Asterotheista* non tantum ille, qui *Solem* Deum facit, quod luce recreet, et calore foveat, et efficiat *Diem*, et *Annum* absolvat: non ille tantum, qui *Lunam* Deam dicat, quod Noctes illustret, et *Mensem* faciat; sed ille magis, qui summas Potestates, maximas Virtutes, Potentes Spiritus, quibus tum *Terram* istam foecundari et ali putet, tum *Gentes humanas* gubernari et regi arbitretur, in *Sole*, *Luna*, *Stellis* constituit, et figit: Adeo ut sublimia et profunda Systemata Theologica possint *Asterolatriae* sociari, ut exemplo Pythagoricorum, Platonicorum, Stoicorum, et Neoplatonicorum constat. Ita ut *Sol* in horum Theologia appelletur *Mens Mundi*, *Arbiter rerum*, *dator ingenii*, et *fortunae*, et ita porro. Quamobrem *Asterotheismus* proprie erit *Systema Theologicum*, quo potissimae et praestantissimae caussae, et quibus *Mundum* hunc Homines regi arbitrentur in *Coelo*, *Sole*, *Luna*, *Planetis*, et *Stellis* constituuntur

et fingntur. Et *Pantheum Asterolatricum* erit *Systema Theologicum* respondens Systemati praecipuorum *Corporum Coelestium*. Quod ipsum Systema dicetur *Angelicum*, et *Angelolatricum*, si plures ex his *Mentibus*, ex his *Spiritibus*, ex his Potestatibus rectricibus Mundi putentur non aequales prorsus *Deo summo*, exsuperantissimo, vel eius *Filii*, sed multum minores, et quasi eius *administri*, et *legati*. Adeo ut, qui *Planetas* haberi a *Diis*, veluti *Marte*, *Mercurio*, *Iove*, *Venere*, *Saturno*, *Apolline*, *Diana* putant, *Aristocratiam* quamdam *Coelestem* constituant, qui vero ab *Angelis Monarchiam*.

Art. II. *Recensentur Symbola et argumenta Asterolatrica Geminarum Abraxearum, vel omnino evidentia, vel iam recepta et probata.*

1. Primum argumentum *Asterolatriae Abraxeae* sunt Cyrioschemata *Stellarum*, et *Lunae*, quae frequenter in eis occurrunt, ut quisque potest experiri in *Collectionibus* Chiffletii, Pignorii, Kircheri, Gorlaei, Ebermayeri, Montfauconi, Gorii, Matteri, et aliorum.

2. Secundum argumentum est *Sol Andromorphus* Capite radiato, scuticam dextra gerens, et saepe quadrigam regens, eo ipso modo, quo in plurimis aliis *Gemmis*, et *Nummis*, et Monumentis diversi generis conspicitur, utque a Poetis pluribus describitur. Vid. Montfaucon *de Abrax*. Tab. 144. 145. 161. 162. Gori et Passeri *Gemm. Astrifer*. N. 39. 40. 42. 43. 44. 45. Gori *Gemm. Musei Florent*. etc. Rasche *Lex. Numism.* voce *Sol*. et Nat. Comit. *Mythol*. lib. V. pag. 329. 330. etc. et quae ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. I. pag. 200. animadvertimus.

3. Tertium Symbolum *Abraxeum Asterolatri-*

cum est *Harpocrates* : Quem esse ipsum *Solem* vel *Solarem* aliquem *Typum* et Formam, iamdiu demonstrarunt Cuperus in suo *Harpocrate.* Pag. 6. 7. 8. etc. Iablonskius in *Pantheo Aegyptio* Tom. I. pag. 260. 261. 262. etc. Nosque *Lunisolarem* Typum esse arguimus ex *Symbolis*, et *Lemmatibus* adiectis ad *Lemm. Hierogr.* Sect. II. Cap. 4. pag. 250. 251.

4. Quartum Symbolum *Asterolatricum* probatum et receptum est *Hecate Triformis*, quam referri ad *Lunam* omnes uno ore testantur, ut videre est apud Vossium *de Idololat.* lib. II. cap. 166. 167. Meursium *ad Lycophr.* pag. 300. 301. Millium *Dissert.* XIV. de *Hecate* pag. 274. 275. Cuperum *in Harpocr.* pag. 197. 198. Lackemacherum *Observ.* Part. IV. pag. 20. 21. etc. etc.

5. Quintum Symbolum *Asterolatricum* est *Leo*, vel *Leontocephalus Miles.* Nam *Leonem* referri ad *Solem* post Kircherum, Cuperum, Jablonskium, etiam nos adnotavimus in *Disquisition.* de *Obelisc. Hermapion.* pag. 125. ad 128. et ad *Lemmata Hierograph.* Sect. II. Cap. 3. pag. 248.

6. Sextum Symbolum est *Corvus*, cui aliquando in *Gemmis Abraxeis* apponuntur Voces ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΑΒΡΑCΑΞ. Vid. Montfaucon *loc. cit.* Tab. 168. Gorlaei *Dactyl.* II. 349. 350. Atqui *Corvum* fuisse sacratissimum *Mithriacis Asterotheistis* tum omnia *Dramata Mithriaca*, quae habent Hyde, Phil. a Turre, aliique demonstrant, tum sacra *Coracina* pars *Mysteriorum Mithriacorum*, de quibus egerunt idem a Turre *de Mithra* pag. 190. 202. 206. Dom Martin in *Relig. des Gaulois* Tom. I. pag. 435. 436. aliique. *Corvum* porro sacrum *Apollini* sive *Soli* plurimi sunt ex Veteribus, qui testantur: Ovidius *Metam.* V. v. 329. Plutarchus *de Pyth. Orac.* II.

Tom. Op. pag. 413. Aelianus *de Nat. Animal.* Libr. I. cap. 47. et 48. pag. 50. Libr. VII. cap. 18. pag. 404. Porphyrius *de Abstinentia* Lib. III. pag. 255. Aliique. Quin plures *Nummi*, et plurimae *Gemmae* sunt, in quibus *Corvus Apollinis*, sive *Solis*; ut Syncretistae malunt, conspicitur.

7. Septimum argumentum *Asterolatriae Abraxeae* sunt *Septem Vocales* Graecae, quae saepe in *Gemmis* huiusmodi sive omnes, sive ex parte, sed vario modo transpositae; et per Temuram ordinatae leguntur. Nam his Septem *Vocalibus*, Septem *Planetas* fuisse designatos iamdiu animadverterunt Iablonskius in *Prolegom.* ad *Pantheum* pag. 55. 56. 57. Matthias Gesnerus in *Act. Acad. Gotting.* Tom. I. pag. 253. 254. Barthelemius *Acc. Inscript.* Tom. XLI. pag. 514. 516. Dupuis *Orig. de tous les Cultes.* Tom. VII. pag. 290. 291. 292. etc. Aliique.

8. Octavum argumentum *Asterolatriae Abraxeae* est *Typus Galliceps* fundamentalis, quem significare *Solem*, et potissimum quum per singulos menses foecundis seminibus implere *Lunam* putaretur ostendimus iam ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. I. pag. 201. 203. 204. 206. 207. Quin modo addimus illas solemnes Voces גד GD, et מני MNI, GAD et MENI, quas habet Isaias Propheta Cap. LXV. v. 10. et quas indicavimus Pag. 207. omnino *Coitum* hunc *Solis* et *Lunae*, et quasi *gravidationem* et foecundationem *Lunae* aperte significare. Nam מני MNI est etiam *Semen Sperma*; גיד GID vero homiophonon גד GD est *Masculus*, *Phallus*, et temura homiophona דיך DIK est *Gallus*: Adeoque manifestum est in גד GD, et מני MNI esse eumdem Genitorem *Solem*: Et propterea haud recte Vitringa *in Isa-*

iam Loc. cit. in uno גד GD, et Huetius ad *Origenem* pag. 108. in uno מני MNI, et Millius *Dissertat.* VI. in neutro *Solem* volebant agnoscere; quum *Sol* omnino agnoscendus sit in utroque. Atqui porro *Lunam* dictam MHNH מני MNI solemniter omnes sciunt, deque hac Voce plura animadverterunt idem Vitringa *in Isaiam* loc. cit. Bynaeus *de Calc. Hebraeorum* Lib. I. cap. 9. Lackemacherus de *Gad.* et *Meni* in *Ugulini Thes.* Tom. XXIII. pag. 703. *Fortunam* autem sive *Sortem* magnam dictam גד GD est etiam notum: et *Lunam* praeterea dictam Τυχην *Fortunam* iamdiu docuit Macrobius l. *Saturn.* Cap. 19. pag. 250. 251. aliique; pluribusque et doctissime animadverterunt Seldenus *de Diis Syriae* Syntagmat. I. pag. 13. 14. Salmasius *de Annis Climater.* pag. 125. 126. Et tot sunt Icones *Fortunae Menisco*, nempe ipso Cyrioschemate *Lunae* insignes, apud Sponium in *Miscell. Erud. Antiq.* Montfaucon *Ant. Expl.* Causeum *in Mus. Roman.* Sect. III. apud Gorium in *Gemm. Astrifer.* Tab. 126. ad 132. apud Acad. Herculanenses Tom. I. *Bronzi* pag. 263. 264. aliosque plures, ut vix possint numerari: Quumque Menisco tum *Fortunae*, tum aliis *Lunae* Simulacris apposito plerumque *Stella hexagona* vel *octogona* addatur, hoc *Hieroglyphico* hunc ipsum *Coitum Luni-Solarem*, hunc ipsum ἱερον γαμον significari tenendum est, non quod *Stella* ista sit *Sol*, ut falso plerique tenent, ut ostendemus, Deo dante, peculiari dissertatione agentes de *Menisco Astrifero* statuae *Isidis Pompeianae*, sed quod *Stella* huiusmodi tum *Veneris* pronubae, tum Nuptiarum, tum Seminum Solarium *Lunae* traditorum sit egregium Symbolum.

ART. III. *Nomina Magni Dei Hebraeorum* ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΣΑΒΑΩΘ, ΕΛΩΗΙ *a pluribus fuisse etiam SOLI, et aliqua ex eis etiam LUNAE tributa dubitandum non est.*

1. Et primum Hebraeos *Asterolatras* id fecisse tenendum est. Hi enim numquam cultum a Mose praescriptum prorsus abrogarunt, numquam *Legem* impositam penitus reiecerunt; sed Ritus Gentium adsociarunt, et *Idiomata* miscuerunt. Haec Stephanus Protomartyr in *Act. Apost.* VII. 42. ex Cap. V. v. 25. Prophetae *Amos*: *Convertit autem Deus, et tradidit eos servire Militiae Coeli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, Domus Israel? Et suscepistis Tabernaculum Moloch, et Sidus Dei vestri Remphum, Figuras quas fecistis adorare eas.* Tum Psalmo XCIV. v. 10, scriptum est: *Quadraginta annis offensus fui Generationi isti, et dixi: Semper hi errant corde*: V. 11. *Et isti non cognoverunt vias meas.* Atqui certissimum contra est iuxta *Linguam* et *Ritum Legis* praescriptae a Mose in Pentateucho egisse et sacrificasse saepius Hebraeos in Deserto. Sed quia miscebant *Ritus*, et confundebant *Vocabula* sacra; quia *Ceremonias*, et *Nomina Dei opt. max.* in Creaturis colendis adhibebant. iure *Propheta* loquitur quasi numquam Israelitae *Deo Opt. max.* vivo, et vero, sacrificassent. De qua re legi merentur quae Divus *Hieronymus Epistola ad Algasiam* Num. 151. in *Quaest.* X. disputat, et ex quibus nonnulla deinceps afferemus. Quamobrem si *Hebraei* servierunt *Militiae Coeli* dubitari non potest, quin *Dei* nomina *Soli*, et *Lunae* tribuerint.

2. Samaritanos porro Idololatras *Nomina* haec

Soli potissimum tribuisse plane certum est, quia *Deum opt. max. innominatum* dicebant, et voce שם SCM, שמא SCMA dubio procul indicabant: et adhuc sub Antiocho Epiphane, ut testatur Iosephus Flavius *Antiquit.* lib. IX. cap. 7. pag. 410. *Templum* suum *Garizimiticum*, ἱερον ανωνυμον appellabant.

3. Nomen porro ΙΑΩ saltem a primo saeculo Christiano tributum *Soli* ex Pseudo-Oraculo illo Apollinis Clarii patet, quod ex Cornelio Labeone, qui, ut plane videtur, saeculo primo Christiano haud fuit posterior, Macrobius *Saturn.* I. Cap. 18. pag. 246. 247. affert:

Φραζεο τον παντων υπατον Θεον εμμεν Ιαω,
Χειματι μεν τ᾽ Αιδην, Δια δ᾽ ειαρος αρχομενοιο,
Ηελιον δε Θερευς, μετοπωρου δε αβρον Ιαω.

4. Nomen *Adonai* longe antea tributum *Soli* fuit in *Adonide*, sive *Adoneo* Phoenicio, et Cyprio. ut omnes recte fatentur.

5. Nomen *Eloei* videtur ipsum ἡελιου Graecorum, et nemo certe potest negare, quin hoc etymon sit intrinsece probabile.

6. *Sabaoth* שבעת SCBOT potest recte fieri a שבע SCBO *effundens*, *tribuens* affatim, faciens quasi *saturitatem* עת OT *Temporum*. Tum שבע SCBO. CABAΩ. ut frequenter in *Gemmis Abraxeis* vox scribitur, est *Septenarius* numerus, et *Sol*, sive *Apollo* dictus fuit *Hebdomageta* solemni modo, ut iamdiu ex Aeschyli *Tragoed. Septem ad Thebas.* v. 806. ex Procli *Comm. in Timaeum Platon.* Libr. III. pag. 200. animadvertunt Seldenus *de Jure Natur. et Gent.* pag. 447. 448. Martorellius *de Reg. Thec. Calamar.* Pag. 322. aliique plures. Et si *Sabaoth* est צבאות TZBAUT *exercituum*, ut sit *Adonai* אדון ADUN *Dominus* צבאות TZBAUT *exercituum*, id etiam

Soli congruit, qui *Rex* מלך MLK. *Dominus* ארון ADUN, *Militiae* צבא TZBA, *Coeli* habitus et dictus semper fuit.

Nomina ergo illa ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΣΑΒΑΩΘ, ΕΛΩΗΙ a Iudaeis Ethnicophilis, et ab Asterotheistis Iudaizantibus fuisse saepius SOLI potissimum tributa tenendum est.

Art. IV. *Systema Theologicum Abraxeographorum fuit etiam Angelolatricum.*

Nam Potestates, Virtutes, Spiritus *Planetis* et *Astris* assignati non appellantur nominibus *Deorum Aegyptiorum*, *Chaldaeorum*, *Palaestinorum*; non *Graecorum*, non *Latinorum*: Sed omnino *Nominibus*, quae *Hebraei* Deo opt. max. tantum tribuerunt, et quae modo paullo supra recitavimus: Et Nominibus *Angelorum*, quae iidem *Hebraei* adhibuerunt, vel quae utcumque adhibere potuit Secta aliqua vel Gens *Hebraizans*. Ita 1. in *Gemmâ Abraxeâ* apud Montfaucon *Ant. Expliqu.* II. 2. Tab. 146. et alios plures, in cuius antica parte conspicitur *Miles Serpentipes*, et dubio procul *Galliceps*, etsi errore Sculptoris desit *Crista*, in posticâ leguntur *Nomina Angelorum*: ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΟΥΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ, ΑΝΑΝΑΗΛ, ΠΡΟΣΟΡΑΗΛ, ΤΑΒΣΑΗΛ. 2. In alterâ *Gemmâ* in cuius antica parte idem *Miles Serpentipes* cernitur, in postica ea ipsa Nomina *Angelorum* leguntur. 3. In parte adversa alterius *Gemmae*, in cuius facie prima est insculptus *Aeon Abraxeus* apud Montfaucon Tab. 163. et alios plures, leguntur haec Nomina *Angelorum*: ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΚΟΥСΤΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ. 4. In prima facie alterius *Gemmae*, qua insculptus est *Vir Cyno-Cephalus* alatus et irretitus apud Matterum Tab. VI. num. 6. leguntur haec Nomina: ΟΥΡΙΗΛ, ΓΑ-

ΒΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ, ΙΚΑΗΛ, ΙCΙΓΑΗΛΙΩΝ, quum legantur in secunda parte Voces aliae solemnes. 5. In aliis Gemmis apud eumdem Montfaucon Tab. 164. pag. 369. legitur ΜΙΧΑΗΛ sive directe, sive Temurice. 6. In alia Gemma pag. 374. legitur ΡΑΦΑΗΛ, ΙΑCΟΥΗΛ. etc. et ita porro.

2. Praeterea quum Grammatici constituissent Literas *Vocales* esse quasi *Spiritum* et *animam* vocum, quarum vocum *Consonae* facerent quasi *Corpus* et ossa, hinc dubio procul origo facta repraesentandi *Literis Vocalibus Spiritus*, et *Pneumata* quaedam *Coelestia*, per quae regi, gubernari, et si vis etiam informari, et vivificari *Corpora coelestia* arbitrarentur. Et profecto in celebri illa Inscriptione *Milesia*, quam exscripserunt, et ediderunt Sponius, Wheler. et Chandler, illi in suis *Itineribus*; is in pag. 16. *Inscriptionum antiquarum*, et inde Barthelemius Tom. XLI. pag. 515.516. *des Memoir. de l'Academ. des Inscript.* et *Dupuis de l'orig. des Cultes* Tom. VII. Pag. 190. 191. aliique desumserunt: quinquies, (et olim septies) *Vocales Graecae* Α, Ε. Η. Ι, Ο, Υ, Ω permutantur, et singulis imo duplicatis permutationibus sive Temuris additur ΑΓΙΕ ΦΥΛΑCΟΝ, et omnes, ut videtur, isti Αγιοι apppellantur tandem ΑΡΧΑΓΓΕΛΟΙ, ut certum est ex lectione Sponii, et Chandleri, et ex ipsa natura Inscriptionis: Adeo ut sit plane mirum, quomodo summus vir Barthelemius praeferre visus sit loc. cit. pag. 515. lectionem Wheleri: ΑΡΧΑΙ ΤΕΛΟΙ. quasi Αρχαι τε λοιπαι, quae nihili sunt, et absurda. 1. Primo quia λοιπαι non est vox ita solemnis et nota, quae possit breviari et decurtari. 2. Secundo, quia in *Inscriptione*, quae facta est molesta et fastidiosa repetitione paucissimarum vocum est intrinsece improbabile Vocem

incertam et dubiam fuisse decurtatam. 3. Tertio, quia antea vox Αρχαι non occurrit, unde essent aliae λοιπαι. 4. Quarto quia Αρχαι sunt paucissimae, numerus septenarius est plane satis, et adeo esse nequeunt hic Αρχαι λοιπαι. 5. Quinto quia solemniter haud invocantur Αρχαι λοιπαι.etc.

Quum igitur in *Gemmis Abraxeis* fere numquam nomina Deorum Gentilium legantur, sed saepius *Angelorum*, tenendum est *Systema Theologicum Abraxeographorum* fuisse etiam *Angelolatricum*.

CAPUT IV.

Gemmas Abraxeas fuisse a Veteribus habitas Salutares et Apotropaeas certum est.

Art. I. *Primo, quia persuasum Veteribus fuit omnes Gemmas et Lapides pretiosos esse salutares, prophylacticos, alexicacos.*

1. Id constat ex Libro XXXVII. *Histor. natural. Plinii*, ex Tractatu *Pseudo-Orphaei de Lapidibus*, ex Poëmate *Merobaudi* Galli etiam *de Lapidibus*, ex Michaelis *Pselli* Libello de *virtutibus Lapidum*, et aliis huiusmodi. Quin patet ex ipsis Libris *Medicorum* veterum *Galeni*, *Sereni Sammonici*, *Aëtii*, *Marcelli Empyrici*, *Alexandri Tralliani*, et aliorum. Dignumque notatu est, quod isti qui *de Lapidibus pretiosis* agunt *Iaspidis viridis* potissimum virtutes commendant ad sedandos, vel pellendos morbos, Pliniusque singillatim testaturCap.9. Libr. cit. quod *totus Oriens pro Amuletis traditur gestare eam* Iaspidem, *quae ex iis smaragdo similis est*. Atqui omnino ex *Iaspide viridi* factas plurimas *Gemmas Abraxeas* data opera animadvertit in *Gemm. Astrifer*. Tom. II. pag. 214. 215.

Passerius, qui plurimas certe huiusmodi *Gemmas* viderat, et contrectaverat.

Art. II. *Secundo, quia insculpta in Gemmis Abraxeis sunt Simulacra et Stemmata Deorum Coelestium.*

Atqui omnes *Deorum Imagines*, et *Hierogrammata*, omnia *Numinum Stemmata* penitissima persuasione habebant Veteres, ut *salutaria*, benefica, *apotropaea*, et averrunca. Nam fieri non posse putabant, quin *Dii* magni per *Icones* suas, per repraesentationes suas virtutem et beneficentiam suam quasi per propria *organa* non exsererent et demonstrarent. Quin plerique prorsus informari a *Diis* Magnis *Simulacra* et *Icones* suas arbitrabantur. Unde et illa *Baetylia* εμψυχα, et *Statuae* e *Coelo* demissae, et custodia *Simulacrorum* Divinorum acerrima, et furta *Statuarum* nobilissima, et miracula ac prodigia innumera *Simulacris* Deorum tributa; quibus de rebus plurimi apud Veteres, et Recentiores egerunt.

Art. III. *Tertio, quia saepe in his Gemmis verbis Graecis potestas tutelaris et apotropaea expressa est.*

1. Ita in *Gemma Abraxea* apud Montfaucon *Ant. Expliqu.* II. 2. Tab. 147. in cuius antica parte est *Typus Galliceps*, cuius *Lemma* interpretati sumus ad *Lemm. Hierograph.* Pag. 224. 225. in Postica haec Graeca verba adiecta sunt: Δος μοι χαριν. νικην etc.

2. In aversa parte *Gemmae* apud eumdem Montfaucon Tab. 153. in cuius adversa est insculptus *Harpocrates*, vel ipse *Sol*, post plures voces *Barbaras* legitur: Δος χαριν Αλεξανδρ.

3. Hierogrammati *Leonis* rugientis adpositum Φυλαξα apud Montfaucon Tab. 149.

4. Hierogrammati *Serpentis caudam mordentis*, apud eumdem Montfaucon Tab. 164. et supra in *Lemmat. Hierograph.* Sect. II. Cap. I. Pag. 228. post plura vocabula *Barbara* legitur Φυλαζετε Μαιανο.

5. Simili *Hierogrammati* apud Kircherum in *Arithmologia* Part. IV. pag. 170. post plura alia *Nomina Abraxea* vel *Barbara*, adiecta haec διαφυλαζον Αλεξανδρον: ut vidimus ad *Lemmat. Hierograph.* Sect. II. Cap. I. pag. 230.

6. In aliâ Gemma etsi figuris carente, sed *Abraxea*, apud Montfaucon Tab. 164. legitur: Ιαω, Αβραξας, Αδωναι, αγιον ονομα, δεξιαι δυναμεις φυλαξατε Ουεβιαν Παυλειναν απο παντος κακου Δαιμονος.

7. In alia *Gemmâ* pura, sed *Abraxea* apud Montfaucon Tab. 168. post plures *voces Barbaricas* legimus: Αβρασαξ . . . . παυσατε μοι τον πονον τη φερουση. etc. etc.

Art. IV. *Quarto, quia addita sunt semper sive unum, sive plura Nomina insignia, puta* Ιαω, Σαβαωϑ, Αδωναι, Ελωηι, *quae uni Deo Opt. Maximo Hebraei tribuebant.*

Atqui certum est apud *Syros*, *Palaestinos*, *Aegyptios* saltem a primo saeculo Christiano summae, et potentissimae virtutis habita fuisse *Nomina Hebraica Dei Opt. max.* Cuius persuasionis testes sunt *Origenes in Celsum* Lib. I. Pag. 16. 17. 18. 19. *Iustinus* Martyr. *Dial.* cum *Tryphone. Damascius in vita Isidori apud Photium* Cod. 242. Pag. 1038. *Alexander Trallianus* lib. XI. Aliique.

Art. V. *Quinto, quia plerumque Gemmis Abraxeis inscribuntur Vocabula Cryptica, apparenter absona, Verba ignotae et incompertae potestatis,*

1. Atqui aeque *absona*, aeque *absurda* videntur *Verba* vel *Grammata Ephesia*, quae Clemens Alexandrinus, et Hesychius ex parte servarunt, et de quibus egerunt Kircherus *in Oedip.* Tom. II. 2. Pag. 469. 470. Vandale *de Idolol.* et *Divinat.* Pag. 526. 540. Deylingius in *Observ.* Tom. III. Pag. 355. 356. Aliique; et haec *Vocabula* habita fuisse mire *Apotropaea*, et invictae potestatis plures testati sunt.

2. Aeque absona, et sententiae incompertae sunt *Nomina Deoanorum Aegyptiorum* in *Amuletis* et Periaptis apotropaeis adhibitorum, tum ea, quae *Celsus* apud *Origenem* recitabat Libr. VIII. pag. 416. tum ea, quae ex *Firmico* adduxit *Iosephus Scaliger* ad *Manilium* Pag. 487. ad 504. Tum ea, quae ex *Ephaestione Thebaeo* collegit *Salmasius de Ann. Climat.* Pag. 610. ad 613.

3. Aeque absona apparent *Lemmata averrunca*, quae protulit ex aliis pluribus. Cap. 161. *Rei Rusticae Marcus Cato.*

4. Similia sunt *Lemmata Apotropaea*, quae protulerunt *Marcellus Empyricus*, et *Alexander Trallianus* in Libris suis medicis.

5. Similia, et ingenti numero, in usum *Apopotropaeum* etiam adhibita, quae indicant *Porphyrius* apud *Iamblichum de Mysteriis* Segm. VII. Cap. 4 Pag. 153: et idem *Iamblichus* paullo post Pag. 154. et *Eusebius* in *Praepar. Evang.* Libr. IV. Cap. I. pag. 132. aliique plures.

Quamobrem si haec *Vocabula* apparenter *absona* et *barbarophona* habita omnino sunt po-

tentissime *Apotropaea*, *Vocabula* et *Lemmata Abraxea*, aeque *absona* ac *Barbarophona*, ac omnia ista, quae indicavimus, aeque *Apotropaea*, et *averrunca* habenda sunt, ac illa fuerunt habita. Eoque magis quod facile intelligitur cur *Iatromagi*, et *Amuletopoei* unanimes consentirent in seligendis, et dubio procul profunda saepe sollertia efformandis *Vocibus absonis* et ignotis. Primo scilicet, quia *nota* et communia negligimus; ignota et incomperta avidissime quaerimus, et magnam aliquam potestatem, et mirificam vim non in *Voce*, quam quotidie efferentes nil magni et miri scimus per eam parari posse; sed profecto per voces *novas*, *ignotas*, extraneas, portentosas, in quibus ignotam Vim possumus reponere et collocare. Secundo quia apposita voce *nota* et *communi* inimicus poterat alia et graviora opponere, et virtutem *Lemmatis* perdere: At data *Voce* ignota, portentosa, data adeo erat *ignota* vis, et inimico praeclusus aditus nocendi, ut ii autumabant. *Constatque ideo occultatum in cuius Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent* evocantes: Quae sunt Plinii verba Lib. XXVIII. Cap. 2. Pag. 123. T. III. Qui haec addit plane opportune: *Neque est facile dictu externa verba atque ineffabilia adrogent fidem validius, an Latina inopinata, et quae ridicula videri cogit animus semper aliquid immensum expectans, ac dignum Deo movendo, imo vero quod Numini imperet.* Barbarophonia igitur *Lemmatum Abraxeorum* fere omnium est criterium certum naturae eorum *Apotropeae* et *Averruncae*.

Art. VI. *Sexto, quia Conditores Abraxeogrammatum ipsis Schematibus et Typis Abraxeis, ipsis Vocibus solemnibus vim et potestatem Apotropaeam significare et demonstrare studuerunt.*

Nam superius ad *Lemm. Hierogr.* Sect. I. Cap. 2. Art. 3. Pag. 211. 212. omnia *Symbola Typi Gallicipitis* convenire *Typo Apotropaeo* et *averrunco* probavimus: Tum Cap. III. Art. 1. Pag. 213. 214. Voci *Abraxas* inesse significationem *beneficam* atque *averruncam*: et Cap. IV. Art. 1. 2. 3. 4. Pag. 220. 221. 222. alia *Lemmata Abraxea Salutaria* et *Averrunca* ostendimus. Praeterea in *Hierogrammatibus Abraxeis* adhibetur frequenter *Harpocratis* Schema, quo usos fuisse Veteres quasi praesentissimo et frequentissimo *Amuleto*, tum ex Plinio Libr. XXXIII. *Nat. Histor.* Cap. 3. Pag. 339: Tum ex *Lemmatibus* sive Inscriptionibus Graecis ad ipsa *Harpocratis* Schemata adposita, et quae videri et legi possunt apud *Cuperum* in *Harpocrate* Pag. 155. 156. et apud Eckel in *Choix de Pierres grav.* Planch. XXX. Pag. 60. 61. etc. perspicue patet.

Art. VII. *Refellitur obiectio.*

At, inquies, si in *Gemmis Abraxeis* frequens apparet deformis ille *Senex*, quem *Aeonem* et *Chronum* appellandum esse putant, quae, cedo, *Tutela*, quod Patrocinium a tam tristi Forma potest exspectari? Plurima, inquam, secundum illorum *Theologiam*. Is enim Typus, ut dictum est, habetur Constitutor et Promus *Fati* cuiuscuiusque, is dator *vitae* et *mortis*, is distributor bonorum et malorum; quumque frequenter *Angelorum* Nomina vel Symbola ei sint adhaerentia, dubitari

nequit, quin illi sint quasi eius ministri, et adiutores in *Fatis* tribuendis. Erat ergo potius absolutae necessitatis istum benevolum habere, et invocationibus et precibus sibi devincire, et demereri, quam inobservatum et inhonoratum praeterire: Et profecto *Aeonem* hunc sive *Chronum* sive *Saturnum* ab Orientalibus potissimum fuisse impense cultum ex testimoniis Scriptorum Cap. V. Art. 4. collectis patet.

CAPUT V.

Hierogrammata Abraxea spectasse ad iustum et peculiare Pantheum certae Gentis, vel Sectae tenendum est.

ART. I. *Primo, quia Hierogrammata Classica Abraxea satis superque sunt ad constituendum iustum et aequum Pantheum Asterolatricum certae Gentis, vel Sectae.*

1. Nam in *Aeone Abraxeo* est *Typus Temporis initialis*, *Typus Periodorum Mundi*, *Typus Anni magni* et *divini*, qui ab *Astris* conficitur.

2. In *Sole andromorpho* et quadrigis vecto est *Typus Solis Hemerodromi*, atque *Annum, et Anni Tempora* efficientis.

3. In *Hecate* est *Luna effetrix Mensium*, et quae habeatur insuper quasi *Matrix*, et *Locus* Seminum genitalium, *Mater* Mundi, *nutrix* Animalium, et Plantarum.

4. In *Milite Gallicipite* est *Sol Lunaris*, *Sol Lunam*, ut putabant, Seminibus implens et foecundans.

5. In *Harpocrate Abraxeo* potest agnosci *Sol oriens*, *Sol* Periodos et cursus *Temporis* ser-

vans, *Sol* genitalis, de quo *Harpocrate Sole* plura collegit Cuperus in *Harpocrate* Pag. 76. 77. 78. etc.

6. In *Leone Abraxeo* potest agnosci vel ipse *Sol irrigationis* praeses, de quo saepe egimus, vel Sol fortissimus, et *invictus*.

7. In *Corvo Abraxeo* habebitur *Sol Vates*, *Sol* futurorum monitor, *Sol* oracularis, ut *Apollo Graecus*, et *Apollo Hierapolitanus*; de quo egit Macrobius *Saturn.* I. Cap. 17. Pag. 242. 243. Nam absque *Divinatione* nulla fuit vetus Gens.

8. In *Stellarum* simulacris erunt *Planetae*, et aliae *Stellae* insigniores, quasi sedes vel *Corpora Potestatum* magnarum, quae necessitatibus quibuscumque humanis possint satis superque occurrere et satisfacere.

9. Praeterea το ABRAXAS referri primario ad *Solem*, secundario ad *Lunam* ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. 3. Pag. 215. 216. 217. adnotavimus: το CEMECEIAAM aeque primario ad *Solem*, secundario ad *Lunam* referri diximus Cap. IV. Pag. 220. 221. Et in ΑΒΑΑΝΑΘΑΝΑΑΒΑ, sive ΑΒΑΑΝ, ΑΘΑ, ΝΑΑΒΑ esse bis temuriceNomen *Lunae* לבנה LBNE AABANA patet: quasi advocatio esset: אתא ATA *veni surge* לבנה LBNE ALBANA *Luna*, אט ATH *suaviter*, *leniter*, veni לבנה LBNE, ALBANA *Luna*.

10. Hos autem *Typos Theologicos* iam memoratos esse plane opportunos, proprios, et plus quam satis ad condendum *Pantheum Asterolatricum* certae Gentis patet; idque firmatur ex *Oligotheismo* multarum ex Veteribus *Gentibus*, maxime *Syris*, et *Palaestinis*; quin magis exemplo *Astrologorum*, sive *Asterolatrarum Planeticolarum*, qui potissimum a secundo saeculo Christiano latissime vigere, et obtinere coeperunt:

Hi enim omnia potestate *Septem* tantum *Typorum* Divinorum, sive *Planetarum*, *Sole* quidem et *Luna* praecipuis, regi et effici constituerunt, tenuerunt, praedicarunt, et per plura saecula plurimis Gentibus persuaserunt.

ART. II. *Secundo, quia Pantheum Abraxeum est valde simile Pantheo Isiaco Alexandrino.*

1. Scilicet non tantum, quod *Pantheum Isiacum* habeatur et praedicetur ab omnibus *Asterolatricum*, ut pariter *Asterolatricum* esse demonstravimus Pag.287.288.289. *Pantheum Abraxeum*: Sed etiam quod *Typi* utriusque *Panthei* mutuo collati satis commode, et accurate sibi respondeant.

2. Nam *Typi Classici* Panthei *Isiaci* sunt 1. ipsa *Isis*. 2. *Serapis*. 3. *Harpocrates*. 4. *Anubis*. 5. *Aeon* sive *Chronus Isiacus*: quemadmodum diximus Pag.282. De quibus videri possunt Kircherus *in Oedipo*, Pignorius *ad Mensam Isiacam*, Oliva *ad Marmor Isiac.* Cuperus *de Harpocrat.* Montfaucon *Ant. Expl.* II. 2. et *Supplem.* Tom. II. Iablonskius in *Pantheo Aegypt.*, et alii non pauci.

3. Atqui *Isidem* esse *Lunam* Vossius *de Idololatr.* Iablonskius *in Pantheo*, aliique plurimi iamdiu animadverterunt. *Hecatem* autem esse *Lunam* eamdem plurimi pariter animadverterunt; et nos superius nonnulla Pag.278.288. adnotavimus: Quin Iablonskius *Oper.cit.*Tom.I. Pag.108. 109.etc. ipsam prorsus *Hecatem Persarum* et *Syrorum* in *Iside Tithrambone* et *Thermuthi* iure agnoscebat.

4. *Serapidem* porro habitum fuisse *Solem* ex *Gemmis*, ex *Nummis*, ex aliis pluribus *Monumentis*, ex pluribus *Scriptoribus* constat, adeo-

que possumus iure cum *Serapide Isiaco Solem Andromorphum Abraxeum* conferre et componere.

5. *Harpocrates*. *Isiacus*, quoad elementa substantialia idem est ac *Abraxeus*.

4. *Anubis* Isiacus respondet *Viro Cynocephalo Abraxeo*.

5. Quoad *Aeonem Isiacum*, cuius varia sunt, ut indicavimus Schemata, si quis *Ectypa*, quae habet Kircherus *in Oedip*. Tom. III. pag. 502. Montfaucon II.2. Tab. 167. Lenoir *Nouv. Explic.* Tom. I. Tab. 1. 2. 4. 5. conferat cum *Ectypis Aeonum Abraxeorum*, quae habet Chiffletius, Gorlaeus, aliique, haud levem similitudinem deprehendet: Et si conferet *Aeonem Abraxeum* quem profert Montfaucon Tab. 127. cum *Aeone Isiaco*, quem exhibet idem Montfaucon Tab. 167. magnam potius similitudinem deprehendet, et plane quanta satis est ad indicandum fundamentalem ideam utrique unam esse et eamdem.

6. Militi *Gallicipiti Abraxeo* non sunt *Typi* penitus *Homomorphi* respondentes in *Pantheo Isiaco*, et non possunt esse, quia ut ostendimus ad *Lemm. Hierographic.* Sect. I. Cap. 2. Pag. 208. *Miles Galliceps* exhibet Deum *Nergalem Cutaeorum*, est insuper *Stemma Gentilitium* eorumdem *Cutaeorum*, qui iam facti erant *Sichemitae* et *Samaritani*, et respondet tertio peculiari voci *Abraxas*, ut vidimus Cap. 3. Pag. 217. 218. Attamen sunt *Typi Homiomorphi* et *Homiodynamici*. Nam in *Pede Serapidis* (Vid: Gemm. Astrif. Gori. Tab. 18.) qui in Arâ *Vibii Onesimi* apud Fabrettum in *Inscription. Antiq.* Pag. 467. Cuperum in *Harpocr.* Pag. 47. 48. et Montfaucon *Antiq.* Expl. II. 2. Tab. 122. conspicitur *Serpente cristato* circumvolutus sunt omnia *elementa Typi Gallicipitis* et *Serpentipedis*.

Quae *elementa* sunt etiam in *Harpocrate* Isiaco, cui et *Serpens* et *Gallus* sunt frequenter appositi apud Cuperum in *Harpocrat*. Pag. 32. 118. 154. Kircherum in *Obelisc. Pamphil.* Pag. 316. et alios.

Typi ergo *Classici Panthei Abraxei* satis accurate respondent *Typis Classicis Panthei Isiaci* Alexandrini.

Art. III. *Tertio*, *quia Pantheum Mithriacum est pariter valde simile Pantheo Abraxeo.*

1. Elementa *Panthei Mithriaci*, quae tum ex Scriptoribus veteribus, tum ex *Dramatibus Mithriacis*. quae collegerunt Thomas Hyde *de Relig. vet. Persar.* Pag. 110. 111. Phil. a Turre *de Mithra* pag. 157. 160. Montfaucon *Ant. Expl.* Tom. I. 2. Tab. 216. 217. etc. Creuzer et Guigniaut in *Religions de l'Antiquitè* Tom. I. in *Volum. Tabularum*, sunt: 1. *Mithras*. 2. *Sol Andromorphus*. 3. *Luna Gynaecomorpha*. 4. *Planetae*. 5. *Aeon*, sive *Saturnus Mithriacus*. 6. *Corvus*. 7. *Leo*. 8. *Taurus*. 9. *Serpens*. 10. *Canis*. 11. *Gallus*. 12. *Palma*. 13. *Scorpio*. Atqui 1. *Miles Galliceps Abraxeus* potest recte conferri cum *Mithra*. non modo, quia demonstratum est utrumque referri ad *Solem*, sed quod dubitari non potest, quin ipse *Mithras*, ut *Miles Galliceps*, referatur etiam ad *Lunam*. Nam *Mithras* in omnibus *Dramatibus* suis inter *Solem* et *Lunam* collocatur *medius*, et solemni voce adpellatum fuisse μεσιτην testis Plutarchus *de Iside* Pag. 369.

2. *Sol Abraxeus Andromorphus* est fere idem ac *Sol Mithriacus*.

3. *Hecate Abraxea* conferri potest cum *Luna Mithriaca*, immo cum *Hecate* ipsa *Mithriaca*, de qua loquitur Iulius Firmicus Maternus

de Error. pr. fan. Religion. P.3, scribens: *Mulierem* (Persae) *triformi vultu constituunt monstrosis eam Serpentibus illigantes. Virum vero* (Mithram) *abactorem Boum colentes Sacra eius ad ignis transferunt potestatem.* Et profecto huius *Mithriacae Hecates* utcumque imaginem repraesentari puto in *Dramate Mithriaco* Anglicano, quod conspici potest in *Transact. Compend.* Tom. X. Part. IV. Pag. 1311. et de quo plura hic agere datum non est.

4. *Chronus* sive *Aeon Abraxeus*, de quo diximus Cap.II. Art.6.Pag.279.280, potest conferri cum *Chrono* et *Aeone Mithriaco*, de quo egerunt plures, quos citavimus eodem loco.

5. *Planetae Abraxei* congruunt cum *Mithriacis.*

6. *Gallus*, *Gallo* respondet, 7. *Leo*, *Leoni.* 8. *Corvus*, *Corvo.* 9. *Serpens*, *Serpenti.* 10. *Scorpio*, *Scorpioni*, quem gerit *Aeon Abraxeus.* 11. Etiam *Palmae Mithriacae Ramus* est in manibus *Leontocephali Militis Abraxei* apud Montfaucon Tab.150., et saepius in manu *Cynocephali* Tab. 153. 154. et 12. *Canis Mithriacus* tum in *Viro Cynocephalo Abraxeo*, tum in *Milite Cynocephalo Serpentipede in Gemmis Passerii* Tom. I. Tab.195. et Tom. III. Pag.212. potest agnosci. 13. Et tandem *Caput Tauri*, quod frequenter premit *Leo Abraxeus* Tab. 149. 168. Montfauconi potest conferri cum *Tauro Mithriaco.*

Ergo inter *Pantheum Abraxeum* et *Mithriacum* magna intercedit relatio, et penitior nexus, quam primo intuitu possit reputari.

ART. IV. *Quarto*, *quia Pantheum Abraxeum est etiam simile Pantheo Palmyrenorum.*

Consideratis Monumentis Theologicis *Palmyrenorum*, de quibus egerunt Sponius *in Miscell.*

erud. Antiq. Pag. 1. 2. 3. Sellerus in *The Antiq. of Palmyra.* Pag. 249. 250. Montfaucon *Ant. expl.*II.2.Tab.179.180. Barthelemius *in Act. Academ. Inscript.*Tom.XXVI.Pag.590.591.Fogginius *in Museo Capitol.*Tom.IV. Pag.80. 81. Georgius in *Inscript. Palmyrenis.* etc. *Typi Theologici* et Classici *Palmyrenorum* videntur omnino hi : 1. *Sol Andromorphus*, sive capite radiato repraesentatus, sive quadrigis vectus, quem ipsum putamus esse τον Δια ὑψιστον και μεγιστον, de quo agitur in *Inscriptionibus.* Nam fere omnes *Syri Iovem*, Δια, et *Solem* pro uno eodemque *Numine* habuerunt, ut ex iis, quae Macrobius Lib. I.*Saturn.*Cap.23. Pag.262. 263. affert, et ex pluribus *Inscriptionibus*, et aliis testimoniis certum est. 2. *Luna Gynaecomorpha*:3. Et alii *sex Planetae* eodem fere habitu, et forma expressi ac Graeci et Latini, ut arguitur ex *Planetis* exculptis in Templo *Palmyreno*, et quorum Ectypum dedit Rob. Wood in *Ruines de Palmyr.* Tab.19.4. *Chronus* vel *Saturnus* forma et figura *Graeca*, vel *Latina*, nempe senili facie, *capite* cooperto, *Falce* apposita. Et hunc *Saturnum* dictum puto *Bel* a *Palmyrenis*, et esse illum *Deum*, quem cum *Sole* colendum posuit in Templo huic *Deo* Romae excitato Aurelianus Imperator, et de quo Zosimus Libr. I. Historiar.Pag.661. loquutus est. Nam quamvis vox *Bel*, בל BL, בעל BOL pluribus *Diis* sit tributa, quasi per excellentiam et peculiari modo *Saturno* tributam constat. Nam Servius ad *Aeneid.*I. v. 621. scribit: *Quos Assyrios constat Saturnum, quem et Solem dicunt.... coluisse...Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam Sacrorum ratione Saturnus et Sol.*S.Theophilus ad *Autolycum* Lib.III .Pag.139.haec habet: Και Κρονον ονομαζουσι Βηλ και Βαλ μαλιστα οἱ οι-

*

κουντες τα ανατολικα κλιματα...-παρα δε Ρωμαιοις Σατουρνος ονομαζεται. S. Hieronymus *Comment.* in Cap. 46. *Isaiae*: Tom. IV. *Oper.* Pag. 150. *Confractus est Bel*: *Quem*, ait. *Graeci Belum*, *Latini Saturnum vocant*, *summae apud Veteres Religionis*. Damascius in *vita Isidori* apud *Photium* Cod. 242. Pag. 1050. Φοινικες και Συροι τον Κρονον Ηλ, και Βηλ, και Βολαθην επονομαζουσι.

5. *Deus Ma'achbelus*, *Thorace*, *Corona*, et *Menisco* insignis, ut ostendimus ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. I. Art. 6. pag. 204. 205. est *Typus Lunaris*, est *Deus Lunus*.

6. *Aglibolus*, qui quasi moestus, et tristis ad dexteram *Malachbeli* in *Monumento* conspicitur, habendus est *Typus* homiodynamicus *Halagabali* Emeseni, de quo Seldenus *de Diis Syris* Pag. 148. et Beyerus in *Additam.* Pag. 280. aliique plures egerunt. Nam *Halagabalus* איל-גבל AIL-GBL est temura homiophona עגלי-בל OGLI-BL, sive *Agliboli*. Tum *Halagabalus* est *Deus Monticuli* גבל GBL, *conici*, *rotundi* עגל OGL, qua plane figura nempe *Lapide Conico* repraesentabatur: Et eodem pacto *Agliboli Palmyrenorum* erat Symbolum *Arbor Conica*, *rotunda*, nempe *Cyparissus*, quae et in *Monumento* conspicitur. Et quoniam איל גבל AIL-GBL, sive *Halagabalus*, ut rectissime animadvertit Bochartus *in Chanaan* lib. II. pag. 717. est *Deus conditor*, est *Demiurgus*, Θεος ὁ κτιστης, vel πλαστης: et *Deum* adeo *Emesenum* ut *Conditorem rerum* fuisse cultum dubitari non potest, eodem pacto et *Aglibolum* עגליבל OGLIBL temuram איל-גבל AIL-GBL sive *Dei Conditoris*, revera habebimus ut *Demiurgum Palmyrenorum*.

7. *Iarbolum* tandem *Palmyrenorum* fuisse *Deum* praefectum *Aquis*, et *Fontibus* certo te-

nendum est. 1. Primo quia in *Inscriptione* apud Sellerum Pag. 352. dicitur Βωλανος επιμελητης, και ο' αιρεθεις... Εφκας πηγης ὑπο Ιαριβωλου θεου: quod etiam ex alia Inscriptione apud eumdem Sellerum Pag. 310. 311. firmatur. 2. Secundo quia יאר IAR est *rivus flumen*, et רוה RUE est *fluere*, *effluere*, irrigare, potare: Adeoque palam est *Iaribolum* esse בעל BOL Dominum Deum יאר IAR *rivi*, *fluvii*, vel רוה RUE *fluxus*, *fontis* aquarum. Plures sane in *Iaribolo* hoc *Lunam* maluerunt agnoscere: At perperam. Nam *Palmyrenis Deus Lunus* fuit *Malachbelus*, et *Dea Luna* fuit *Gynaecomorpha*. Tum *Luna* dicitur ירח IRC Semitis, et difficile est exprimi recte et solemniter potuisse literis Graecis *voce* ιαρι. etsi Sanctus Epiphanius nomen *Lunae* quasi pronuntiatione *Pharisaeorum* in *Haeres*. XVI. Pag. 34. scribat ιερεε. Nam ח C potuit transire in *hee*, non vero in I. Contra vero quum *Urbis* in deserto arenoso, et inaquoso fundatae et praecipuus et maximus *Deus* dator et distributor *Aquarum* constitui debuisset, quum *Iaribolum Deum aquarum*, tum vi Nominis, tum auctoritate habeamus, omnino tenendum videtur, quod fuit Aegyptiis *Osiris* dictus שיחור SCICUR sive *Nilus*, et dator *aquarum*, id fuisse *Palmyrenis Iaribolum*. Et id etiam, quia in ornamentis *Templorum Palmyrae* nil frequentius occurrit *Capitibus Leonum*, et *Leonis capitibus* indicari *fluxus aquarum* et *fontes* tum ad *Horum* nostrum Sect. I. Pag. 13. tum in *Disputat. de Obelisc. Hermapion*. P. 125. 128. pluribus observavimus, et ipsum nomen *Iariboli* recte potest deduci ex אריה ARIE, בעל BOL, quasi בעל BOL *domino* possessore *Leonis* אריה ARIE, sive potius יאר IAR, *fluminis*, vel יובל IUBL *fluvii*, quum temura

homiophona לביא LBIA sit etiam *Leo*, vel אשד ASCD *effusionis* aquarum, et *exundationis*, quum *Leo* sit etiam אסד ASD.

Atqui si modo hos *Typos Deorum Palmyrae* cum *Abraxeis* conferimus, multam profecto similitudinem deprehendemus. Nam:

1. *Sol Abraxeus* fere idem est ac *Palmyrenus*.

2. *Hecate Abraxea* potest componi cum *Luna Gynaecomorpha Palmyrenorum*.

3. *Miles Galliceps* etsi formâ non congruat, idem tamen est re, ac *Deus Malachbelus Palmyrenorum*, ut vidimus ad *Lemm. Hierogr.* Sect. I. Cap. I. Art. 6. Pag. 204. 205.

4. *Aeon Abraxeus* habendus est re idem cum *Saturno*, sive *Belo Palmyrenorum*.

5. *Iaribolus Leontomorphus* plane respondet *Leoni Abraxeo*, in quo *Deum aquarum* et *rivorum* vidimus etiam ad *Lemm. Hierograph.* Sect. II. Cap. 3. Pag. 245. 246.

6. *Aglibolus Palmyrenus* potest componi cum *Harpocrate Abraxeo*, quem habitum fuisse *Demiurgum* demonstrant plurima, et singillatim *Gemmae*, quibus *Harpocrates* iste exsculpitur in medio plurimorum animalium, quasi modo ex *Chao* cum illo emersissent. Vide Sponium *Miscell. Erudit. Antiqu.* Pag. 16. Montfaucon *Ant. Expl.* II. 2. Tab. 125. Pag. 306. Caylus *Recueil* Tom. III. Tab. X. 2. Matter Tab. *Abrax.* VII. n. 5. etc.

7. *Planetae* utrique *Pantheo* sunt communes. Ergo inter *Pantheum Abraxeum*, et *Palmyrenum* magna similitudo, et aequa congruentia intercedit.

Et propterea si *Pantheum Isiacum*, si *Mithriacum*, si *Palmyrenum* ad certas *Sectas* vel *Gentes* spectarunt, utique et *Pantheum Abraxeum* singulis his *Pantheis* simile et congruens

ad certam aeque et peculiarem sive *Sectam*, sive *Gentem* spectabit.

CAPUT VI.

Hierogrammata Abraxea a Saeculi primi Christiani fine ad sextum durasse, et ad Gentem sive Sectam valde numerosam, claram, notam, quae libere et publice eas conderet, et divenderet spectasse tenendum est.

ART. I. *Hierogrammata Abraxea* a Saeculi *primi Christiani fine ad sextum circiter perdurasse certum est.*

1. Primo, quia per ista ipsa saecula tres vel quatuor literae *Alphabeti Graeci* aliâ et diversâ formâ a recepta et vetere scribebantur, ut omnes, qui de Graecorum *Palaeographia* tractarunt iam animadverterunt: et ea ipsa est quae in *Lemmatibus Abraxeis* conspicitur: Scilicet C pro Σ, ω pro Ω, Ε pro Ε. Quin Graecum Ξ varia et incerta forma in his *Gemmis* fere semper exhibetur. Verum quidem est *Principem Turrismutiae* in *Iscrizioni* di *Palermo* Pag. 237. 238, etc. contendisse *formam* illarum *literarum* esse longe vetustiorem *Vespasianis*: Sed haud gravibus momentis mea sententia contendit. Quin etiamsi id verum esset, nil nostra interesset. Nam nos hic non de prima harum *formarum* origine, sed de usu late recepto et adoptato loquimur. Atqui nemo fuit, nec esse potuit, qui ante *Vespasianos* late adoptatam istam *Literarum formam* affirmaret.

2. Secundo, quia in *Alphabeto Abraxeo* receptum est V *Latinorum*, et quandoque R adhi-

betur, ac generatim etiam communium *Literarum* forma ad *Latinam* propius accedit, quod fieri non potuit, nisi *Romanorum* Imperio iamdiu in *Aegypto*, *Palaestina*, et *Syria* recepto, adeoque post aetatem Vespasianorum.

3. Tertio, quia in *Gemmis Abraxeis* frequentes sunt *Harpocrates*, et *Vir Cynocephalus*, qui ante finem Saeculi primi Christiani late recipi et probari non potuerunt. tum primum *Cultu Isiaco*, cuius etiam hi ipsi *Typi* sunt elementa substantialia. late recepto, et probato: quod nos etiam animadvertimus in *Dissertatione* de *Historia cultus Isiaci* in *Italiá* ad nostram Academiam Herculanensem lecta.

4. Quarto, quia a fine eiusdem primi Saeculi, et secundi potissimum initiis *Theurgi*, *Iatromagi*, *Philosophi Pythagorici*, et paullo post *Neoplatonici*, incredibili studio *Telesmata*, *Amuleta*, *Lemmata Barbarophona*, et *Apotropaea* quaesiverunt, condiderunt, promulgarunt, et iactarunt in Gentibus: Adeoque quum comperiamus *Hierogrammata Abraxea* prorsus consentientia cum *Hierogrammatibus Barbarophonis* et *Apotropaeis*. quae indicantur, vel referuntur a *Plinio*, qui floruit labente primo saeculo; a *Luciano*, *Galeno*, *Apuleio*, qui secundo: *Origene*, *Clemente Alexandrino*, *Sereno Sammonico*, *Plotino*, *Porphyrio*, qui floruerunt tertio saeculo; a *Iamblicho*, *Eusebio Caesariense*, *Iuliano Caesare*, *Marcello Empyrico*, qui quarto: a *Proclo Lycio*, *Aëtio*, qui quinto: a *Damascio*, et *Alexandro Tralliano*, qui sexto: plane certo tenere debemus per isthaec ipsa Saecula auctores et conditores *Gemmarum Abraxearum* floruisse et viguisse.

Art. II. *Gemmas Abraxeas spectasse ad Gentem vel Sectam valde numerosam, claram, quae publice et libere eas conderet, et divenderet dubitari non potest.*

1. Nam *Gemmas Abraxeas* tot, tantâque copiâ et varietate inspexerunt vel collegerunt Scaliger, Macarius, Salmasius, Kircherus, Chiffletius, Pignorius, Fabrettus, Cappellus, Sponius, Gorlaeus, Ebermayerus, Montfauconius, Caylus, Passerius, Winkelmanus, Matterus, aliique plures, ut absoluta necessitate fatendum sit Auctores, et Conditores earum ad *Gentem* vel *Sectam* claram, notam, valde numerosam, plurimis acceptam et gratam spectasse. Quaerere tot et tam varios *Lapides*, parare eos ad *Sculpturam*, *Hieroschemata* condere, *Lemmata* componere, omnia insculpere. et in universum fere Romanum Imperium spargere et tribuere, nisi multorum industria, multorum ingenio, et sollertia, multorum manu et ope fieri non potuit, et magis etiam fieri non potuit, nisi omni libertate civili, omnibus adiumentis socialis commercii gauderent. Quumque *Gemmae Abraxeae* sint plusquam *quinta* vel *sexta* pars omnium reliquarum *Gemmarum*, quae a primo vel secundo saeculo Christiano ad nos pervenerunt, tenendum propterea est ex omnibus *Sculptoribus*, *Artificibus*, et *negotiatoribus Gemmariis*, qui per quinque circiter saecula floruerunt per Romanum Imperium, *quintam* vel *sextam partem* ad minimum fuisse *Abraxeographorum*. Qui profecto haud levis et tenuis, sed plane ingens numerus est habendus: et eâdem propterea proportione servata dubitari nequit, quin inter plusquam mille

Myriades Capitum plurimi has *Gemmas* quaesissent, amassent, emissent. Et id quidem si *Gemmas Abraxeas* ad *quintam* vel *sextam* partem reliquarum omnium *Gemmarum* aestimamus. At Passerius iudex hac de re aequus, *pene tertiam* putabat. Haec enim Tom. II. *Gemmar. Astrifer.* Pag. 238. statuit: *Nec minimi ponderis habenda est ipsa pene immensa eorumdem Lapillorum copia ubique Terrarum dispersa; quae omnia pene Eruditorum Musea adeo infecit, ut pene tertiam partem inter veteres Gemmas occupet.* Certo igitur teneamus *Gemmas Abraxeas* spectasse ad *Gentem*, vel *Sectam* industrem, claram, notam, et valde numerosam.

CAPUT VII.

Cultum Angelorum in Stellis et Planetis, sive Asterolatriam Angelocraticam, quae, ut animadvertimus, fuit Systema Theologicum Abraxeographorum, plures ex Gentilibus Hebraizantibus, plures ex Iudaeis Ethnicophilis iam saltem ab aetate Apostolorum impense probasse, et tenuisse certo tenendum est.

Art. I. *Elementa Mundi* Στοιχεια του Κοσμου, *in Epistolis B. Pauli Apostoli ad Galatas Cap. IV. v.* 3.9. *et ad Colossens. Cap. II. v.* 8.20: *esse non possunt directe et proprie Ritus et Caeremoniae Legis Mosaicae, ut plurimi hactenus autumarunt.*

1. Primo, quia nemo umquam appellavit Στοιχεια *Ritus*, *Caeremonias*, *praecepta*, *leges* alicuius *Gentis*, vel *Sectae*,

2. Secundo, quia huiusmodi Στοιχεια dicuntur του Κοσμου *Mundi*. Atqui *Leges Hebraeorum*, fuerunt *propriae*, et peculiares *Hebraeis*. Quin insuper fuerunt penitus adversae *Legibus* et *Ritibus* omnium reliquarum Gentium; quod non modo Doctores Christiani *Hottingerus*, *Spencerus*, *Seldenus*, *Witsius*, *Pfaffius*, aliique innumeri animadverterunt, et solidissime demonstrarunt; Sed ipsi *Gentiles* iratissimi id senserunt, et adeo *Hebraeos* perpetuo oderunt odio teterrimo et pertinacissimo: Quia *Deus non fecit taliter omni Nationi*, *et Iudicia sua non manifestavit eis*: Psalm. CXLVII. v. 20.

3. Tertio, quia *Ritus*, et Caeremoniae *Hebraeorum* non possunt dici *principia*, initia, *rudimenta*, et exordia *Legum Mundi* ex quocumque possibili respectu. Non relate ad ipsos *Hebraeos*, quibus non *initia*, et exordia sunt illae *Caeremoniae*; sed plane substantia, et fundamentum vitae omnis, et totius aevi, quum *Legem Mosaicam* aeternum duraturam putent. Non relate ad *Christianos*, qui possunt *Ritus* omnes *Iudaicos* ignorare absque discrimine Salutis aeternae, et qui si eos Ritus amplecterentur et exercerent consulto Christianam Religionem exsuerent. Non relate ad *Gentiles*, ad quos minime spectant, sive velint in Religione sua manere, sive velint *Christianam* Professionem complecti. Tum *Ritus* et *Sacramenta* novae *Legis* haudquaquam ita superstructa sunt Caeremoniis et *Ritibus Legis veteris*, ut unum Corpus efficiant, et servata in ea maneant, ut *Rudimenta*, et universa *Scientia* Astronomiae unum corpus efficiunt. At *Ritus Iudaici* umbra tantum *Futurorum* penitus evanuerunt ubi *Christi* Domini *Lux* effulsit. Neque porro

Leges Hebraeorum Rituales dici possunt *Elementa* et *Rudimenta Mundi*, et initia *Legislationis humanae* ratione *Temporis* et vetustatis. Nam et fuisse *leges Rituales* et *Liturgiam Adamo* et *Patriarchis* Antediluvianis certum est, et fuisse *Noachidis* certum est, fuisse *Abrahamo*, *Isaaco*, *Iacobo* certum: Fuisse porro plurimis Gentibus *Assyriis*, *Syris*, *Chaldaeis*, *Aegyptiis*, *Palaestinis* ante *Exodum Hebraeorum* plures Leges *Rituales* et Caeremoniales ex ipsa *Lege Hebraeorum*, ut innuimus, patet, quae fere tota constituta est, ut *Ritus* Ritibus, *Caeremoniae* Caeremoniis opponerentur.

4. Quarto, quia *Apostolus* ad *Colossenses* Cap. II. v. 8. scribit: κατα την παραδοσιν των Ανθρωπων. κατα τα Στοιχεια του Κοσμου: Et v. 22. κατα τα ενταλματα, και διδασκαλιας των ανθρωπων. Atqui *Lex Hebraeorum*, Ritus *Mosaici* haudquaquam ex *Traditionibus humanis*, ex iussu et voluntate *Hominum*, sed voluntate, et quasi *voce Dei Opt. max.* sunt constituti.

5. Quinto, quia Epistolâ ad *Galatas* Cap. IV. v. 8. 9. *Elementa Mundi* conferuntur cum *Diis*, quos antea *Galatae* coluerant: Atqui *Dii Galatarum* non fuerunt profecto *Ritus* et *Caeremoniae Iudaicae*. Ait enim v: 8. *Sed tunc ignorantes Deum, iis qui natura non sunt Dii serviebatis* v. 9. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena Elementa, quibus denuo servire vultis?* Ergo *Elementa Mundi* Στοιχεια του Κοσμου *B. Pauli* Apostoli nullo pacto sumi possunt pro *Ritibus* et *Caeremoniis* Iudaicis proprie et directe.

Art. II. *Elementa Mundi in Epistolis B. Pauli Apostoli esse nequeunt Rudimenta Doctrinarum, Principia Philosophiae, Initia Scientiarum.*

1. Primo, quia hoc sensu nemo umquam sumsit *Voces* Στοιχεια του Κοσμου, nec potuit aliquis iure sumere. Suntne, quaeso, *Rudimenta* de *Mundo*, quae agant de *Mundo*, an potius quae habeant *Mundum* Auctorem? Atqui vis et potestas *Vocis* Polydynamicae του Στοιχειου necessario definienda est a *Voce* adiecta: Atqui *Vox* Κοσμος omnino potestatem illam obtrusam longissime reiicit, et expellit.

2. Secundo, quia Divus *Paulus* ad *Galatas* Cap. IV. v. 3. scribit: *Et nos quum essemus parvuli sub Elementis Mundi eramus servientes.* At quid, cedo, est servire *Principiis Metaphysicis*, *Exordiis Ethicis*, et *Rudimentis Politicis*?

3. Tertio, quia nemo servit *Principiis Metaphysices*, *Rudimentis Physices* observando *Dies*, et *Neomenias*, et *Sabata*, et *Annos*, vel hunc, aut illum *Cibum* discernendo: Atqui haec *Apostolus* ad *Colossenses* C. II. v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam, secundum Elementa Mundi, et non secundum Christum.* v. 16. *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte Diei festi, aut Neomeniae, aut Sabatorum.* v. 20. *Si ergo mortui estis cum Christo ab Elementis huius Mundi, quid adhuc tamquam viventes in Mundo decernitis.* v. 21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.*

4. Quarto, quia ipsemet *Apostolus* satis aperte discrevit *Philosophiam* ab *Elementis* Mundi scribens Cap. IV. ad *Coloss.* v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fal-*

laciam , secundum Traditionem hominum , secundum Elementa Mundi, et non secundum Christum. Ergo si *Philosophi* decipiunt fallacibus argumentis secundum *Elementa Mundi*; utique ista *Elementa Mundi* alia ab ipsis Argumentis et *Lemmatibus Philosophicis* esse debuerunt.

Art. III. *Elementa Mundi* Στοιχεια του Κοσμου *B. Pauli Apostoli habenda omnino sunt proprie et directe Astra Coeli singillatim Zodiacalia, et Planetae.*

1. Primo , quia utraque *Vox* hac sententiâ , ex intima sua significatione et solemnissimo usu recte et eleganter sumitur : quod iam animadverterunt pluribus viri doctissimi Salmasius *de Annis Climatericis* Pag. 576. ad 582. Valesius *ad Eusebii Histor. Eccl.* lib. III. cap. 31. p. 110. et Menagius *ad Diogen. Laertium* Libr. VI. Seg. 102. Pag. 268. nosque ipsi innuimus in *Fundamen. Hermeneuticis* Pag. 146.

2. Secundo, quia in Epistolis *Apostoli Elementa Mundi* arcte adnectuntur *Observationibus Dierum*, et *Sabatorum*, et *Neomeniarum* , et *Temporum*, quae intime et necessario pendent a *Planetis* ; et *Astris Coeli*. Epistolâ ad *Galatas* Cap. IV. v. 9. legimus : *Nunc autem cum cognoveritis Deum , imo cogniti sitis a Deo , quomodo convertimini iterum ad infirma et egena Elementa, quibus denuo servire vultis* : v. 10 : *Dies observatis, et menses , et tempora, et annos*. Epistolâ ad *Colossenses* Cap. II. v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam , secundum traditionem hominum , secundum Elementa Mundi , et non secundum Christum.* v. 16. *Nemo ergo vos iudicet in cibo , aut in potu , aut in parte Diei Festi,*

aut Neomeniae, *aut Sabatorum*. Atqui *Dies*, *Neomeniae*, *Menses*, *Anni*, *Tempora* facta omnino sunt a *Planetis*, et *Astris* potissimum *Zodiacalibus*, et sapientissime et necessario *Apostolus* has superstitiosas observationes damnans earum *Caussas effectrices* damnare pariter debuit. Et quoniam *Tempora* ab unis *Astris* et *Elementis* Στοιχειοις του Κοσμου sunt facta, palam est *Elementa Mundi* in his *Epistolis Apostoli* esse non posse nisi *Astra Mundi*.

3. Tertio, quia ad *Galatas* Cap. IV. v. 8. haec scripta: *Sed tunc quidem ignorantes Deum iis, qui natura non sunt Dii serviebatis*. v. 9. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena Elementa, quibus denuo servire vultis?* v. 10. *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos*. Scilicet *Galatae* antequam fierent Christiani serviebant *Diis*, qui spectata sua *Natura* intima non essent *Dii*, et hi ipsi *Dii* sunt *vacua*, *et egena Elementa Mundi*, ad quae iterum convertuntur. Atqui *Astra Coeli* minime *Dii* sunt naturâ suâ, sed tantum creaturae, et opera magni *Dei*. Tum *Dii*, qui coluntur superstitiosa *observatione Dierum*, *Mensium*, *Annorum*, *Temporum* omnino necesse est esse *Astra Coeli*, a quibus sunt *Tempora* facta, et ob quae stulte putarent eos esse colendos, tum ut beneficium agnoscerent, et quasi occuparent, tum ut in effectibus *Caussas* colerent et venerarentur. Praeterea certum est aetate *Apostolorum* per totam *Phrygiam*, *Pisidiam*, *Cappadociam Lunam* potissimum et *Mensem*, et adeo *Solem* et Sidera fuisse impense et superstitiossime culta: quod vel ex iis quae nos animadvertimus ad *Lemm. Hierographic*. Sect. I. Cap. I. pag. 201. 202. etc.

abunde patet. Quamobrem dubitari non potest τα Στοιχεια του Κοσμου in *Epistolis B. Pauli Apostoli* esse *Astra* et *Sidera Mundi.*

4. Quarto, quia S. *Ioannes Chrysostomus* Homilia in *Epistolam ad Colossenses* Tom. XI. Oper. Pag. 365. 366. haec adnotat: Κατα τα Στοιχεια του Κοσμου, και ου κατα Χριστον, τεως του ελεγχου άπτεται της των ἡμερων παρατηρησεως, Στοιχεια Κοσμου ἡλιον, και σεληνην λεγων. Καταπερ και εν τῃ προς Γαλατας ελεγε: Cap. IV. v. 19. Πως παλιν επιστρεφετε επι τα ασθενη και πτωχα Στοιχεια: και ουκ ειπεν ἡμερων παρατηρησεις, αλλα δια ὁλου του Κοσμου του παροντος: ἱνα το ευτελες δειξῃ: ει γαρ ὁ Κοσμος ουδεν, πολλω μαλλον και τα Στοιχεια. *Secundum Elementa Mundi, et non secundum Christum: Iam attingit reprehensionem Dierum observationis, Elementa Mundi Solem et Lunam dicens: Sicut etiam dicebat in Epistola ad Galatas* IV. cap. v. 9. *Quomodo convertimini ad infirma et egena Elementa: Et non dixit Dierum observationes, sed totius Mundi praesentis; ut ostendat quam sit res vilis. Nam si Mundus nihil est, multo magis Elementa.* Porro *Oecumenius Commentario* in *Epist.* ad *Coloss.* C. II. v. 9. Tom. II. Pag. 129. 130. adnotat: Κατα τα Στοιχεια του Κοσμου: Στοιχεια δε φησι Κοσμου Ἡλιον, και Σεληνην, δια ὧν τοις αφροσιν αἱ των ἡμερων παρατηρησεις. *Elementa autem dicit Solem et Lunam, per quae insipientibus sunt Dierum observationes.* Tum Divus *Hieronymus Commentario in Epist. ad Galatas* Tom. VI. Operum Ed. Plantini Pag. 138: haec monet: *Elementa Mundi Coelum et Terram, et ea quae intra haec sunt Plerique appellata putant, quod videlicet Solem, Lunam, Maria, Sylvarum et Montium Deos, et Barba-*

rae Nationes, Romanique omnium Superstitionum sentina venerentur: A quibus quum Christus venerit liberamur. Tum Epistolâ 150. *ad Hedibiam* Tom.III. Oper. P.47. ipsemet *Elementa* (στοιχεια) *Planetas* vocat scribens: Quam (Hebdomadam) *Ethnici Idolorum, et Elementorum nominibus appellant.* Quin etsi *Theodoretus Commentario in Epist. ad Galatas* videatur primo intuitu iis favere, qui Στοιχεια του Κοσμου *Ritus Iudaicos* habeant, revera cum *Chrysostomo*, et aliis sentiebat: Haec enim Oper. Tom. III. Pag. 278. scripta sunt: Στοιχεια γαρ του Κοσμου τας Νομικας παρατηρησεις εκαλεσεν, επειδη περ απο ἡλιου, και σεληνης νυξ τε και ἡμερα τελειται, απο δε ἡμερων ἑβδομαδες, και μηνες, και ενιαυτοι συνιστανται. ὁ δε Νομος και σαββατα, και νουμηνιας, και ενιαυσιαιους ἑορτας, και ενιαυτων ἑβδομαδας φυλαττειν εκελευσε. Τουτου χαριν ειπεν: ὑπο τα Στοιχεια του Κοσμου ημεν δεδουλωμενοι; επειδε δια τουτων ὁ χρονος συνισταται. *Elementa autem Mundi Legales Observationes appellavit, quia a Sole, et Luna Nox et Dies perficitur, a Diebus autem Septimanae, et Menses, et Anni conficiuntur. Lex autem et Sabbata, et Novilunia, et Annorum Hebdomadas servare iussit: Ideo dixit sub Elementis Mundi nos eramus servientes: Quoniam per haec* (Elementa Solem et Lunam) *Tempus consistit.* Commentario praeterea *in Epistol. ad Coloss.* Pag. 352. haec adscripsit: Στοιχεια δε του Κοσμου την των ἡμερων παρατηρησιν. Απο γαρ ἡλιου και σεληνης ἡμεραι και νυκτες. *Dixit autem Elementa Mundi observationem dierum, quia per Solem et Lunam sunt Dies et noctes.* Etiam *Theodoretus* igitur vir sane doctissimus primario et *directe* habuit et dixit

Solem et *Lunam* Στοιχεια του Κοσμου, in Epistolis B. *Pauli* Apostoli.

Art. IV. *Nonnullae difficultates elevantur, et explicantur.*

1. At, inquies. primo, si Στοιχεια in *Epistolis Apostoli* sunt *Astra*, et *Planetae*, quomodo *Epist. ad Galat.* Cap.IV. v.3. scribit: *Ita et nos quum essemus parvuli sub Elementis Mundi eramus servientes*? Itane aliquando *Paulus* servivit *Militiae Coeli*? Atqui, respondeo, non omnis *Servitus* est *Idololatria*, nec omnis *Observatio Planetarum* et *Siderum* est *Servitus Idololatrica*, sed omnis *Observatio* superstitiosa *Siderum* et *Planetarum* est *Servitus*. Aetate *Pauli* Sectâ *Pharisaeorum* potente, Δευτερωσει constituta, et elementis *Astronomiae* Graecae adoptatis, infinita curiositate, summa superstitione, et per plures saepe lites, et iurgia, *Planetae*, et *Sidera* observabantur, ut constituerentur *Neomeniae*, *Sabatorum* initia, et *Festa* reliqua. Et probabile est ipsum *Paulum*, olim summum zelotem *Legis*, vel ex iugis montium *Ciliciae*, vel saltem ex tecto *Domus* initia *Neomeniae*, et *Lunam* orientem insomnem exspectasse, et spectasse: Quae omnino est illa *Servitus* erga *Elementa Mundi*. quam iure damnat *Paulus Christianus*. Quum igitur qui curiose et superstitiose attendunt, ut observent *Tempora liturgica* vere et eleganter dicantur *servire Planetis*, et *Astris Coeli*. Στοιχειοις του Κοσμου, per quae illa *Tempora*, et sunt facta, et circa quae *observationes* illae fiunt; quia *Iudaei* aetate *Pauli Apostoli* curiose, et superstitiose *Tempora* ex *Astris* et *Planetis* observabant, quae misera est *Servitus*; Vid.Clementem Alex.*Strom.*VI.P.636. Ideo rectissime et vere *Paulus* scripsit: ***Et nos ...sub Elementis Mundi eramus servientes.***

2. Obiicies secundo : At si *Elementa Mundi* sunt *Astra Coeli* quomodo ad *Galatas* Cap. IV. v. 9. dicuntur *vacua et egena Elementa*, ασθενη και πτωχα Στοιχεια ? Immo summa et verissima ratione. *Iudaei* enim *Ethnicophili*, et *Gentiles Hebraizantes* non de nihilo tam superstitiose *Planetas*, ac *Sidera*, et *Tempora* ab eis facta observabant : Sed quia putabant etsi absurde occupari et regi pleraque ab *Angelis*, vel *Archangelis*, ut dictum est Sect. hâc Cap. I. Pag. 293. 294. et dicetur amplius , a quibus omne donum , omne bonum, omnis fortuna Hominum penderet , et dispensaretur. Atqui nec ab *Angelis* reguntur et gubernantur *Sidera* , nec ab eis bona et fortunae Hominum pendent et dispensantur , sed prorsus verissime sunt ασθενη και πτωχα στοιχεια: Quum ab uno summo *Deo* Opt. Max. et Homines et eorum fortunae penitus et intrinsece pendeant.

3. Tertio oppones : Si *Epistolâ ad Coloss.* Cap. II. v. 8. scriptum est : *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam, secundum Traditionem hominum , secundum Elementa Mundi , et non secundum Christum* : Quis facile ista *Elementa Mundi* dicet *Sidera*, et *Planetas Coeli*? Immo plane et necessario: Nam superstitiosi Homines , qui imponebant severas et minutas observationes *Dierum*, *Neomeniarum*, *Temporum* non faciebant arbitrio , et voluntate sua, sed conabantur id suadere per rationes *Philosophicas*, et *Astronomicas*, secundum ipsum *cursum* , ipsas *coniunctiones* , *occursus* , *oppositiones* , et *apparitiones Planetarum* , et *Siderum*, sive *Elementorum Mundi*. Adeo ut hîc *Elementa Mundi* perspicue potius sint *Astra Coelestia*.

4. Obiicies quarto : At si *Epistolâ* potissimum *ad Galatas* non agit tantum , sed plane disse-

rit *Paulus* de *Lege* et *Caeremoniis Hebraicis*, quid facere possunt ad haec *Planetae*, et *Sidera Coeli*? Immo plurimum. Nam *Neomeniae*, et alia *Festa* Hebraeorum intime pendebant a *Planetis*, et *Sideribus*, et secundum *Elementa Mundi*, κατα τα Στοιχεια του Κοσμου erant constituenda et decernenda. Quae constitutio et observatio, quum facta esset curiosa, superstitiosa, molesta, gravis: ideo iure libertatem a *Christo* Domino partam extollit *Apostolus*.

ART. V. *Religio Angelorum*, *quam Divus Paulus ad Colossenses scribens vehementer damnat*, *habenda est ipsa Religio Astrorum*, *et Elementorum Mundi*.

1. Primo, quia Cap. II. huius *Epistolae Angeli*, et *Elementa Mundi* ita coniunguntur, ut palam sit utraque ad unum *Systema Theologicum* spectare. Scriptum est enim v. 18: *Nemo vos seducat . . . in Religione Angelorum*: etc. et v. 20. *Si ergo mortui estis cum Christo ab Elementis huius Mundi*, *quid adhuc tamquam viventes in Mundo decernitis?* Ergo Religio *Angelorum* est ipsa *Religio Elementorum Mundi*. Praeterea v. 8. scriptum fuerat: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam*, *et inanem fallaciam*, *secundum Traditionem Hominum*, *secundum Elementa Mundi*, *et non secundum Christum*: et v. 15. *Et exspolians Principatus*, *et Potestates* (Angelos nempe) *traduxit confidenter*, *palam triumphans illos in semetipso*. v. 16. *Nemo ergo vos iudicet in Cibo*, *aut in potu*, *aut in parte diei Festi*, *aut Neomeniae*, *aut Sabatorum*. Scilicet Observationes superstitiosae *Dierum* et *Temporum*, ut ad *Elementa Mundi*, ita aeque ad *Principatus*, et *Potestates*, sive ad

Angelos spectabant: Utque ad *Galatas* scribens *Apostolus* Cap. IV. v. 9. *Planetas*, et *Sidera vacua* esse et *egena Elementa* declaraverat, ita hic *vacuos*, et *egenos Angelos*, sive *Principatus* et *Potestates expoliatos*, *triumphatos*, et *evacuatos a Christo* manifestavit. Quamobrem si *Angeli*, et *Elementa Mundi* coniunguntur, si curiosae *observationes Dierum* aeque ad *Angelos*, ac ad *Elementa Mundi* spectant, utique *Angeli*, et *Elementa Mundi* ad idem *Systema Theologicum* spectant.

2. Secundo, quia si certum est *Galatas*, et *Colossenses*, quum erant adhuc *Gentiles*, coluisse *Sidera* et *Planetas Coeli*, aeque certum habendum est coluisse deinceps in eis *Angelos*, et *Potestates Iudaeorum*, vel illis similes. Nam si in illis iterum *Deos* summos Gentium *Bacchum*, *Iovem*, *Mercurium*, *Venerem* coluissent, exuissent penitus *Religionem Christianam*, nec Sanctus *Apostolus* potuisset iis verbis ad eos uti. At quum *Angeli* orthodoxe coli potuissent ab *Hebraeis*, orthodoxe a *Christianis*, et Galatae in modo tantum, et sede, et potestate aberrarent, ideo rectissime eos *Apostolus* increpavit, et ad *orthodoxiam* perducere conatus est. Nec obstat, quod ipse *Paulus* ad *Galatas* Cap. IV. v. 8 et 9. dicat eos scilicet iterum *servire Diis*, quos reiecerant. Nam hic *Apostolus* non *Spiritus*, et, si dicere fas est, non animas illorum *Pseudo-Deorum* spectavit, sed *corpora*, *formas*, species, quibus apparerent, nempe *Astra* et *Sidera* Coeli. Quin etiamsi *Galatae Angelos Hebraeorum* in Astris coluissent, recte potuit *Paulus* affirmare eos ad veterem suam *Idololatriam* rediisse, quia *cultus* etiam *Angelorum* non Orthodoxus a Tertulliano, et aliis Patribus *Idololatria* iure appellatus fuit.

3. Tertio, quia doctissimus Pater *Hieronymus Epistola* 151. *ad Algasiam: Quaest.* 10. Tom. III. Oper. *Edit. Plantin.* pag. 433. ad illa verba: *Conversus autem Deus tradidit illos* (Hebraeos), *ut colerent Militiam Coeli*, *haec adnotat* : *Militia autem Coeli non tantum Sol appellatur, et Luna, et Astra rutilantia; sed et omnis Angelica multitudo, eorumque exercitus, qui Hebraice appellantur* צבאות TZBAUT *Sabaoth, idest Virtutum et exercituum....Et ut sciamus semper eos, qui colebant Idola, licet in Templo hostias viderentur offerre, non Deo eas obtulisse, sed Angelis per Ezechielem plenius discimus..., Et tradidit eos Deus, ut servirent Militiae Coeli, quae nunc* (Epist. ad Colossens. Cap. II. v. 18.) *ab Apostolo dicitur Religio Angelorum.* Et plane iure, ut patet ex pluribus locis Biblicis, quae collegit Iacobus Ode de *Angelis* Pag. 62. ad 71. in quibus *Militia Coeli* tum *Stellae*, tum *Angeli* appellantur. De qua *Religione Angelorum* sive *Theurgia* Veterum legi meretur egregius *Casti Innocentis Ansaldi* Tractatus; etsi in eo Auctor non egerit de *Angelolatria Asteromorpha*, sive *Asterolatria Angelocratica.*

Art. VI. *Iudaeos Ethnicophilos circa aetatem Apostolorum Angelos suos in Planetis et Stellis fuisse iam veneratos certum est.*

1. Primo, quia amplissima, et operosissima *Angelographia Astrologica*, et *Astrologia Angelocratica* Rabbinorum, cuius specimina dedit *Kircherus* in *Oedipo* Tom. II. Part. I. pag. 331. ad 350. et Tom. II. Part. 2. pag. 234. 235. quamvis absoluta videatur post Saeculum XI. Christianum, attamen longe vetustior dicenda est, et saltem *Apostolis* coaeva. Gens enim, quae

una tempora *Adami*, *Sethi*, *Noachi*, *Abrahami*, *Mosis* habet in ore, una sua vetera, una sua pristina tueri et servare profitetur, numquam toto veluti pondere, et gravissima superstitione in hanc *Astrologiam Angelocraticam* ruisset, nisi satis vetustae et antiquae eius origines fuissent penes suos.

2. Secundo, quia *Pharisaei* Secta Iudaeorum aetate *Apostolorum* valde numerosa, potens, spectata tum *Astrologiam*, tum *Angelos* impense colebat, ut *Serarius*, *Drusius*, *Scaliger* agentes de *Sectis Iudaeorum* iamdiu observarunt. Et quoniam certum aeque est de *Deo opt.max.* satis recte, quoad plurima, sensisse, et adeo in *Planetis*, et *Stellis* aliquos Gentium *Deos* ponere et constituere non potuisse, restat omnino eos tenuisse *Astrologiam* quamdam *Angelocraticam*, et *Angelos* suos in *Planetis*, et *Stellis* fixisse.

3. Tertio, quia ipsi *Esseni* videntur *Angelos* suos in *Stellis* et *Planetis* coluisse: Nam haec scribit *Iosephus Flavius* de *Bello Iudaic.* Lib. II, Cap. 12. pag. 785. πριν γαρ ανασχειν τον Ηλιον ουδεν φθεγγονται των βηβηλων; πατριους δε τινας εις αυτον (ἡλιον) ευχας, ὡσπερ ἱκετευοντες ανατειλαι: *Ante Solis ortum nil profani loquuntur. Sed patrias quasdam preces in eum* (Solem) *fundunt, quasi humiliter supplicantes, ut oriatur.* Et pag. 787. *exonerant ventrem* Esseni: περικαλυψαντες θοιματιον, ὡς μη τας αυγας ὑβριζοιεν του θεου: *cooperientes se veste ne radiis Dei contumeliam facerent.* Quae tam aperte *Essenorum Heliolatriam* ostendunt, ut *Salmasius*, *Serarius*, aliique plurimi, qui eos ab hac culpa liberare conati sint in manifestam potius veritatem peccasse dicendi sint. Si *Sol* dicitur ὁ θεος, si grave faci-

nus putatur *Radios Solis contingere* humanorum corporum *purgamenta*, quis dubitaverit quin *Esseni*, si minus ipsum *Deum* summum et exsuperantissimum, saltem sive *Filium*, et *Patris arcani faciem*, sive Vicarium, sive quamcumque aliam *Potestatem* magnam in *Sole*, quasi *Schekina*, Throno, et Tabernaculo collocasse? Et propterea si idem *Iosephus* Loc. cit. Pag. 786. testatur eos servasse dilingentissime της αιρεσεως αυτων βιβλια, και τα των Αγγελων ονοματα; tenendum plane est eos socios et comites et quasi *Militiam* dedisse *Soli* suo magno, et in *Planetis* propterea et *Astris Angelos* suos collocasse.

4. Quarto, quia *Origenes* Tomo, sive Sectione 14. *in Evangel. Iohannis* pag. 212. ex libro *Heracleonis*, qui ex alio libro. qui dicebatur *Praedicatio Petri* desumserat, recitat haec verba: Μητε κατα Ιουδαιος σεβειν το θειον, επειτερ και αυτοι μονοι οιομενοι επιστασθαι θεον, αγνουσιν αυτον, λατρευοντες Αγγελοις, και Μηνι, και Σεληνῃ. *Neque Iudaeorum more Deum colere, quoniam hi, qui soli Deum nosse putantur, ipsum revera ignorant, adorantes Angelos, Mensem, et Lunam.* Quae fere ipsa recitat etiam S. Clemens Alexandrinus *Strom.* VI. pag. 635. 636. Haec autem verba etsi nec omnes Iudaeos spectent, nec ea Divus Petrus protulerit, quum posteriora secundo saeculo Christiano esse nequeant, ingentis plane sunt ponderis, et auctoritatis, et mire firmant, quae paullo supra ex Epistolis Divi *Pauli* collegimus.

5. Quinto, quia Divus *Hieronymus* Saeculi quarti Christiani scriptor loco superius citato pag. 326. *Iudaeos* a vetustissimis potius temporibus ad *Pauli Apostoli* aetatem, imo ad suam, ut *Asterolatras*, et *Angelicolas* habuit. Idque vir summus, et qui diutissime inter *Iudaeos* vixit num-

quam dixisset . nisi plurima et evidentia argumenta ei praesto adfuissent.

6. Sexto . quia etsi *Colossenses* ad quos Divus *Paulus* scribit non fuerint *Iudaei*, plurimos tamen *Iudaeos* intime eis fuisse admixtos dubitari non potest. Plurimus enim est *Apostolus* in damnandis , ut innuimus, observationibus *Legis Mosaicae* , quae ab unis *Iudaeis* poterant edoceri, vel exerceri. Atqui cultum *Angelorum* , et *Angeloduliam Asterocraticam* intime coniunctam fuisse hisce *Legis* observationibus tradit *Apostolus* Cap. II. v. 8. 15. 16. etc. ut nos abunde vidimus paullo supra. Pag. 324.325. Ergo iam tum *Iudaeos*, et plurimos *Gentiles Iudaizantes* vehementer addictos fuisse *Angeloduliae Astrologicae* dubitari non potest,

SECTIO II.

GNOSTICIS HAERETICIS CHRISTIANIS GEMMAE ABRAXEAE HAUDQUAQUAM TRIBUI POSSUNT,

CAPUT I.

Primo, quia Gnostici Haeretici fuerunt arcani, obscuri, invisi, in plurimas Sectas divisi, pauci numero, et quarto saeculo Christiano potissimum in Syria et Aegypto vel nulli, vel fere nulli,

Art. I. *Haeretici Gnostici fuerunt secreti, cryptici, obscuri,*

1. S. Irenaeus adv. *Haereses*. Libr. I. Cap. 24, pag. 102. *de Basilide* agens ex vetere versione inquit : *Et sicut Filium incognitum omnibus*

esse, sic et ipsos a nemine oportere cognosci: Sed quum sciant ipsi omnes, et per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles et incognitos esse: Tu enim, aiunt, omnes cognosce, te autem nemo agnoscat. Quapropter parati sunt ad negationem . . . . . . Non autem multos scire posse haec, sed unum a mille, duo a myriadibus. . . . Et non oportere omnino ipsorum Mysteria effari, sed in abscondito contineri per silentium. Similia habet de eodem *Basilide* S. Epiphanius *Haeres.* XXIV, pag. 72. Theodoretus *de Haeret. Fabulis* Tom. IV, Oper. pag. 370. et Eusebius *in Histor.Eccles.* Lib.IV.Cap.7.Pag.88. 2 Praeterea Tertullianus adversus *Valentinianos* Cap. I. pag. 153. *Nil magis curant*, Valentiniani, ait, *quam occultare, quod praedicant, si tamen praedicant, qui occultant . . . si scire te subostentas negant quidquid agnoscent . . . Nec Discipulis propriis ante committunt, quam suos fecerint. Habent artificium, quo prius persuadeant, quam edoceant.* 3. De arcano *Carpocratianorum* agit S.Epiphanius *Haeres.* XXVII, pag. 106. et ita porro. Atqui dato hoc *Arcano*, dato tam profundo *Doctrinae Crypticismo* non tantum difficile est, sed impossibile *Haereticos* huiusmodi condidisse *Gemmas*, quibus *Emblemata* Systematis sui insculperent, et late spargerent in plures Gentes. Nam *Gemmae insculptae* sunt essentiâ suâ publicae et manifestae, et ubi sunt multae tantus rumor et strepitus, tanti clamores, tot diverbia fieri necesse est Sculptorum, auctorum, quaerentium, ementium, vendentium, huc illuc circumcursitantium, ut saepius ad Tribunalia et Iudices sint rapiendae.

2. Qui autem putant *Crypticismum* illum et *Arcanum Gnosticorum* gravissime imminui ex eo

ipso, quod *Patres* et *Historici* plurima et saepe minuta noverint, plane errant. Nam primum *Lex Cosmologica* est, *omnia* manifestanda, nil esse *occultum*, quod non *reveletur*. Adeoque potuerunt esse *mysteria* profundissima, et quae deinceps ex legibus divinae providentiae panderentur. Secundo, quod certum est plurima et secretissima *Patres* et *Historicos* Orthodoxos scisse a *resipiscentibus* et *poenitentibus*, ab iis qui postquam initiati fuissent mysteriis impietatis resipiscentes singula sincere *Patribus Catholicis* exposuerint: Quod singillatim factum testatus est S. Irenaeus Libr. I. pag. 63. 65. et alibi etc. et S. Epiphanius de semetipso etiam aliquando loquens *Haeresi* XXVI. §. 17. pag. 99. 100. est fassus.

3. Neque porro aliquid est adversus illud *Arcanum Gnosticum*, quod certum sit *Basilidem*, *Valentinum*, aliosque fere omnes *Scholarum Gnosticarum* Conditores plures libros *Doctrinae* suae conscripsisse, et in vulgus emisisse. Nam aeque certo tenendum est in his *Libris* fuisse tantum praeludia *Doctrinae*, et quaedam *Prolegomena exoterica*, ad parandos discipulos, et pertentandos animos, ad declinandam invidiam, non ad penitus edocendos, et instruendos absolute discipulos idonea et opportuna.

Dato autem, ut dicebamus, *Crypticismo Gnostico Gemmae Hierographicae* et *Gnosticae* per plurimas Regiones dispersae et servatae dari non possunt, et sunt mutuo intrinsece ἀσύστατα. Et absurde etiam cogitant, qui *Gemmas* huiusmodi quasi *Tesseras*, et *Signacula* habent, quibus *Initiati* et *Sectarii*, mutuo se se agnoscerent; quasi per immanes Terrarum tractus se se essent invisuri: Haud animadvertentes *Tesseras* esse necessario *characteristicas*, prorsus *uniformes*,

et sibi invicem simillimas: et contra *Gemmas Abraxeas* esse invicem *varias*, et magna parte discrepantes, et nullos *characteres Gnosticismi* cuiuscumque *Sectae* praeseferre, ut paullo post singillatim etiam animadvertemus.

ART. II. *Haereticos Gnosticos invisos atque exosos ceteris Sectis, et Gentibus extitisse certum est.*

1. Nam *Systema Gnosticorum* radicitus adversatur *Theologiae Hebraeorum*, quorum *Deum Conditorem* Mundi faciebant *Daemonem* quemdam insipientem, et superbum, pertinacem ac refractarium, et a *Deo* vero et summo penitissime remotum, et penitissime alium atque diversum. 2. Adversabatur etiam gravius *Theologiae Christianorum*, quibus est idem *Deus Hebraeorum*, et quod errores et blasphemias plurimas eructarent de *Divinis Personis*, et de *Redemtore Iesu Christo*. 3. Adversabatur etiam Religioni *Persarum*, *Syrorum*, *Aegyptiorum*, *Graecorum*, *Latinorum*, quibus omnibus *Sol*, *Luna*, *Planetae*, et *Astra* cetera erant Corpora bona, utilia, Dii salutares, Angeli auxiliares; quum contra essent *Gnosticis* Corpora mala, sedes *Archontum* pessimorum. et *Spirituum* nequissimorum, unde atrox Tyrannis in Homines, et omnia mala in Terris derivarentur.

2. Exercebantur porro a *Gnosticis haereticis* ex fundamentali *Haereseos* dogmate et instituto, ex arcana Αυτρωσεως *Gnosticae* Formula, (מכר MKR, חלב CLB). quae in *Mytho* servatur apud S. Epiphanium *Haeres*. XXVI. pag. 84. et quae in Formulis *Bafometicis* in *Mines de l' Orient* Tom.VI.Pag.9.10.11.est etiam agnoscenda saltem in τω מנכר MNKR; tam infames mores ex

sua *Liturgia arcana* eis erant, ut nulla esse potuit Gens humana et in civilem societatem composita, quae eos vehementer exsecrari non debuisset. Et id prorsus factum acres querelae virorum summorum *Origenis* contra *Celsum* Lib. VI. pag. 296. *Eusebii* Caesariensis in *Histor. Eccl.* Libr. IV. Cap. 7. pag. 88. et Epiphanii *Haeres.* XXVII. Pag. 104. nos docuerunt: quum scilicet questi sunt plurimos *Gentiles* abhorruisse a societate *Christianorum*, renuisse Dogmata *Christiana*, quod omnes *Christianos* eorumdem morum putassent, quam impurissimos *Gnosticos* esse noverant. Ad quae si attendissent ii *Acatholici*, qui purgare a tam infandis impudicitiis *Gnosticos* haereticos susceperunt, si ad essentiam Αὐτρώσεως *Gnosticae* cogitassent, si haec addidissent innumeris testimoniis omnium veterum *Patrum*, et *Historicorum*, constantibus, continuis, repetitis, si quid *Criterii historici* eis adfuisset, si quas *Leges Historosophiae* novissent, omnino ab iniustissima *Apologia* abstinuissent. Si igitur omnes Gentes odisse debuerunt, ut revera oderunt, *Gnosticos haereticos*, hos facere auctores et conditores *Gemmarum Abraxearum*, quas acceptissima Gens parare, condere, divendere, et propagare tantum potuit est prorsus absurdum.

Art. III. *Haeretici Gnostici divisi fuerunt in plurimas Sectas, quibus singulis fuerunt sua Vocabula, sua Lemmata, sua Hierogrammata, et a reliquis ex magna parte diversa.*

Id enim constat ex *Irenaeo*, *Tertulliano*, *Epiphanio*, *Augustino*, *Theodoreto*, *Philastrio*, *Ioanne Damasceno*, et aliis pluribus: Ex quibus possunt constitui plusquam *viginti Sectae Gnosticorum*, quibus singulis sint plurimi *Aeo-*

nes, *Potestates*, *Daemones* sui. sit *Lexicon* suum; *Formulae* suae, *Diagrammata* sua, *Hieroschemata* sua, *Ritus* et *caeremoniae* suae. Quin fuisse etiam *Sectas* huiusmodi longe plures, et fere innumeras ex *Tertulliano* de *Praescript.* Cap. 42. Pag. 127. *Irenaeo* Lib. I. Cap. 18. Pag. 96. et *Eusebio* in *Hist. Eccl.* Lib. IV. Cap. 7. Pag. 88. abunde constat. Atqui *Gemmae Abraxeae* uni prorsus sive *Sectae*, sive *Genti* sunt tribuendae, ut vidimus Sect. I. Cap. 5. pag. 301. etc., utque evidenter insuper colligitur ex paucitate *Typorum Theologicorum*, qui vix ad *octo* poterunt numerari, ut dictum est supra Sect. I. Cap. 2. Pag. 276. ad 284. Qui igitur generatim *Gnosticis* omnibus *Gemmas Abraxeas* tribuunt, quasi omnibus *idem Lexicon Theologicum*, et *eadem Liturgia* extitisset, Subiectum, quod volunt tractare, ignorant, et nulli propterea *Gnosticorum* Sectae revera tribuunt.

Art. IV. *Haeretici Gnostici etiam secundo et tertio Saeculo Christiano, quum maxime viguerunt, esse non potuerunt, nisi admodum pauci, et valde exiguo numero.*

1. Primo, quia ut demonstratum est Art. 2. pag. 330. 331. fuerunt *arcani et cryptici*, negantes qui essent, vel nomina falsa sibi imponentes, et infinita cautela pertentantes Curiosos, ut facerent suos: Atqui hac methodo, etsi diutissime durassent, paucissimos tantum ad se adiungere et adlegere potuissent. Etenim *Religiones*, sive *Sectae* religiosae non possunt vere propagari nisi praedicationibus solemnibus, concionibus publicis, sermonibus et alloquutionibus manifestis, frequentibus, continuis.

2. Secundo, quia fuerunt *invisi*, *exsecrati*, et *odiosi* omnibus ceteris *Sectis*, et Gentibus, ut demonstratum est Art.3.pag.332.333. Atqui nova *Religio*, ut a plurimis suscipiatur, aliqua parte debet cum veteri *Religione* convenire. Ita *Patres Christiani* constantissime demonstrare adlaborarunt, quod veteres *Poetae*, et *Philosophi Graeci* plurima a sanctis *Libris Hebraeorum* desumsissent, et surripuissent, et adeo plura apud eos inveniri illis similia, quae servantur in *Sanctis libris Hebraeorum*, ut adeo *discipulus Philosophiae* posset quasi manuduci, ut fieret *discipulus Christi*. At ut indicavimus supra Art.2.pag.332. *Systema Gnosticum* est reliquis omnibus penitus adversum et insociabile, et propterea non nisi paucissimi potuerunt illud adoptare, et amplecti.

3. Tertio, quia *Systema Gnosticum* est etiam *obscurum*, *arduum*, *abstrusum*, difficillimum captu etiam magnis Viris, ut ii ipsi tam ex Veteribus, quam ex Recentioribus et ingenue sunt fassi. Quin id vere ipsimet *Gnostici* fatebantur, aperte affirmantes, ut referunt *Irenaeus*, *Epiphanius*, et *Theodoretus* profunditates *Systematis* sui vix *unum* ex *Mille*, vix *duo* ex *Myriade* posse capere et tenere. Adeo ut *quinquaginta Basilidiani*, vel *sexaginta Valentiniani* habendi sint numerus plane amplissimus, et prorsus maximus talium *Haereticorum*.

4. Quarto, quia in suis *Mysteriis* egebant *Mulieribus*, quas adeo avidissime corrumpere satagebant. Atqui ubique difficile, in *Palaestina* vero, *Syria*, *Assyria*, ubi *Mulieres* semper acerrima cura custoditae fuerunt, plures ex his ad se pertrahere impossibile.

5. Quinto, quia *Systemata* erant plura, pugnantia, invicem adversa in *vocibus*, et formis, quâ mu-

tuâ pugnâ necessario fiebat *Proselytorum* inconstantia, et inde horror et fuga, quod sagaciter vidit Eusebius, ut dicemus paullo post.

6. Dices fortasse tot curas tot labores Patrum haud videri ad *quinquaginta* tantum *Basilidianos*. ad *sexaginta Valentinianos* referri, et plures *Patres* longe ampliorem numerum *Haereticorum* huiusmodi indicare. Respondeo tot curas et labores *Patrum* rectissime et sapientissime adhiberi potuisse etiamsi *decem* tantum *Basilidiani*, et *quindecim Valentiniani* extitissent. Etenim contra pestem deterrimam, etiamsi ea per *quatuor* vel *quinque* inferatur, nulli labori, nulli curae parcendum est. Et hinc factum, quod ratione immanis perversitatis *Tertullianus* ex.grat. *Valentinianorum* numerum quasi magnum habere videatur. At nemo plane probaverit fuisse ne *centum* quidem *Valentinianos*, quos acriter debellat fervidus iste *Afer*: et qui a *Gregorio Naziazeno*, in loco, quem mox proferemus, dicuntur τινες, aliqui, nonnulli. Et nemo porro negaverit *centum Haereticos* huiusmodi tam grave, tam pestilens, et periculosum esse malum, ut pii *Catholici* quasi de *exercitu* nequissimorum hominum agere debuissent.

Art. V. *Haeretici Gnostici potissimum in Syria, Palaestina, et Aegypto quarto Saeculo Christiano vel nulli erant, vel fere nulli.*

1. *Origenes* saeculi tertii Scriptor adversus *Celsum* libr. VI. pag. 293. affirmat *Celsum* hunc obiicere *Christianis* calumnias, quae non erant *Orthodoxorum*. αλλα τινων, ταχα ουδ' ετι οντων αλλα παντη εκλελοιποτων, και εις πανυ ολιγους και εναριθμητους etc. *Sed quorumdum* (nempe Gnosticorum potissimum Ophianorum) *qui bre*

vi non erunt, et ab omnibus relicti, et plane pauci, et qui prae exiguitate non sint numerandi. Tum eodem Libr. VI. Pag. 282. *Simonianos haereticos*, quos Libr.I. pag. 44. vix ad *triginta* numeraverat, hic *penitus defecisse* scribit: ουδαμου γαρ της οικουμενης Σιμωνιανοι.

2. S. *Epiphanius Haeresi* XXII. pag. 61. de *Menandrianis* agens, tum hos, tum *Simonianos* defecisse penitus satis perspicue docet. Et *Haeres.* XXXIX. Pag. 284. et 290. de *Sethianis* loquens, quos plures ex Patribus eosdem faciunt cum *Ophianis*, sive *Ophitis*, de quibus plurima fama et multi rumores fuerunt, dubitat an penitissime extirpati fuerint, et omnes eorum reliquiae disiectae.

3. *Eusebius* Caesariensis Libr. IV. Hist.Eccl. Cap. 7. pag. 88. omnes illas *Sectas Gnosticas* funditus eversas aetate sua scribit, nempe circa annum *Christi* 330. inconstantiam doctrinae, variationes perpetuas dogmatum, immanem numerum Systematum invicem pugnantium inter necessarias caussas ruinae et iusti excidii solita sua ingenii perspicacia recensens.

4. *Gregorius* Nazianzenus, qui circa annos Christi 370. maxime florebat *Orat.* XXIII. in *Heronem* Philosophum *Alexandrinum*, et qua aliqua habet de *Alexandria*, et *Palaestina*, quae ad rem nostram sunt plane opportuna Pag. 414. scribit: Ἠ'ν ὅτε γαληνην ειχομεν απο των αἱρεσεων, ἡνικα Σιμωνες μεν, και Μαρκιωνες, Ουαλεντ.νοι τε τινες, και Βασιλειδαι, και Κερδωνες, Κηρινθοι τε, και Καρποκρατεις, και πασα ἡ περι εκεινους φλυαρια τε και τερατεια . . . . επειτα κατεποθησαν τω ἑαυτων Βυθω, και τῃ Συγη παραδοθεντες, ὡσπερ ην αξιον. *Fuit iam tempus ex quo quietem, et pacem habebamus ab Haeresi-*

bus, *quia Simones*, *Marciones*, *Valentiniani quidam*, *Basilidiani*, *Cerdoniani*, *Cerinthiani*, *et Carpocratiani*, *et omnis eorum reliqua portentosa Garrulitas.....praeceps in suo Abysso absorpta est*, *et Silentio tradita est*, *ut aequum erat*.

Nec potest obiici *Scriptores* etiam V. et VI. Saeculi Christiani adhuc *Gnosticorum* mentionem iniicere. Nam, ut paullo supra dicebamus, sufficiunt *decem* vel *quindecim Gnostici*, ut distinctissima mentio *pestis nefariae* iniiciatur. At ad *Sectam* claram, insignem, magnam constituendam necessariae sunt *Chiliades Capitum*.

Quamobrem quum certum sit *Haereticos Gnosticos* etiam tertio saeculo Christiano fuisse exigui numeri, et penitus, vel fere penitus defecisse quarto, saltem in *Syria* et *Aegypto*: et contra demonstratum sit Sect. I. Cap.5. pag. 301.306. et Cap. 6. pag.313.314. *Gemmas Abraxeas* tribuendas esse uni sive *Genti* sive *Sectae* valde numerosae, clarae, quae viguerit usque ad sextum Saeculum Christianum, plane evidens est *Gemmarum Abraxearum* conditores, et negotiatores, quaesitores, amatores, qui ad plures *Myriades* numerabantur, fuisse prorsus alios, et penitus diversos a *Gnosticis Haereticis*; nec his nisi per summam absurditatem et iniuriam eas posse tribui.

CAPUT II.

Secundo, quia iniustum et irrationale est Gnosticis tribuere Gemmas Abraxeas, quas nemo Veterum eis attribuit.

Art. I. *Nemo ex Patribus, nemo ex Historicis Christianis, nemo ex Scriptoribus Gentilibus Auctores Gemmarum Abraxearum fecit vel habuit Haereticos Gnosticos.*

Nam diligenter excussis operibus *Iustini Martyris*, *Clementis Alexandrini*, *Pseudo-Clementis Romani*, *Irenaei*, *Origenis*, *Theodoti*, *Tertulliani*, *Eusebii*, *Epiphanii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Philastrii*, et aliorum; quin excusso Libro adversus *Gnosticos* a *Plotino* conscripto; excussis Fragmentis ipsorum *Gnosticorum Basilidis*, *Valentini*, *Heracleonis* etc. nil omnino colligi potest, quo possit suaderi *Gemmarum Abraxearum* auctores fuisse *Gnosticos Haereticos*: Quumque a postremis annis Saeculi XVI. usque ad hos ipsos annos, qui excurrunt, plurimi Viri literati, iique longe eruditissimi extitissent, qui *Gemmas Abraxeas Gnosticis* istis tribuerint, nemo tamen unus ex eis suscitare *unum locum* veteris *Scriptoris* valuit, *unum testimonium* adducere, unde illa origo auctoritate opportuna suaderi potuisset. Quamobrem prorsus certum est, ut dicebamus, neminem veterum Scriptorum *Gemmas Abraxeas Gnosticis Haereticis* tribuisse.

Art. II. *Atqui si Gemmae Abraxeae fuissent opus Gnosticorum, absoluta necessitate Patres et Historici Christiani centies eas Gnosticis huiusmodi tribuissent et obiecissent.*

Nam *Gemmae* hui smodi *Stemmata*, et *Em-*

blemata Sectae *Characteristica* , exhibuissent *Symbola* , et *Hieroschemata* Systematis, *Formulas* , *Lemmata Dogmatum* suorum , et propterea fecissent partem essentialem et necessariam eiusdem *Systematis*: Et de quibus adeo ad quemque ferme gradum omnino et pluribus agendum fuisset. Atqui impossibile est cohortem illam magnorum et sanctorum Virorum, qui summa diligentia Res *Gnosticorum* quaesiverunt , qui ipsa Verba et *Voculas* collegerunt, qui plurimos minutos et tenues Ritus descripserunt , partem essentialem et necessariam *Systematis Gnostici* praeteriisse, neglexisse , vel ignorasse : Ergo impossibile pariter est *Gnosticos haereticos* fuisse auctores et conditores *Gemmarum Abraxearum*, quas nemo eis adtribuit.

Art. III. *Refelluntur Obiectiones.*

1. At, inquies 1., S. *Irenaeus* Lib.I. Cap. 23. Pag. 100. de *Simone Mago* agens haec refert ex vetere versione.: *Imaginem quoque Simonis habent factam in figuram Iovis , et Helenae in figuram Minervae, et has adorant.* Eadem profert *Epiphanius Haeresi* XXI. Pag. 58. aliique. 2. Idem *Irenaeus* agens de *Basilidianis* Lib. I. Cap. 24. pag. 102. ait : *Utuntur autem Magia , et Imaginibus , et incantationibus* , etc. 3. Idem *Pater* agens de *Carpocratianis* Pag. 105. ait : *Et imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas habent , dicentes formam Christi factam a Pilato , illo tempore, quo fuit Iesus cum hominibus* ; *et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus Mundi Philosophorum* : *videlicet cum imagine Pythagorae , et Platonis , et Aristotelis , et reliquorum* ; *et reliquam observationem circa eas*

similiter ut Gentes faciunt. 4. Idem *Irenaeus* de *Marco* versiculos quosdam in eum factos recitat Pag. 80; quorum primi sunt: Ειδωλοποιε Μαρκε, και τερατοσκοπε » Αστρολογικης εμπειρε, και μαγικης τεχνης. 5. S. *Epiphanius* de *Nicolaitis* agens *Haeresi* XXV. Pag. 79. scribit: αυτοι εις ειδωλοποιιας τε, και εις μορφας, και εις ενυποστατικας αρχας, και, ώς ειπειν, ανδριαντοπλασιας τοις αφελεσι δια φαντασιας την πλανην ύποσπειροντες ανατυπουσιν εις ην της αισχρας αυτων και μυθωδους τεχνης ύποσποραν. *Voces Hebraicas et Graecas* claras et receptas hi *Gnostici ad Idola, et Formas, et subsistentia Principia, et, ut ita dicam, ad simulacrorum figmenta Rudibus phantasticos errores spargentes aptant; et quasi Typis exprimunt, ut turpes suas, et fabulosas artes latius propagent.* 6. *Origenes* contra *Celsum* Libr. VI. Pag. 282. testatur *Simonianos* εναδιαφορειν προς την ειδωλολατριαν: et hos ipsos et alios *Gnosticos* plurimos idem sensisse ex *Irenaeo*, *Tertulliano*, *Eusebio* colligitur. etc. etc. Quidni igitur, aiunt in chorum *Gnosticophili*, putemus hos *Haereticos* probasse et recepisse *Iconogrammata Harpocratis*, *Hecates*, *Anubidis*, *Militis Gallicipitis*? Vid. Bellermann *Bersuch* etc. II. pag. 10. ad 18.

1. Respondeo primo: Ponamus Haereticos istos *Gnosticos* revera erexisse plures statuas, plura simulacra *Diis*, vel *Aeonibus* suis; revera *Stemmata*, *Emblemata*, *Drammata Archontum* suorum condidisse, et adorasse, quid tum? Ergo coluerunt *Harpocratem*, et *Anubidem*? Graeci et Romani coluerunt Statuas et Icones plurimorum Deorum; ergo venerati sunt *Statuas Sivae, Vishnu*, *Buddae*, *Odini*, et *Thori*?

2. Secundo, quum in Fragmentis Librorum

Gnosticorum, *Basilidis*, *Isidori*, *Epiphanis*, *Valentini*, *Heracleonis* etc. quum in acerrima et minuta Analysi, vel alia quacumque expositione errorum et dogmatum *Gnosticorum*, quam protulerunt *Irenaus*, *Pseudo-Clemens Romanus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Iustinus Martyr*, *Tertullianus*, *Eusebius*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Philastrius*, aliique plures, numquam appareat, ut animadvertimus paullo supra, aliquis *Harpocrates* Gnosticus, aliqua *Hecate*, aliquis *Anubis*, aliquis *Gallus*, aliquis *Corvus Gnosticus*, quumque impossibile sit non apparere, si extitissent, certo tenendum est numquam revera extitisse. Quin si de *Statua Simonis* et *Helenae*, *Iovis* et *Minervae*, si de Iconibus *Christi* accuratissime *Patres* et *Historici* nos monuerunt, quidni multo accuratius et prolixius fecissent de *Harpocrate*, *Hecate*, *Anubide*, et aliis monstris *Abraxeis*?

3. Tertio, quia illi qui putant in *Verbo* εἰδωλολατρεία, quo utuntur *Irenaeus*, *Epiphanius*, et alii de *Gnosticis* agentes, *Idololatriam Graecam* vel *Romanam* contineri, haud multum gnari sunt *Linguae Graecae*, nec perspexerunt vim et potestatem *vocis* nobilissimam. Nam εἴδωλον est quaevis *species*, quaevis *forma*, *idea*, quae animo concipitur, quodvis *Drama* phantasticum, mirum, prodigiosum, ut ea ipsa sunt *Gnosticorum*: Adeo ut nulla *voce* magis eleganter et magis proprie possint appellari isti *Gnostici*, quam si appellentur εἰδωλολάτραι.

4. Quarto, quia ex his ipsis locis, et aliis pluribus *Patrum* Graecorum, ex his verbis *Tertulliani* de *Praescript*. Cap. 45. Pag. 127. quibus contra ipsos *Gnosticos* potissimum agit: Nempe: *Neque ab Idololatria distant Haereses, quum et*

Auctoris (Diaboli), *et operis eiusdem sint*, *cuius et Idololatria*: perspicuum est *Gnosticos* numquam fuisse vere et proprie *Idololatras*, et propterea numquam potuisse eos apponere *Nomina Dei* simulacris *Harpocratis*, *Anubidis*, *Hecates*, quae erant solemniter et *Idololatrice* a Gentibus culta. Et si a pluribus Patribus *Gnostici* accusantur, quasi *indifferentem*, sive nec licitam nec illicitam *Idololatriam* habuissent, inde maxime patet non fuisse *Idololatras* vere et proprie, nec efformasse *Gemmas Abraxeas*, quae non ab *indifferentibus*, sed ab acerrimis *Asterolatris* et pertinacissimis cultoribus *Imaginum* debuerunt condi et componi.

5. Quinto, quia *Gnostici Poneroctistici* ex intima natura *Systematis* sui non potuerunt esse *Iconolatrae*, *Somatolatrae*, *Asterolatrae*, nec potuerunt colere *Harpocratem*, *Anubidem* in *Gemma* viridi vel rubra, ut dicetur plenius paullo post Capite IV. Et profecto *Irenaeus* de *Ophitis* et *Sethianis* agens Libr. I. cap. 30. Pag. 110. 111. a *Potestatibus malis*, ab *Hebdomada pessimorum* Daemonum introductam Idololatriam eos tenuisse testatur: *Reliquam multitudinem hominum . . . . . ab inferiore Hebdomade in omnem malitiam immissam*, *et Apostasiam. . . . . et Idololatriam, et reliquam universam contemtionem*. etc. Et propterea cultum *Iconum* et *Simulacrorum*, qui aliquot *Gnosticis* obiicitur, vel fuisse *Civilem* et *Politicum*, vel ad rudes, imperitos, et *Semignosticos*, spectasse certo tenendum est. Nil igitur apud *Patres*, et *Historicos* Ecclesiasticos occurrit, quo possit quis rationali modo coniicere, quod *Gemmarum Abraxearum* Auctores vel ex levi et tenui parte fuissent *Gnostici*; quin innumera possunt desumi,

quibus penitus ab huiusmodi *Haereticis* abiudicentur et reiiciantur.

CAPUT III.

Tertio, quia, quum nil characteristicum et proprium Gnosticorum deprehendi possit in Gemmis Abraxeis, necessario absurdum et irrationale sit eas his ipsis Gnosticis tribuere.

Art. I. *Nulla Hieroschemata, nulla Hierodramata propria Gnosticorum in Gemmis Abraxeis conspiciuntur.*

Scilicet nullibi conspiciuntur *Diagrammata Pleromatis*, nullibi *contignationes* illae et *tabulata*, et *circuli concentrici*, ut utar verbis Tertulliani in *Valentinianos*: Nullibi apparent *Symbola Syzygiarum*, et sacrarum *Nuptiarum*; Nullibi *Enthymesis* ridet, flet, aestuat, angitur, abortum facit: Nullibi *Draco* aliquis magnus *homines vorat*, et *reiicit*: Et ita porro, per alias plurimas Scenas et Dramata, quae legi possunt apud *Irenaeum*, *Tertullianum*, *Epiphanium*, aliosque plures.

Art. II. *Nulla Vocabula characteristica, nulla Verba propria et peculiaria Gnosticorum in Gemmis Abraxeis leguntur.*

1. *Vocabula Graeca* a *Gnosticis* peculiari vi accepta sunt ex. gr. Αγεννητος, Νους, Προπατηρ, Φρονησις, Σοφια, Αρχαι, Εξουσιαι etc. etc. Βυθος, Συγη, Εννοια, Αληθεια, Χριστος, Σωτηρ, Πνευμα αγιον, Ζωη etc. etc. etc.

2. *Voces* vero *Barbaricae* et *Characteristicae*

sunt : *Barbelo*, *Prunicus*, *Achamoth*, *Armagil* , *Ialdabaoth* , *Kaulacau* , *Barcoph* , *Barcabba* : *Ampsiu*, *Auraan* , *Bucua* , *Thardau*, *Ubucua*, *Kukua* , *Thardeddin* , etc. etc. etc.

3. Atqui hae , et ceterae fere omnes similes , eaeque innumerae *Voces* , essentiales , propriae et *Characteristicae Gnosticorum* nullibi occurrunt in *Gemmis Abraxeis*.

Art. III. *Nomina* ΙΑΩ , ΑΔΩΝΑΙ , ΕΛΩΗΙ , ΣΑΒΑΩΘ , *quae Gnostici haeretici adhibuerunt* , *et quae etiam in Gemmis Abraxeis leguntur numquam fuerunt eorum Haereticorum peculiaria.*

Scilicet *Voces* huiusmodi esse *Hebraicas* , et vetustissimae originis factas a יה IE , vel יהו IEU , אדני ADNI, אלהי ALEI, צבאות TZBAUT omnes norunt , non modo ex Libris *Biblicis*, sed etiam ex *Kabalicis Iudaeorum* , et testimonio Patrum. Vid. *Epiphanium Haeres*. XL. Pag. 295. 296. etc.

2. *Samaritanos* porro ea Nomina , communicatione *Pentateuchi Hebraeorum* adoptasse , dubitari non potest.

3. Plures insuper sive *Theurgos* , sive *Iatromagos* Gentium ea *Nomina* usurpasse iam adnotavimus Sect. I. Cap. III. Pag. 292. 293. et Cap. IV. Pag. 297. Quamobrem etiamsi certum esset *Gnosticos haereticos* eâdem plane potestate *Nomina* illa adhibuisse, ac adhibuerunt *Hebraei*, *Samaritani* , et *Iatromagi* , absurdum esset illis *Gnosticis* potius adiudicare *Gemmas Abraxeas*, quam *Samaritanis*, *Iudaeis Ethnicophilis*, *et Iatromagis* multarum Gentium.

Art. IV. *Atqui contra constat Gnosticos Haereticos longe alia potestate adhibuisse Nomina* ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΕΛΩΗΙ, ϹΑΒΑΩΘ.

1. *Hebraeos* nomina illa *Iao*, *Adonai*, *Eloeí*, *Sabaoth* uni *Deo Opt. max.* tribuisse notum est; idque peculiariter iam olim animadvertit *Origenes* in *Celsum* Lib. VI. pag. 297. et S. Epiphanius *Haeresi* XL. Pag. 295. 296. Et *Samaritanos* vero, et *Jatromagos* vel ipsi *Deo opt. max.* : vel *Soli* bono, benefico, genitali tribuisse superius Sect. I. Cap. III. pag. 292. 293. animadvertimus.

2. *Gnostici* contra audaciâ nefariâ *quatuor* illa *Nomina divina tribus* vel quatuor diversis *Archontibus*, et *Potestatibus maleficis* tribuebant, qui in tribus vel quatuor diversis *Coelis* collocati atrocem Tyrannidem in Homines miseros exercerent. Adeo ut, secundum *Gnosticos Borborianos*, quos Epiphanius describit *Haeresi* XXVI. Pag. 91. etc. In primo *Coelo* esset nefarius Archon *Iao*: In secundo *Saclan* praefectus stuprorum, cuius tamen *Nomen* in *Gemmis Abraxeis* non apparet: In tertio *Sethus* pariter ignotus: In quarto *Daden* aeque ignotus: In quinto *Eloaeus*, qui et *Adonaeus* dictus: In sexto *Jaldabaoth*, vel secundum alios *Elilaeus* aeque ignoti: In septimo vel iste *Elilaeus*, vel tandem *Sabaoth*.

3. *Ophitae* vero sive *Ophiani* secundum *Diagrammata* originalia, quae profert Origenes *contra Celsum* Lib. VI. Pag. 296. nefarios suos *Archontes* hoc modo disponebant. Primus erat *Ialdabaoth*, qui in *Gemmis Abraxeis* nuspiam legitur. Secundus *Iao*. Tertius *Sabaoth*. Quartus *Astaphaeus* etiam ignotus. Quintus *Eloeus*.

Sextus *Horeus* ignotus. Septimus, qui deest, fortasse *Adoneus*. Ergo in usu et potestate illorum *Nominum* penitissime discrepabant *Abraxeographi*, et *Gnostici*: Et propterea aperto et evidenti pignore constat *Gnosticos* huiusmodi non fuisse auctores *Hierogrammatum Abraxeorum*.

Art. V. *Tria Angelorum nomina Michaelis, Gabrielis, et Raphaelis, quae Ophitae Gnostici, atque Abraxeographi adhibuerunt, non fuerunt propria et peculiaria Gnosticorum.*

Quin contra propria et peculiaria fuerunt *Hebraeis*, ut constat ex libris *Tobiae*, et *Danielis*, qui scripti sunt pluribus saeculis antequam essent *Gnostici*. Et *Iudaei* pertinacissime tenent ea *Nomina* fuisse sibi nota a constitutione Gentis. *Christiani* porro iam adhibuerant antequam *Gnostici* adoptassent, et fortasse *Iatromagis* eius aetatis non fuerunt ignota. Quamobrem etsi *Haeretici Gnostici* ea *Nomina* illâ ipsâ potestate sumsissent, qua sumsisse conditores *Abraxeogrammatum* superius Sect. I. Cap. 2. Pag. 289. et Cap. 3. Pag. 293. 294. adnotavimus; nil inde posset iure colligi.

Art. VI. *Atqui Gnostici adhibuerunt Nomina Michaelis, Gabrielis, Raphaelis longe alia et diversa potestate, ac Abraxeographi.*

Scilicet *Michael*, *Gabriel*, *Raphael* fuerunt *Abraxeographis*, quemadmodum animadvertimus Sect. I. Cap. 2. Pag. 289. et Cap. 3. pag. 294. 295. *Angeli Planetarum*, boni, benefici, tutelares, auxiliares. Atqui contra haec *Nomina* tribuebantur ab *Ophianis* quibusdam pravis et nequissimis *Spiritibus*, qui Adsessores et *Paredri* essent illorum *Archontum*, qui dicebantur *Iao*,

Sabaoth, *Adonai* etc: et collocati erant in *Septem Coelis*, hoc ordine, ut refert *Origenes* adv. *Celsum* Libr. VI. Pag 295. Primus *Michael Leontomorphus* collocatus in Stella *Phaenonte*, sive *Planetá Saturni*. 2. Secundus *Suriel Tauromorphus*. 3. Tertius *Raphael Ophiomorphus*. 4. Quartus *Gabriel Aetomorphus*. 5. Quintus *Thauthabaoth Arctomorphus*. 6. Sextus *Erathaoth Cynomorphus*. 7. Septimus *Thaphabaoth Onomorphus*. Atqui numquam in *Gemmis Abraxeis* hae *Potestates*, his *formis*, hoc *ordine*, his *singulae Nominibus* deprehenduntur. Ergo quum *Potestates* hae *Gnosticorum* naturâ, sede, ordine, et maxima ex parte *Nominibus* etiam penitus discrepent ab *Angelis Abraxeographorum*, hos fuisse penitus alios a *Gnosticis* necessario tenendum est.

Art. VII. *Etiamsi Vocem ABRAXAS primus condidisset Basilides Gnosticus haudquaquam ideo Basilidiani dicendi essent Auctores Hierogrammatum Abraxeorum.*

1. Primo, quia omnia *Systemata Theologica* etiam adversa habent *Dogmata* aliqua, *Voces* aliquot, aliquot *Lemmata* communia. Nec nos adeo evadimus *Iudaizantes*, quod clamamus *Alleluia*, et *Amen*, nec *Schismaticos Graecos* sequimur, quod canimus *Kyrie eleison*? Potuissent ergo *Abraxeographi* a *Basilidianis* adsumere et adoptare hanc vocem *Abraxas*, salvo suo *Systemate Theologico*, et reliquo *Lexico* sacro.

2. Secundo, quia *Vox Abraxas*, vel *Abrasax* non potest dici prorsus *propria* et *characteristica Basilidis*, quia per nullas *Temuras*, nullas *Homiophonias*, nullâ aliâ ratione, continere et repraesentare potest *Deum* illum *summum*, α-γεννητον, παντων πατερα, την ὑπερανω δυναμιν, και

αρχην; ut dicitur apud Epiphanium *Haeres.* XXIV. Pag. 73. et qui erat *Abrasax* Basilidi.

3. Tertio, quia omnes *Patres*, qui de hac *Voce Abraxas* loquuti sunt Irenaeus, Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, ceterique, nullo excepto, non *Deum ingenitum*, non Deum *infinitum*, *Propatora*, Radicem et Fastigium omnium *Aeonum* in ea invenerunt, sed omnino *Numerum* 365. Adeo ut esset *Basilidi* tantum *Vox*, qua 365 *Coelos*, quos constituerat, significaret. Atqui plurimi esse potuerunt, qui egentes huiusmodi *Numero*, et adeo *Voce*, eam, salvis prorsus et intactis *Dogmatibus Theologicis*, adsumerent et adoptarent. Etiamsi igitur *Basilides* primus vocem *Abraxas* condidisset, nil inde posset argui de *Gnosticis*, quasi ideo condidissent *Hierogrammata Abraxea*.

Art. VIII. *Etiamsi insuper certum esset Basilidem Gnosticum invenisse primum Vocem ABRAXAS deberet aeque certum esse Basilidianos non esse auctores Hierogrammatum Abraxeorum.*

1. Nam *Basilidiani*, qui *uni*, ut mox dicemus, usi sunt voce *Abrasax* vel *Abraxas*, fuerunt minima fere fractio *Gnosticorum*; et si universi etiam II. et III. Saeculo Christiano fuerunt paucissimi, ut demonstratnm est Cap. I. Art. 4. pag. 334. 336. quid de *unis Basilidianis* dicendum est? Fac fuisse eos ducentos, trecentos, quingentos, quod longe a veritate remotum. Atqui *Myriades* Hominum condentium, sculpentium, vendentium, quaerentium, ementium *Gemmas Abraxeas* ponere necesse est ad Saeculum usque sextum Christianum, ut iam animadvertimus Section. I. Cap. 6. pag. 313. 314.

2. Unos porro *Basilidianos* ex *Gnosticis* adoptasse *Vocem Abraxas* certum est; quia summo consensu *Patres* omnes, et omnes *Historici* unis *Basilidianis* tribuunt. et nulli praeterea ex reliquis *Sectis*. Et quoniam *Vox Abraxas* ad 365 *Coelos* refertur, et nulla alia *Secta* tot *Coelos*, tot *Aeones Pleromatis* constituit, et tenuit, palam est nullam aliam *Sectam* potuisse *eam Vocem* ut *characteristicam* et propriam adhibere. Et profecto quid *Valentinianis* esse potuit cum *Abraxas*, si numerus *Aeonum* suorum fuit tantum *triginta*? Quid *Abraxas* cum *Marcosio*, cui *sacri Numeri* et fundamentales fuerunt 8.12, 360, et ita porro de reliquis?

Art. IX. *Atqui contra certum est haud Basilidem primum Vocem ABRAXAS condidisse, sed factam a Mathematicis, adeoque ab Abraxeographis Basilidem contra adsumsisse, et adoptasse.*

1. Nam S. Irenaeus Libr. I. Cap. XXIV. Pag. 102. de *Basilidianis* agens ex vetere versione haec habet: *Trecentorum autem sexaginta quinque Coelorum locales positiones distribuunt similiter ut Mathematici. Illorum enim Theoremata accipientes in suum Characterem Doctrinae transtulerunt. Esse autem Principem illorum* Αβραξας, *et propter hoc* 365 *numerum habere in se.* Similia et quidem distinctius et plenius, et quae adeo legi pariter merentur, habet S. Epiphanius *Haeres.* XXIV. Pag. 73.

2. Praeterea idem S. Epiphanius statim post, aliique plurimi uno ore tradunt, ut paullo supra etiam innuimus Pag. 349. constitutos fuisse a *Basilide* 365 *Coelos*, et adoptasse *Vocem Abraxas*, quia *Numerus* 365 eâ clauderetur, quod

Dies Solaris Anni essent 365. Quod profecto a *Mathematicis*, sive *Astrologis*, qui hic unum sunt, fuit desumendum. Et propterea iure Hieronymus addebat *Vocem Abraxas* esse homiodynamicam voci *Mithrae*, quia in Μειθρας est pariter numerus 365, et *Mithram* habitum fuisse *Solem* omnes norunt; nosque superius haec omnia animadvertimus Sect.I. Cap.3. Pag.215.216.217. etc. Quum igitur *Vox Abraxas* sit plane opportuna *Asterotheistis* et *Astrologis*, inepta contra et praeter absurdum figmentum 365 Coelorum, inutilis *Gnosticis*, omnino tenendum est eam primum conditam et effictam fuisse ab *Asterotheistis*, et *Mathematicis*, et hinc a *Basilide* surreptam, adoptatam, et receptam.

Art. X. *Vocem ABRAXAS revera ab Abraxeographis Asterolatris conditam primum et constitutam fuisse tenendum est.*

Nam demonstravimus ad *Lemmat. Hierograph.* Sect. I. Cap. III. Art.4. Pag.218. vocem *Abraxas* intime spectare formam *Typi Gallicipitis Abraxei*: Et significare insuper *Solem*, et *Solem* atque *Lunam* in *Novilunio* ostendimus loc.cit. Pag.215. 217. Quin vocem ABRAXAS sociari vocibus ΙΑΩ, CΑΒΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ etc. quae tributa fuisse *Soli* adnotavimus Sect.I. Cap.3. Pag.291. 292. omnes norunt. Atqui haec plusquam satis sunt ad demonstrandam originem et formationem *Vocis* ABRAXAS non a *Gnosticis Asteromisetis*; Sed ab *Abraxeographis Asterophilis* esse unice et necessario petendam.

Art. XI. *In Gemmis Abraxeis vocem ABRAXAS sensu et potestate Gnosticorum sumi impossibile est.*

1. Primo, quia impossibile est *Deum Basilidis* ABRAXAS infinitum, ingenitum, immensum, invisibilem, spiritualissimum, prorsus ignotum exhiberi a *Milite Gallicipite*, *Harpocrate*, *Anubide*, a *Leone*, a *Corvo*, et ita porro.

2. Secundo, quia vox ABRAXAS in *Gemmis Abraxeis* passim miscetur et confunditur cum vocibus ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, CΑΒΑΩΘ, etc. quibus *nominibus malos Daemones*, *Archontes* nequitiae, *Potestates* pessimas, rebelles, Deo summo, sive ABRAXAE *Gnostico* adversas significari superius adnotavimus Pag.346.347. Atqui mutuo haec cohaerere et consistere impossibile est. Ergo impossibile pariter est in *Gemmis Abraxeis* vocem ABRAXAS sensu *Gnostico* sumi.

Art. XII. *Etiamsi verum esset in aliquot Gemmis Abraxeis legi vocem MESSIAS haud inde fieret earum Auctores fuisse Gnosticos haereticos.*

1. Primo, quia Vox MESSIAS inter *Nomina* solemnia et *characteristica* horum *Gnosticorum* nusquam apparet, et omnino aequum erat, ut appareret, si adnumerassent.

2. Secundo, quia משיח MSCIC est *unctus*, *perunctus*, *oleo* delibutus. Et quoniam non potest *ungere* nisi *corpus*, nec potest ungi nisi *corpus*; Hinc evidens est משיח MSCIC *Messiam* esse semper et necessario verum *Hominem*, *reali* et vero *Corpore* praeditum. Atqui *Gnostici* penitissime removebant a *Salvatore* suo quodcumque *Corpus*. Ergo numquam uti potue-

runt voce משיח MSCIC. Et si vox Χριστος frequenter adhibita est a *Gnosticis*, plane alio sensu sumtam ab eis tenendum est, et fortasse sensu του χρηστος. Nam eorum *Christus* est *Aeon Pleromatis purus*, *spiritualis*, *incorporeus*, et quem *Corpori* sociari impossibile sit.

Art. XIII. *In Formula Redemtionis Marcosiorum legi non potest nomen MESSIAE.*

At nonne verum est, inquies, *nomen Messiae* occurrere in *Formulâ Redemtionis Marcosiorum*, quam Irenaeus Libr. I. Cap. 21. pag. 95. et Epiphanius *Haeresi* XXXIV. Num. 19. Pag. 255. 256. recitant, et quam Rhenferdius interpretari conatus est in *Operib. Philologic.* Pag. 195. 196. etc? Atqui Rhenferdius, respondeo, haud recte vertit celebrem illam *Formulam*: cuius lectio accuratior haec est: Μεσια ουφαρεγ ναμεμψαι μανχαλδια μοσομη δα εα αχφρα ναιψα, ουα Ιησου Ναζαρια. Haec contra protulit Rhenferdius loc. cit. Pag. 199.

1. Μεσια; משיחא MSCICA *Messias*, vel *Christus*.

2. Ουφαρυγα; ופרוקא UPHRUQA et *Redemtor*.

3. Δεφαρεγ; דפרק DPHRQ, qui *redemit*.

4. Ναψαν (ψι); (שי) נפשן NPHSCN SCI *animam nostram* (*meam*).

5. Μεν αλεμα ανα; מן עלמא הנא MN OLMA ENA *ab hoc saeculo*.

6. Ου μεν χυλ; ומן כל UMN KL; et *ab omnibus*.

7. Δεβη; דבה DBE; *quae in eo sunt*.

8. Βασμη δ' ιαω; בשמה דיאה BSCME DIAE *in nomine Iao*.

9. Ουκαφφαν; וכפרן UKPHRN, *qui expiavit nos*.

10. Βεφουρκανα; בפורקנא BPHURQNA *pretio*.

11. Δεναψη; דנפשה DNPHSCE, *animae suae*.

12. Ου, vel *ουκ* Ιησου Ναζαρια. הו EU. *hic est* ישוע ISCUO, נצריא NTZRIA *Iesus Nazarenus*: Quae multum a genuino *Textu* discrepant: nec saltem exprimunt *Formulam* Graecam, quam Irenaeus etiam, et Epiphanius retulerunt: Nempe: Εστηριγμαι, και λελυτρωμαι, και λυτρουμαι την ψυχην μου απο του αιωνος τουτου. και παντων των παρα αυτου, εν τω Ονοματι του Ιαω, ὁς ελυτρωσατο την ψυχην αυτου εις απολυτρωσιν εν τω Χριστω τω ζωντι. Falsoque porro putavit Rhenferdius *Formulam* illam pervenisse ad nos non modo corruptam, sed misere truncam et mancam: Quum nullum indicium lacunarum ostenderint omnes Codices tum Irenaei tum Epiphanii, apud quos illa *Formula* servata est. Sed, si animadvertisset Rhenferdius in his Caeremoniis *duplicem Formulam* fuisse adhibitam, haud multum mutuo discrepantem, alteram a *Sacerdote* et *initiante*, alteram ab *initiando* recitatam, quod perspicue loc.cit.pag.95.96.testatur Irenaeus, sensisset profecto illam *breviorem* et primam recitatam fuisse a *Sacerdote* et *initiante*, et hanc habendam esse *Barbarophonam*; alteram prolixiorem ab *initiato*, et esse ipsam hanc Graecis verbis expressam. Quamobrem *Formulam* illam *Sacerdotis* et *initiantis* Barbarophonam ita vertendam censeo:

1. Μεσια, מש-ח MSC-E, *firmo*, *confirmo*, *stabilem*, et quasi *solidam* reddo: a מש MSC, משש MSCSC *tango*, *firmo*, *solidum reddo*, respondens Graeco στηριζω, quae *vox* ipsa adhibetur in *Formulâ*.

2. Ουφαρεγ, ופרק UPHRQ, UPHAREG *et redimo*, *vindico*.

3. Να-νεμψαι; να·νεπσαι; הנה ENE, הן EN, NE *hanc*, *istam*, נפש NPHSC, NMPS, νεμψαι *Animam*, *Spiritum*.

4. Μανχαλδαια, מן MN, MAN, *a*, *ab*, חלד CLD χαλδ. *Aevo*, *Aeone*, *Saeculo*; היא EIA *hoc*, ipso.

5. Μοσομη, משמה MSCME, מ-שם. M-SCM, MOSOME *in Nomine*.

6. Δαεα, ד-יה D-IE, D-IEA; *Dei* IAΩ.

7. Αχφρα, כפר KPHR, ACPHRA *purgo*, *expio*.

8. Ναιψαι, נפש NPHSC, NPS, NAIPSA *Animam*, *Spiritum*.

9. Ουα, υοα, βα בי, ב *in*.

10. Ιησου, Ναζαρια, ישוע ISCUO, נצרי NTZRI. *Iesu Nazareno*.

Marcosiani igitur minime adhibuerunt in hac Formula vocem משיח MSCIC MESSIAE; adeoque iniuria Iablonskius in sua Disquisit. *de nomine Abraxas* in *Opuscul.* Tom. IV. Pag. 90. 92. ad istam *Formulam Marcosiorum* appellabat.

Quin fac Nomen *Messiae*, et a Marcosiis, qui in pluribus *Dogmatibus* discreparunt a *Basilidianis* et *Valentinianis*, et *Catholicis* potius accesserunt; vel a reliquis Gnosticis fuisse frequenter adhibitam, quid tum? Nonne adhibere aeque potuerunt *Gentiles Semichristiani*, *Iudaei*, et *Samaritani*?

Art. XIV. *In nulla Gemma Abraxea legitur nomen* משיח MSCIC *Messiae*.

1. Iablonskius *Disq. cit.* Pag. 92. 93. *Messiam* vult agnoscere in eâ *Gemmâ Abraxeâ*, quam ad *Lemm. Hierograph.* Sect. II. Cap. I. Pag. 229. 230. protulimus: At qui vel leviter est his Studiis versatus statim advertit ibi legi evidenter non MSCIC, sed CEMECEIAAM, quae est *Vox solemnis*, *Characteristica*, frequens in *Gemmis Abraxeis*, et quasi *Tessera Asterolatrarum*, non *Christianorum*, ut vidimus *Loc. cit.* Sect. I. Cap. 4. pag. 220. 221.

*

2. Bellermannus in suo *Bersuch ubèr die Gemmen* Tom. III. Pag. 11. 12. etc. Iablonskii vestigia premens in hoc *Lemmate* ΣΕ ΜΕΣΕΙΑΑΙ ΑΒΡΑCΑΞ, quod legitur apud Passerium in *Gemm. Astrif.* Tom. II. Pag. 251. num. 11. invenire voluit etc. זה משיח יהו ZE MSCIC IE. etc. Nempe: *Hic est Messias Deus Abrasax*: quae absurda 1. Primo, quia *Gemma* caret Simulacro, et Icone quacumque; adeoque nil facit τo זה ZE, nisi mavis ipsam *Gemmam* esse *Abraxam*, et משיח MSCIC *Messiam*. 2. Secundo, quia *Gnostici* Haeretici, quos *Abraxeogrammatum* auctores facit Bellermannus, penitus discernebant *Deum summum*, sive *Abraxam* a *Sotere*, *Christo*, et *Iesu*; ideoque impossibile est *Gnosticum* scripsisse: *Hic est Messias Deus Abraxas*. 3. Tertio, quia ut vidimus paullo supra P. 352. nemo *Gnosticorum Cacohylicorum* adhibere potuit vocem משיח MSCIC. 4. Quarto, quia Lectio proposita nimis recedit a *data*, et quae propterea habenda est falsa. 5. Quinto, quia *Lemma* hoc est evidenter illud ipsum frequens, et receptum CEMECEIΛAM. Nam ex duobus AA vel ΛΛ alterum esse Λ vel A ex constantissimo usu *Abraxeographorum* patet, nosque id animadvertimus ad *Lemmat. Hierograph.* Sect. II. Cap. I. Pag. 230. et tres *lineolae* necessariae ad complementum M, vel Sculptor omisit, vel tempus absumsit, vel Passerius non vidit. Quin etiamsi legatur יאה IAE, יאי IAI ipsum IAAI, *pulcher*, *venuste*, speciose, plane congruit in *Systemate Asterolatrico* τῳ שמש SCMSC, SEMES *Soli*, quem esse *Abraxam* ostendimus ad *Lemm. Hierogr.* Sect. I. Cap. 3. Pag. 215. 216.

3. Idem Bellermannus loc. cit. Pag. 12. hoc *Lemma* ΙΑΩ ΜΕC ΧΑΝΑΑΩ adpositum *Militi Galli-*

cipiti et *Serpentipedi* in *Gemma Astrifera* Passerii Tom.I.num.190.et Tom.II.Pag.254.29. vertit Hebraice יהו משיח חנה לו, IEU MSCIC CNE LU: nempe *Iao Messias miserere eius*: Etiam perperam. 1. Primo, quia *Lapides* hi gestabantur, ut vel ex ipsis inscriptionibus Graecis constat, et qui gestabat pro se, pro*ferente*, non pro aliis, et innominatis opem quaerebat. 2. Secundo, quia, si quis concedit ΧΑΝΑΛΩ posse respondere חנה-לו CNE-LU, tum amittitur prorsus משיח MSCIC, quia superest tantum MEC. 3. Tertio, quia *Unctum Domini*, *Pontificem*, *Mediatorem*, sacro *oleo consecratum* tertio vel quarto saeculo Christiano velle invenire in *Milite Serpentipede* et *Gallicipite* apud *Asterolatras* durum et asperum auditu est. Et 4. quarto tandem, quia MECXA. ΝΑΛΩ nil recte significant. Nos autem *Lemma* hoc sumus interpretati minus dura, et aspera, ut putamus, sententia ad *Lemmat*. *Hierograph*.Sect. I. Cap. V. Art. 3. Pag. 223. 224.

Ex universa igitur *Hierographia Abraxea* nulla *Schemata*, nulla *Lemmata* propria et Characteristica *Gnosticorum Haereticorum* possunt colligi, et propterea est intrinsece absurdum *tertio*, ut dicebamus, ipsam hanc *Hierographiam Abraxeam* Haereticis Gnosticis tribuere.

CAPUT IV.

Quarto, quia Gemmas Abraxeas ad Haereticos Gnosticos spectare non potuisse ex intimis elementis Systematis tum Gnostici, tum Abraxei facile demonstratur.

Art. I. *Indicatur Systema Theologicum, quo possunt condi, celebrari, et propagari Gemmae Asterotheisticae, Amuleticae, et Apotropaeae.*

Datis *Gemmis Asterotheisticis*, et *Averruncis* data sunt necessario haec elementa *Panthei*, ad quod spectant :

1. *Deos* magnos, *bonos*, malorum debellatores esse potissimum in *Stellis*, manere, vivere, potestatem suam beneficam exserere et manifestare ex *Sole*, *Luna*, *Planetis*, etc.

2. *Corporibus* omnibus *Terrestribus* esse intimam relationem, nexum, et amicitiam cum *Coelestibus*, et plurima ex illis esse idonea et apta ad excipiendam, retinendam, et servandam vim *beneficam*, *salutarem*, et *apotropaeum Corporum Coelestium.*

3. *Gemmas*, *Metalla*, *Ligna*, etc. quibus *Formae*, *Imagines*, vel *Symbola Deorum* fuissent exculpta, et *Voces* quaedam, et *Verba* apte adposita statim *Vi* quadam *divina* informari, repleri, et quasi vivificari, unde fierent *tutelares*, et *apotropaeae*.

Hoc autem *Systema* fuit omnium fere veterum *Gentium*, et potissimum *Syrorum*, et *Palaestinorum* infinita superstitione et pertinacia haustum, et servatum, ut animadvertimus supra Sect. I. Cap. 4. Pag. 296.

Art. II. *Indicatur Systema Theologicum in quo impossibiles sunt Gemmae Asterolatricae, et Apotropaeae.*

Si existit *Systema Theologicum*, in quo

1. *Deus summus*, et eius *immediatae Emanationes*, et *Processiones* sunt penitus *amorphae*, et *spirituales*, et ab hoc *Mundo corporeo* penitissime semotae, et remotissime seiunctae:

2. Si *Corpora* huius *Mundi*, si *Animalia*, si *Plantae*, si *Lapides*, si ipse *Sol*, ipsa *Luna*, ipsa *Sidera* impura sunt, hylica, mala, indignissima quacumque societate cum *Deo summo*, vel eius *Processionibus* immediatis:

3. Si *Aeones*, et *Emanationes Dei summi* non possunt informare et inhabitare *Corpora* huius *Mundi*, si phantastice tantum, et ad puram apparentiam, absque solida et vera forma *Corporea* possunt conspici:

4. Si *Corpora* huius *Mundi*, et ipsae *Stellae* Coeli putantur factae et conditae a *Demiurgo superbo*, ignaro, fatuo, qui in *Deum* summum insurgit, et rebellat: occupatae, et informatae ab *Archontibus nequitiae*, a *Potestatibus Tyrannicis*, ab hostibus acerrimis *Generis* humani:

5. Si *Corpora* humana resurgere non possunt ad *vitam*, si una corruptio et destructio propria est *Corporum* quorumcumque:

In hoc Systemate non possunt haberi *Gemmae* et *Lapides Apotropaei* et *Salutares*, quia *Salus* et *Potestas bona* non potest haberi nisi a *Deo summo*, et *Emanationibus* eius *immediatis*, et Potestas *Dei summi* ex primario *Dogmate Systematis*, non potest figi et adhaerere *Corpori* vili, malo, abiecto, perituro.

Art.III. *Atqui hoc ipsum fuisse Systema fundamentale Gnosticorum haereticorum certum est.*

1. Id enim passim docet Irenaeus, passim Epiphanius: id Origenes, id Tertullianus, id Augustinus, id Theodoretus, et reliqui omnes, qui de *Gnosticis* egerunt.

2. Et re quidem vera Irenaeus ex. grat. Lib. 1. Cap. 4. Pag. 22. ex *affectionibus Achamoth*, ex qua omnia *Corpora* etiam *Coelestia* orta dicuntur, ait: γενεσθαι δυο ουσιας, την φαυλην των παθων, την τε εκ της επιστροφης εμπαθη: Scilicet: gigni *duas Substantias*, *unam ex passionibus vilem*, (*pravam contemnendam*), *alia ex conversione patibilem* (*doloribus*, *et angoribus obnoxiam*), adeoque miseram. Alia plura similia et clariora habet Cap. V. Pag. 24. 25. alia Cap. XVI. Pag. 83. et alibi alia, quae legenda sunt.

3. S. Epiphanius *Haer.* XXI. Pag. 58. de *Simone* agens scribit: ειναι τε τον Αιωνα τουτον απο Αρχων, και Εξουσιων φησι της Κακιας εν Ελαττωματι κατεσκευασμενον: *Esse autem nostrum hoc Saeculum* (Coelum nempe hoc, et Terra haec) *a Principatibus et Potestatibus Nequitiae in Defectu et miseria conditum*: Et similia Pag. 60. 61., et alibi.

4. S. Clemens Alexandrinus *Stromat.* IV. P. 509: Scribit *Valentini* dogma fuisse: Θανατου δε γενεσιν εργον ειναι του Κτισαντος τον Κοσμον. *Mortis existentiam opus esse Conditoris Mundi*, sive Demiurgi.

5. Plotinus Enn. II. Libr. 9. *adversus* ipsos *Gnosticos* Pag. 203. scribit: ου τιμωντες ταυτην την Δημιουργιαν, ουδε την δε Γην . . . εν παραδειγμα Κοσμου, ὀν μισουσι. *Haud in aliquo pretio habentes hunc Rerum universitatem*, Mundum hu-

ius formationis, *nec ipsam Tellurem. . . . . in exemplar Mundi, quem oderunt.* Praeterea P. 204. 205: Και μεμφομενοι τωδε τω Παντι, και την προς το σωμα κοινωνιαν τη ψυχη αιτιωμενοι, και τον διοικουντα τοδε το Παν ψεγοντες; και εις ταυτον αγοντες τον Δημιουργον τη ψυχη, και τα αυτα παθη διδοντες άπερ και τοις εν μερη: *Vituperantes hunc Universum, Commerciumque Animae cum Corpore criminantes, ipsumque, qui Universum ordinat calumniantes. Et in unum animam* (Mundi), *et Demiurgum confundentes, et easdem affectiones, quae sunt in particulis* (Mundi).

6. Iterum Irenaeus de *Ophitis* et *Sethianis* agens Libr. I. Cap. 30 Pag. 110. 111. tradit hos etiam tenuisse maximum Daemonum malorum *Ialdabaoth* absolutâ *Hebdomadâ* filiorum, et nepotum etc. *conspexisse in subiacentem faecem Materiae, et consolidasse concupiscentiam suam in eam, unde natum Filium . . . . et Spiritum, et Animam, et omnia Mundialia: inde generatam omnem oblivionem, et invidiam, et mortem.* Tum septem hos Daemones Pag. 111. occupasse Septem Stellas, *quas Septem Planetas esse volunt, et elegisse Septem Dies, quos et sanctam Hebdomadam vocant*, quibus laudarentur a suis Prophetis, quos impiissime sanctos illos *Prophetas Hebraeorum* putant.

7. Quin in *Excerptis* ex *Theodoto* apud Fabricium in *Biblioth. Graec.* Tom. V. Pag. 161. n. 48. legimus: Demiurgus επει τογε ήλιακον και ουρανιον φως πολλῳ ύσερον εργαζεται, και ποιει εκ των ύλικων: το μεν εκ της λυπης ουσιαδες κτιζον πνευματικα της πονηριας, etc. *Solis autem et Coeli lucem diu post efformat ex hyle, sive ex terrestribus elementis. E tristitia vero quasi substantia condens Spiritualia nequitiae* etc.

Numquam ergo fieri potuit, ut *Haeretici Cacohylici*, et *Poneroctistici*, qui *pessimos Daemones* in *Sole*, *Luna*, et omnibus *Planetis* collocabant vim salutarem et apotropaeam *Lapidibus* tribuerent, quibus essent insculpta *Signa* et *Characteres Planetarum*.

Art. IV. *In Gemmis Abraxeis Aeones Pleromatis Gnostici cuiuscumque Systematis agnoscere impossibile est.*

1. Primo, quia hi *Aeones Pleromatis* in quocumque *Systemate Gnostico* ponuntur plenissime *Pneumatici* et *Spirituales*, et a quacumque Materiei societate, attactu, et mixtione remoti: Nec forma ulla, nec *figura* quaecumque sive Humana sive Bruta eis attribuitur. Nil magis iactabant *Gnostici*, quam se adorationes suas *Intelligibilibus* tantum et perfectissimis *Aeonibus* tribuere: Tantum προς τους Νοητους θεους λεγομενη αυτοις τιμη: ut scribit Plotinus Ennead. II. Libr. 9. §. 16. Pag. 214. Quin nec se se *Gnosticos* dixerunt. nisi quod unos putarent se habere sublimem Γνωσιν, sive *Scientiam Rerum Incorporearum*, *intelligibilium*, *purissimarum*, ut egregie Moshemius praeter ceteros in Institut. Hist. Eccl. mai. ad Saecul. I. pag. 333. 334. animadvertit.

2. Secundo, quia etiamsi concedatur formis corporeis et figuris animalibus remotissimos illos *Aeones* fuisse a *Gnosticis* repraesentatos nil plane est, ut iam monuimus, in *Gemmis Abraxeis*, quod ad *Aeones* illos possit utcumque spectare: Nec inveniri poterit nisi homo prorsus emotae mentis, qui vellet quaerere in *Homine Gallicipite*, vel *Cynocephalo*, vel *Leontocephalo*, in *Harpocrate*, *Hecate*, et aliis huiusmodi *Sche-*

matibus vel *Patrem* illum *arcanum*, αγεννητον, αρ῾ῥητον, ακεραντον, vel Νουν, Λογον, Φρονησιν, Δυναμιν etc. *Basilidis*; vel Βυϑον, et Προπατορα αιδιον, Σιγην, Αληϑειαν, Ζωην, Εκκλησιαν etc. etc. *Valentini*, et quaecumque alia sunt reliquorum *Gnosticorum*. Et si *Harpocrates* est Σιγαλιων, *Sige Valentini* est aequalis Προπατορι αιδιω, και αγηννητω; et eius Socia; ubi *Harpocrates Aegyptius* est puer, qui *debilis*, *infirmus* oritur ex Loto, cuiuscumque demum naturae sit. Et *Harpocrates Abraxeus* habendus est is ipse *Harpocrates Aegyptius*, vel *Typus* similis, et infinito spatio distans a *Deo* primo *Gnosticorum*.

3. Tertio, quia *Typis Abraxeis* sunt adposita nomina ΙΑΩ. ΑΔΩΝΑΙ, ΣΑΒΑΩΘ, ΕΛΩΗΙ, etc. ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ, etc. quae *Gnostici* non *Aeonibus Pleromatis*, sed acerrimis hostibus eorum, sed *Archontibus* rebellibus, *Potestatibus* pessimis tribuebant, ut non semel iam animadvertimus.

Art. V. *In Gemmis Abraxeis quaerere Cosmocratores Gnosticorum. Spiritus malos et Tyrannicos absurdum pariter est.*

1. Primo, quia etiamsi quandoque aliquae Gentes placare et colere *Potestates malas* sint passae numquam in materia durabili, et perenni eorum *Stemmata*, et *Laudes* insculpserunt, et materia quidem potissimum, quae, ut *Lapides pretiosi* naturâ suâ putaretur *bona*, *salutaris*, et *Alexicaca*; et quae quotidie super proprium corpus gestaretur. Nam tum qui id fecisset, *Diis* suis *Bonis* et *Salutaribus* renuntiasset, et has *Potestates pessimas* et *Tyrannicas*, ut bonas et salutares agnovisset, quod est absurdum.

2. Secundo, quia *Forma*, et *Nomina Cosmocratorum* Gnosticorum sunt plane alia et diversa a *forma* et *nominibus Typorum Abraxeorum*, ut ostendimus Cap. III. Art. 4. et 5. Pag. 345. 348.

3. Tertio, quia *Hierogrammata Abraxea* sunt *Apotropaea*, ut Sect. I. toto Cap. 4. Pag. 295. ad 301. ostendimus, et ea scilicet in quibus invocari tantum poterant *Dii boni*, *Potestates beneficae*, *Δυναμεις δεξιαι*, ut revera quandoque advocantur in *Gemmis* ipsis *Abraxeis*; non *Archontes Nequitiae*, et *Potestates Tyrannicae*. Tum *Carmina* et *incantationes Gnosticorum* fiebant plerumque in *Morbis*, quos putabant esse ipsos *Angelos* malos corpora humana obsidentes, ut aperte ex Plotino Enn. II. Lib. 9. pag. 206. et aliis constat, et quae tantum *potentibus verbis* suis, scilicet *Nominibus* dubio procul *Aeonum bonorum Pleromatis*, posse depelli arbitrabantur: Atqui in *Gemmis Abraxeis* praeter *unum Abraxas*, cetera nomina insignia, quae leguntur sunt similia *Nominibus Archontum pessimorum Gnosticorum*.

Innumeris ergo intrinsecis, et invictis argumentis constat Haereticos Gnosticos non fuisse auctores ac conditores *Gemmarum Abraxearum*.

Art. VI. *Ipsum Hierogramma non Abraxeum SERPENTIS Leonto-Cyno-cephali radiati, qui inscribitur XNOUBIC, vel XNOUMIC tribuere Gnosticis Ophitis absurdum pariter est et irrationale*.

1. Primo, quia *Ophitae* venerabantur *verum* et *naturalem Serpentem*. φυσει οφιν, ut scribit S. Epiphanius *Haeres.* XXXVII. Pag. 272. minime vero *Symbolum* et *Emblema Leonto-Cynocephalum*.

2. Secundo, quia *Monstrum* huiusmodi refertur ad *Chronum*, *Solem*, et *Planetas*, ut vidimus ad *Lemm. Hierogr.* Sect. III. Cap. 1. et 2. Pag. 263. ad 272. et contra *Serpens Ophitarum* referebatur ad *Serpentem Edenicum*.

3. Tertio, quia Secta *Ophitarum*, quidquid alii contra et falso adstruant, viguit maxime secundo et tertio saeculo Christiano, ut colligitur ex Origene, et omnibus veteribus Patribus: et constat contra ex Galeno de *Simpl. med. facult.* Lib. IX. Cap. 2. Pag. 258. *Gemmas*, quibus essent insculpti *Serpentes* radiati, iamdiu fuisse celebres, et receptas, ut iam late Sect. I. Cap. 2. Pag. 284. 286. vidimus.

4. Quarto, quia haec *Hierogrammata* a Galeno, Aëtio, et aliis tribuuntur vetusto Regi Aegyptiorum *Nechepso*; cuius libri et imposturae, vetustiores fine saeculi primi Christiani sunt omnino dicendae.

5. Quinto, quia revera in *Voce* XNOUBIC temurice esse nomen *Nechepsi* animadvertimus ad *Lemmata Hierograph.* Sect. III. Cap. I. Pag. 268. 269.

6. Sexto, quia *Vox* XNOUMIC fuit etiam nomen *Decani* Aegyptiorum, quod Salmasius ex MS. *Hephaestionis Thebaei* colligit in *Annis Climat.* Pag. 566. et 611. et hoc nomen spectasse ad *Astrologiam Iatromagicam Nechepsi*, et *Petosiridis* dubitari non potest.

9. Septimo, quia valde probabile est isto *Serpente Leonto-Cyno-cephalo* radiato expressum fuisse vetustissimum *Herculem Phoenicium*, et *Aegyptium* dictum Χων, Γιγων, Παταικον, et כיון KIUN, ut vidimus ad *Lemmata Hierogr.* Sect. III. Cap. I. Pag. 264. 265.

Tribuere igitur has *Gemmas Ophitis Gnosticis* est intrinsece absurdum et irrationale.

SECTIO III.

GEMMAE ABRAXEAE TRIBUENDAE OMNINO SUNT SAMARITANIS ALEXANDRINIS.

CAPUT I.

Gemmarum Abraxearum auctores sive unicos, sive praecipuos fuisse Alexandrinos Aegyptios certo tenendum est.

Art. I. *Ex omnibus Urbibus Orientis a primo Saeculo Christiano ad sextum una Alexandria Aegyptia aptior et opportunior fuit ad condendas et divendendas Gemmas Abraxeas.*

Nam everso *Seleucidum* Imperio, et a *Parthorum* vi pluribus urbibus *Mesopotamiae* et *Syriae* occupatis, vel vexatis, una omnino *Alexandria Aegyptia* superfuit, qua *Sectarum*, et *Gentium* varietate, *Medicorum*, *Iatromagorum*, *Mathematicorum*, sive *Astrologorum* numero, sedulitate, alacritate; variis insuper ac diversis Artibus Civium; tum amplissimo et actissimo Rerum omnium *Commercio* aptissimus locus esse potuit condendis, et divendendis hisce *Gemmis Abraxeis*. *Civitas opulenta*, scribebat *Hadrianus Imperator* apud *Vopiscum* in *Saturnino* Pag. 723. 725. *dives*, *foecunda*, *in qua nemo vivat otiosus*; *alii vitrum conflant*, *ab aliis charta conficitur*, *alii linysphiones sunt*, *omnes certe cuiuscumque artis et videntur*, *et habentur*: *Podagrosi quod agant habent*, *habent caeci*, *quod faciant*, *ne chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt*, etc.

Art. II. *Plura Symbola et Hieroschemata Gemmarum Abraxearum unam Alexandriam Aegyptiam perspicue demonstrant.*

Ea nempe primum, quae spectant ad *Harpocratem*, et *Anubidem Abraxeum*, qui omnino *Alexandrini* sunt: quum certum sit horum *Deorum Schemata*, ut sunt *Alexandrina*, et *Abraxea*, nuspiam identicâ formâ conspici in *Hierodramatibus* veteribus, quae sunt in Parietibus Templorum cuiuscumque alterius Urbis Aegypti. Adeoque Datis *Harpocrate*, et *Anubide Alexandrinis*. 2. Dato *Flore Loti*. 3. Dato *Flore Perseae*. 4. *Crocodilo*. 5. *Cercopitheco*. 6. Data Figura Nili Symbolica etc. quae saepe in *Gemmis Abraxeis* conspiciuntur, Data etiam necessario est *Alexandria Aegyptia*. Et quoniam in *Lemm. Hierograph.* Sect. II. Cap. 3. Pag. 245. 246. et Cap. 4. Pag. 250. ostendimus *Leonem Abraxeum* indicare *Niliacam exundationem*: Quin Sect. I. Cap 5. Art. 4. Pag. 222. 224. totum *Lemma Abraxeum* ad *Nilum*, et bona, quae ex felici inundatione expectabantur referendum esse demonstravimus, magis magisque firmatur Sedem sive unicam, sive principem *Abraxeographorum* fuisse *Alexandriam Aegyptiam*.

Art. III. *Nomen ipsum Alexandriae Aegyptiae in Gemmis Abraxeis est saepe agnoscendum.*

1. Et primum in praestanti *Gemma*, quam modo citavimus, et quae conspicitur apud Montfaucon Tom. II. 2. Tab. 147. in qua Lemma clauditur vocibus BI-AAEΞANΔP: Atqui BI esse non potest nisi praepositio, quae aequivalet IN, et adeo vertendum IN ALEXANDRIA.

2. In alia *Gemma* apud eumdem Montfaucon

Tab. 153. cuius antica pars habet sive *Solem*, sive *Harpocratem* Loto insidentem, et cui adscriptum ΕΙϹ ΖΕΥϹ ϹΕΡΑΠΙϹ: Legitur *Δος χαριν* ΑΛΕΞΑΝΔ. *Des gratiam Alexandriae.*

3. In alia *Gemma* apud Passerium Tom. II. *Gemm. Astrif.* Pag. 270. num. 116. probabile est legi etiam ΑΛΕΞΑΝΔΡ. *Alexandria.*

4. In alia *Gemma*, quam adfert Kircherus in *Arithmologia*; et cuius *Lemma* interpretati sumus ad *Lemmat. Hierograph.* Pag. 230. 231. agnoscendam esse pariter *Alexandriam* non *Alexandrum* quempiam arbitramur. Nam in eâ advocantur et *Bel Syrorum*, et *Oromazes Persarum*, et haec invocatio ut inepta est cuicumque *Alexandro*, ita est contra aptissima *Alexandriae Aegyptiae*, in qua et *Syri*, et *Palaestini*, et *Persae* plurimi semper habitarunt.

CAPUT II.

Hierogrammata Abraxea tribui non possunt Hierophantis Aegyptiorum, non Isiacis, non Hellenistis, non Iudaeis Alexandrinis: Sed tribuenda omnino sunt Alexandrinis Asterolatris, Hebraizantibus, et originis Syro-Persicae, vel Syro-Phoeniciae.

ART. I. *Hierogrammata Abraxea tribui non possunt Hierophantis Aegyptiorum.*

1. Primo, quia nulla *Collegia Hierophantica*, nulla *Tribus* veterum *Sacerdotum* recepta muris *Alexandriae* umquam fuit, nec *Schola* ulla *Hierophantum* in ea urbe instituta, qua *Liturgia* sua, *Dii* sui, *Disciplinae* suae, *Scriptura* sua servarentur, et traderentur.

2. Secundo, quia *Hierophantae Castici* et hereditarii vetera *Systemata* sua *Theologica*, antiquas Deorum suorum *formas* numquam mutant, numquam deponunt, nisi ipso *Casticismo* reiecto, nisi per *apostasiam* alio *Theologico Systemate* adoptato et recepto. Atqui *Hierophantas Aegyptios* tertio, quarto, quinto saeculo Christiano servasse adhuc ipsas fere vetustissimas superstitiones suas, et ipsam suam absurdissimam *Zoolatriam* ex omnibus Scriptoribus, qui per haec saecula *Aegyptiorum* Religionem attigerunt, constat, nosque id animadvertimus in *Fund. Hermenet.* Libr. III. Sect. I. Pag. 286. Quin quum *Serapis* Ponticus Deus factus esset *Deus* maximus *Alexandrinorum*, et adeo ratione Regiae probationis, omnium Aegyptiorum, constantissime *Hierophantae* obnixi sunt contra, ne eius Sacella et Templa intra Urbium suarum recinctum inferrentur, sed extra *Pomoeria* reiicerentur, quemadmodum tradit Macrobius *Saturnal.* Lib. I. Cap. 8. Pag. 185. Atqui *Pantheum Abraxeum* penitus discrepat a *Pantheo Aegyptio-Aethiopico* veterum *Hierophantum*. Nam in infinitis *Dramatibus* sacris *Hierophanticis*, quibus tota fere adhuc *Aegyptus* exornatur, nec ullus *Aeon Abraxeus*, nec ulla *Hecate*, nec ullus *Miles Galliceps*, et *Serpentipes*, nec ullus *Corvus*, nec ullus *Serpens cristatus* conspectus umquam fuit: et ipsius *Harpocratis* Icones, ut iam monuimus, plerumque longe diversae sunt, et numquam plane similes vel eaedem cum *Abraxeis*.

Quamobrem exploratissimum esse debet longe alios, et penitus diversos a *Hierophantis Thebaeis*, vel *Memphiticis* fuisse Auctores *Panthei Abraxei*.

Art. II. *Isiaci Alexandrini haberi non possunt Auctores Hierogrammatum Abraxeorum.*

Nam quamvis inter *Pantheum Isiacum*, et *Abraxeum* plura similia sint, vel plura non dissimilia, ut vidimus supra Pag. 303. 305., plura etiam sunt diversa, et omnia insuper alias manus, alia ingenia, alias origines produnt. Et profecto in *Pantheo Abraxeo* non *Isis*, non *Serapis* apparent *Symbolis* suis, iisque manifestis insignes, et hi *Typi* plane fundamentales et primi sunt in *Pantheo Isiaco*. Tum ipse *Harpocrates*, ipse *Anubis Abraxei*, vel numquam, vel fere numquam ita prorsus exsculpuntur in *Gemmis*, ut in *Monumentis Isiacis* genuinis conspiciuntur. Tum nec *Corvus*, nec *Gallus*, nec *Hecate Triformis*, nec *Miles* ille, sive *Galliceps*, sive *Leontocephalus* in *Pantheo Isiaco* uspiam apparent. Atqui haec tanti sunt, ut plane alios *Auctores*, plane alias *origines Pantheo Abraxeo* fuisse certissime evincant. Vid. Pag. 282. 283.

Art. III. *Hellenistae Alexandrini, sive Graeci, Macedones, et alii omnes, qui Hellenismum, sive Pantheum Graecorum servabant, haberi non possunt auctores Hierogrammatum Abraxeorum.*

Nam *Typi Panthei Abraxei* sunt prorsus alii a *Typis Panthei Graeci*, et *Macedonici*. Quis *Graecorum*, vel *Macedonum* Deos magnos habuit *Milites Gallicipites*, vel *Leontocephalos*? Quis saltem Diis *Abraxeis* Paredros et Adhaerentes vidit *Iovem*, *Iunonem*, *Minervam*, *Apollinem*? vel *Aquilam* illam *Iovialem Stemma* receptissimum *Ptolemaeorum*? Ad Gentem ergo longe aliam a *Graeca*, vel *Macedonica* spectasse *Gemmas Abraxeas* certo pariter tenendum est.

Art. IV. *Gemmae Abraxeae tribui non possunt Iudaeis Alexandrinis.*

Iudaei enim a reditu ex servitute *Babylonica*, et longe diligentius post tempora *Antiochi Epiphanis* ita penitus *Legibus Mosaicis* adhaeserunt, ita vehementer a cultu *Idolorum*, et a quibuscumque *Iconibus* et *Simulacris Idololatricis* abhorruerunt, ut verissimum facientes quod *Deus Opt.max.* per *Hieremiam Prophetam* Cap.XXXII: v. 38. 39, pollicitus fuerat: atrocissimis potius persequutionibus, et infandis malis vexari, et tandem obrui, et disperdi penitus maluerunt, quam vel levissima cultus *Idololatrici* infamiâ amplius foedari. *Iudaei* porro singillatim, qui in *Alexandria* sedem suam posuerunt, quantâ curâ se se immunes ab *Idololatricis* usibus servassent ex *Iosepho*, et *Philone* patet, et ex historia ceterorum *Iudaeorum* ibi illustrium colligitur. quam magna ex parte exornavit doctissimus Walkenaer in suo *Aristobulo Iudaeo.*

Nec dici potest ex *Iudaeis* semper fuisse plures *Ethnicophilos*, et qui propterea videri possint idonei ad haec *Hierogrammata* condenda. Nam *Iudaei Ethnicophili* adoptassent quidem hoc vel illud *Hierogramma Persicum*, *Syrum*, *Phoenicium*, *Aegyptium*, ut semper fecerunt; non vero pertinacissima cura integrum *Pantheum* magna ex parte a reliquis distinctum condidissent; quod fieri non potuit nisi a Tribu, vel *Gente* ampla, numerosa, et florente. Atqui iam II. Saeculo Christiano nulli fere erant *Iudaei*, atrocissimo illo Bello *Hadrianeo* penitissime contriti, reliquiisque miserrimis vel in extremos Mundi angulos dissipatis. At ab ipso Saeculo primo, et si minus, a secundo *Christiano Gemmas Abraxeas*

celebrari coepisse observatum a nobis est Sect. I. Cap. VI. Pag. 311. 312.

Atr. V. *Attamen Hierogrammata Abraxea tribuenda esse Sectae vel Genti Hebraizanti dubitari non potest.*

1. Nam nisi Auctores *Abraxeogrammatum* aliquo penitiore vinculo, et intimiore relatione sociati fuissent cum *Hebraeis*, numquam tam constanter et perpetuo *nominibus Dei*, et *Angelorum Hebraicis* uti potuissent; Numquam in *Voce* ABRAXAS imitari contendissent arcanum et ineffabile שם SCM *Hebraeorum*, ut animadvertimus ad *Lemm. Hierographica* Sect. I. Cap. 3. Pag. 213. 214. : Numquam tam constanter et pertinaciter ab adponendis nominibus receptis et solemnibus Deorum Gentilium *Harpocratis*, *Anubidis*, *Hecates* abstinuissent : Quid quid sit de *Serapidis* nomine semel, quod sciam, ad Typum inopportunum in *Gemma Abraxea* adposito. Praeterea uni *Hebraei* inter veteres Gentes constituere et tenere potuerunt *Monarchiam* quamdam *Asterolatricam*, ut illa fere est, quae ex *Gemmis Abraxeis* colligitur, quemadmodum observavimus Sect. I. Cap. 3. Pag. 286. 293. : Et *Hebraeos Ethnicophilos* primos *Angelos* in Planetis collocasse, ex iis, quae toto Cap. 7. Pag. 314. ad 329. disputavimus, abunde patet. Quamobrem plane certo tenendum est *Abraxeographos* spectasse ad Sectam, vel Gentem *Hebraizantem*.

Art. VI. *Alexandrini Hebraizantes Auctores Abraxeogrammatum habendi omnino sunt origine Syro-Persae, vel Syro-Phoenices.*

1. Primo, quia, ut vidimus Sect. I. Cap. 5. Pag. 305. 310. inter *Pantheum Abraxeum*, *Mi-*

thriacum, et *Palmyrenum* est intima et manifesta relatio: Et haec intima relatio oriri non potuit nisi ex *Originis communione*. Atqui *Pantheum Mithriacum*, et *Palmyrenum* sunt *Syro-Persica*.

2. Secundo, quia *Typus Hecates Abraxeae* omnino *Syro-Persicus* est habendus. *Hecate* enim est אחד ACD, ACAD, HECAD *Syrorum*, *Bellona*, et *Anaitis Medorum* atque *Persarum*, *Diana Taurorum* atque *Comanorum*, de qua egerunt Vossius, Millius, Iablonskius, Creuzerus cum Guigniauto, et alii plures.

3. *Typus Galli* et *Militis*, sive *Martis* et *Galli* est etiam *Persarum*, apud quos *Mars* Deus summus, et *Gallus* maxime sacer, ut iam indicavimus ad *Lemmata Hierogr*. Sect.I.Cap.I. pag. 199.200.

4. Ipse *Leo*, etsi Aegyptiis non ignotus. est tamen *Symbolum* celeberrimum *Syris*, et *Persis*: *Leo Mithriacus*, *Leo Palmyrenus*, *Leo Heliopolitanus* ad Libanum nobilissimi.

5. *Aeon Abraxeus* est satis similis *Saturno Phoenicio*, et *Serpens caudam mordens* est *Symbolum* omnino *Phoenicium*, ut testatur Macrobius Lib. I. *Saturn*. Cap. 9. Pag. 193. et minime *Aegyptium*, vel *Aethiopicum*, quum nuspiam in veteribus eorum *Monumentis* conspiciatur.

Auctores igitur *Abraxeogrammatum* fuisse *Originis Syro-Persicae*, vel *Syro-Phoeniciae* certo tenendum est.

CAPUT III.

Samaritanos Palaestinos fuisse originis Syro-Persicae, vel Syro-Phoeniciae, et ultra quintum Ecclesiae Saeculum plurimos ex eis fuisse cives Alexandrinos, et Hebraizantes certum est.

Art. I. *Samaritae Palaestini fuerunt origine Syro-Persae, vel Syro-Phoenices.*

1. Nam haec leguntur Libr. IV. *Regum* Cap. XVII. v. 24. *Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone, et de Cutha, et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim: et collocavit eos in Civitatibus Samariae pro filiis Israel*: Tum haec in Libr. I. *Esdrae* Cap. IV. v. 9. *Reum Beelteem, et Samsai Scriba, et reliqui consiliatores eorum Dinaei, et Apharsathachaei, Terphalaei, Apharsaei, Archuei, Babylonii, Susanechaei, Dievi, et Aelamitae. et ceteri de Gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus et gloriosus, et habitare eos fecit in civitatibus Samariae.* etc. Atqui etiamsi ex his Populis plures sint obscuri et indefiniti, plures contra noti sunt, et certae sedis. Et quidem *Babylonios, Archuaeos, Susanechaeos*, quin etiam *Cutaeos* ex *Iraca Babylonia*, et *Susiana* esse educendos plane constat; ut contra *Emathaeos*, et *Avaeos*, et *Sepharvaitas* ex *Emath Syra*, et aliis Urbibus *Syro-Phoeniciis* esse petendos. Vid. *Calmetum*, et ceteros *Interpretes* ad haec loca, Michaelis in *Spicilegio Geographiae Hebraicae*, et *Haarenberg* in *Miscell. Berolin.* Tom. VII. Pag. 433. 434. etc.

Art. II. *Plurimi Samaritani fuerunt Cives Alexandrini a tertio saeculo Pro-Christiano ultra quintum et sextum Christianum.*

Plures *Samaritanos* ductos fuisse *Alexandriam* a *Ptolemaeo* Lagi filio testis est Iosephus Flavius Libr. XII. *Antiqu.* Cap. I. Pag. 585. : et alios plures deinceps soli bonitate, et *Ptolemaeorum* clementiâ allectos in *Aegyptum* profectos fuisse ibi etiam indicavit, quamvis de unis *Iudaeis* loqui videatur. *Secundo* autem *Saeculo* Christiano *Samaritas* fuisse ex illustrioribus et insignioribus *Gentibus*, quae *Alexandriam* incolerent, testis ipse Imperator *Hadrianus* apud *Vopiscum* in *Saturnino* Pag. 721. scribens : *Nemo illic Archisynagogus Iudaeorum, nemó Samarites, nemo Christianorum presbyter non Mathematicus, non Haruspex, non Aliptes.* Ipse vero *Vopiscus quarto saeculo* florens paullo supra Pag. 719. scripserat: *Alexandrini versificatores, Epigrammatarii, Mathematici, Haruspices, Medici, ut et Christiani, et Samaritae, et quibus praesentia semper tempora cum enormi libertate displiceant.* Ex *Oratione* XI. *Eulogii* Archiepiscopi *Alexandrini* cuius Excerptum Photius in *Bibliotheca* servavit Cod. 230. Pag. 883. 884. constat sub ipsum finem *Saeculi sexti* Christiani plurimos fuisse adhuc *Samaritanos* in *Alexandria* ista *Aegyptia*.

Art. III. *Samaritanos Alexandrinos fuisse Hebraizantes certum est.*

Samaritanos Palaestinos suscepisse *Legem Mosis*, et *Pentateuchum* adoptasse iam a temporibus *Asaradonis* Regis *Assyriorum* ex IV. Lib. *Regum* Cap. 17. v. 25. 32. constat. Tum invocasse , et coluisse ritu Mosaico *Deum opt. max.*

Hebraeorum ipsimet testantur apud EsdramLibr.I. Cap. IV. v. 2. dicentes: *Ita ut vos quaerimus* (invocamus). *Deum vestrum: Ecce nos immolavimus victimas a diebus Asar-adon Regis Assur, qui adduxit nos huc.* Tum *Samaritanos Alexandrinos* perpetuas contentiones cum *Iudaeis* exercuisse, et quandoque usque ad sanguinem, de praestantia et praeeminentia *Templi* sui *Garizimitici* testis est Iosephus Flavius tum Lib. XII. *Antiq.* Cap. 1. tum Libr. XIII. Cap. 6. Et sub ipso fine *Saeculi* VI. Christiani omnino *Hebraizasse* ex *Oratione Eulogii* Archiepiscopi *Alexandrini* a Photio in compendium redacta, et modo citata constat. Quamobrem *Samaritanos* adhibuisse *Nomina Dei opt. max. Hebraeorum* ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΕΛΩΗΙ, CΑΒΑΩΘ, et ex intimo commercio plurimorum *Iudaeorum* et *Israelitarum*, qui ante et post *Manassem Sanaballati Cutaei Generum* ad *Samaritanos* transfugerant, *nomina Angelorum Hebraeorum* ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ, et aliorum adsumsisse et adoptasse omnino tenendum est.

CAPUT IV.

Samaritanos Alexandrinos Hebraizantes, et originis Syro-Persicae fuisse Asterolatras adhuc quarto saeculo Christiano dubitari non potest.

Art. I. *Samaritani Palaestini erant Idololatrae adhuc sub Esdra.*

Nam haec leguntur Libr. IV. *Regum* Cap. 17. v. 33. *Et quum* (Samaritani) *Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerunt*

Samariam: v. 34. *Usque in praesentem diem morem sequuntur antiquum* . . . . v. 41. *Fuerunt igitur Gentes istae timentes quidem Dominum, sed nihilominus et Idolis suis servientes. Nam et filii eorum, et nepotes sicut fecerunt Patres sui, ita faciunt usque in praesentem diem.* Atqui plerique docti viri tenent Sacerdotem *Esdram* ex veteribus *Commentariis* concinnasse, disposuisse, descripsisse postremos *duos Libros Regum*: Et profecto, quidquid sit de reliquis *Capitibus*, certissime prorsus tenendum est *hoc Caput* ab *uno Esdra* conscribi potuisse. Nam de ista *Samaritanorum Idololatria*, de ista *Cultuum* confusione tam multa, et tam prolixe queritur, tam longam aetatem a prima *Samaritanorum* constitutione in Palaestina significat, ut apertissime suam aetatem prodat, quae *duobus* circiter *Saeculis* a *Coloniarum* adventu distabat.

Art. II. *Samaritae Palaestini, et adeo maiore cum ratione Alexandrini. erant adhuc Idololatrae sub Antiocho Epiphane et Machabaeis.*

Nam in illa atroci persequutione *Antiochi Epiphanis, Iudaei* quidem direpti, vexati, necati, *Samaritani* contra non modo incolumes et quieti manserunt, sed in *Iudaeos* arma sumserunt, et bellarunt. Legimus enim I. *Machab.* Cap. III. v. 10. *Et congregavit Apollonius Gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam ad bellandum contra Israel.* Persequutio autem ista non fuit *Civilis*, sed vere et proprie *Religiosa*, ut ex libris *Machabaeorum*. et *Iosephi* palam est. I. *Machab.* Cap. I. v. 43. legimus: *Et scripsit Rex Antiochus omni Regno suo, ut esset omnis Populus unus, et relinqueret unusquisque legem suam*: v. 44. *Et consenserunt omnes Gen-*

tes secundum verbum Regis Antiochi : 45. *Et multi ex Israel consenserunt servituti eius* , *et sacrificaverunt Idolis* , *et coinquinaverunt Sabbatum.* Adeo ut *Samaritanos* fuisse tum *Idololatras* , quod incolumes extitissent in illa religiosa persequutione plane exploratissimum tenendum est. Praeterea ex *Epistolâ* etiam , quam *Samaritae* miserunt *Antiocho* , et quam refert *Iosephus* Libr.XII.*Antiqu.*Cap.7.pag.410. eos tum esse, et fuisse *Idololatras* evidenter arguitur. Sunt qui ex ista *Epistolâ Orthodoxiam* potius quamdam *Samaritanorum* vellent coniicere. Sed plane perperam. Nam, quum *Rex* severissime praecepisset omnem Populum Regni sui *unis* ipsisque *Legibus* Religiosis subiici et regi , *Samaritae* etsi *Idololatrae* , quia quosdam *ritus Iudaicos solemnes* et publicos susceperant, et retinebant, iure timebant, ne eâdem persequutione involverentur. Quamobrem statim festinarunt paucos illos *Ritus* deponere, *Templum Dei opt.max. Garizimitici* dicere *ανωνυμον* , et dicare *Iovi Graecorum* , et *nomine* Θεου Επιφανους appellare scelestissimum illum *Antiochum.*

2. Praeterea quum *Auctor Ecclesiastici*, qui vivebat circa haec ipsa tempora Cap. L. v. 27. scripserit : *Duas Gentes odit anima mea* : *tertia autem non est Gens*, *quam* (sic) *oderim*: *v.*28. *Qui sedent in monte Seir*, *et Philistiim* ; *et stultus Populus*, *qui habitat in Sichimis* : Atqui *odium* tam profundum , tam intimum , tam pertinax in Viro praestantissimo nisi ex peccato infando , nisi a scelere summae malitiae dari non potest: Scilicet a stulta , et impia confusione *Rituum Idololatricorum*. et *Mosaicorum* , ex absurdissima adsociatione *Dei opt. max.*, et *Nergalis* ; Quod hactenus pervicacissime servarent su-

perstitiones illas *Idololatricas*, quas habuerant *ab initio.*

ART. III. *Samaritanos Palaestinos*, *et potiore iure Alexandrinos*, *numquam sincere*, *unice*, *et penitus Legi Mosaicae adhaesisse saltem ad quintum sextumque Saeculum Christianum certo tenendum est.*

Nam quemadmodum ipsi *Samaritani* ad *Antiochum Epiphanem* scribentes fatebantur *Templum* in *Garizim* non fuisse dicatum *Deo certissimo*, conditori omnium, unico *Deo opt. max.* Sed cuidam *Deo anonymo*: Ita ipse *Iesus Christus* ad *Samaritanam* apud *Ioannem* Cap. IV. v. 22. dicit: *Vos adoratis quod nescitis*, *nos adoramus*, *quod scimus*. Tum Matth. V. v. 5. *Samaritani* omnino *Gentibus* comparantur: et penitus a *Iudaeis* discernuntur. *Hos duodecim misit Iesus*, *praecipiens eis dicens*: *In viam Gentium ne abieritis*, *et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*: v. 6. *sed potius ite ad oves*, *quae perierunt Domus Israel.* Atqui ubi *Samaritani* tum adhaesissent penitus *Legi Mosaicae*, ubi *Deum opt. max.* sincere coluissent, et ab omni superstitione *Idololatrica* abstinuissent, omnia eis aderant, per quae *Messiae* benefacta consequerentur, et a *Iesu Christo* iuvarentur. Quod si penitus ab *ovibus Israelis* discernuntur, si ad *Israel* non spectabant, adhuc *Idololatricis* nequitiis infecti dicendi sunt. Et profecto ex Nummis *Neapolis Samaritidis* cusis sub Romanis Imperatoribus *Nerone*, *Commodo*, *Caracalla*; et quos vel proferunt, vel indicant *Norisius* de *Epoch. Syromaced. Diss.* V. pag. 566. 567. *Basnage Hist. des Iuifs.* Tom. III. Pag. 127. 130. *Millius Diss. XIV. de Causs. Odii*, Pag. 443. 444. aliique

plures, omnino constat *Samaritas* numquam penitus *Idololatricis* suis *Ritibus* renuntiasse, et *Legi Mosaicae* plene adhaesisse. Plures sunt ex recentionibus Scriptoribus. Hottingerus, Relandus, Cellarius, Millius, etc. qui nescio quam *Orthodoxiam Samaritanorum* et plane acriter et pertinaciter tuentur: Sed omnino iniuria. Nam *Samaritani*, quos ipsi noverunt, et quos tuentur, sunt *Samaritani* Saeculi Christiani XVI. et XVII. utque ipsimet altissime profitentur sunt *filii Iacob*, sunt posteri *Israel*; non sunt filii *Cutaeorum*, *Sidoniorum*, et *Persarum*, ut erant *Samaritani* de quibus agimus, utque illi etiam ex parte erant, qui sub *Nerone*, et *Commodo*, et *Caracalla Samaritidem* occupabant. Quumque porro certum sit inter *Samaritanos Cutaeos*, *Persas*, *Syros*, *Phoenices* adlectos fuisse iam ab aetate *Asaradonis*, *Esdrae*, et *Seleucidum* plures *Israelitas* ex *decem Tribubus*, et plures *Iudaeos apostatas*, et qui in *Legem Mosis* peccassent, ut Iosephus testatur Libr. XI. *Antiquit.* Cap. 8. Pag. 586. hinc factum quod Saeculo XVI. et XVII. *Samaritae* ex una *Iacobi* stirpe se oriundos esse iactarent: et ideo alios et diversos se esse ab illis *Cutaeis*, de quibus nos agimus, palam profiterentur.

Art. IV. *Samaritanos Alexandrinos adhuc secundo et quarto saeculo Christiano fuisse Asterolatras dubitari non potest.*

Nam *Hadrianus Augustus* apud *Vopiscum* in *Saturnino* Pag. 721. de *Alexandrinis* loquens addit: *Nemo Samarites. . . . non Mathematicus*, (nempe Astrologus), *non Haruspex*, *non Aliptes. Ipse ille Patriarcha quum Aegyptum venerit ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chri-*

stum. Et quum *Serapidem* Deum maximum unicum *Alexandrinorum* affirmet, et *Samaritas Astrologos* faciat, quum ea aetate *Astrologia* non fuerit ab *Asterolatria*, sive a quacumque *Asterodulia* seiuncta, dubitari nequit, quin *Serapidis*, sive *Solis*, et *Planetarum* cultores tum fuissent *Samaritae*. Neque id sententiae nostrae obstat. Nam si minus *Icones Serapidis* notae et communes insculptae in *Gemmis Abraxeis* occurrunt, sunt *homiodynamicae*, sunt aequipollentes, quod plane satis est in illo *Syncretismo Theologico*, quem omnes fere Gentes, ipsique *Philosophi* tum fuerant amplexi. Et hinc quidem factum, ut supra Pag. 372. memoravimus, quod in *Gemma Abraxea* et *Alexandrina Harpocrati* adpositum sit *Lemma*: Εις Ζευς Σεραπις. *Quarto* autem *Saeculo* Christiano in eadem professione mansisse *Samaritas Aegyptios*, ipse *Vopiscus* loc. cit. Pag. 729. testis scribens: In urbe Alexandria . . . . . . *versificatores*, *epigrammatarii*, *Mathematici*, *Haruspices*, *Medici*, ... *Christiani*, *et Samaritae*, *et quibus praesentia semper tempora cum enormi libertate displiceant*.

CAPUT V.

Ergo unis Samaritanis Alexandrinis Gemmae Abraxeae sunt tribuendae.

Art. I. *Colliguntur Argumenta iam prolata.*

1. *Gemmae Abraxeae* spectant ad *Alexandrinos*, ut diximus hâc Sectione Capit. I. Art. 1. 2. 3. Pag. 366. 368. et Sect. I. Cap. 5. Pag. 303. 305. Et ex *Samaritanis* plurimi fuerunt Cives *Alexandrini* a tertio Saeculo Prochristiano ad sextum Christianum, et longe ultra, ut vidimus Cap. III. Art. 2. Pag. 375.

2. *Gemmae Abraxeae* spectant ad *Gentem* vel *Sectam Asterolatricam*, ut vidimus Sect. I. Cap. 3. Pag. 286. 292. et Cap. 5. Pag. 301. 302., et *Samaritani Alexandrini* fuerunt adhuc IV. Saeclo Christiano *Asterolatrae*, ut vidimus paullo supra Cap. IV. Pag. 380. 381.

3. *Gemmae Abraxeae* spectant ad Gentem *Angelolatricam*, et *Hebraizantem*, ut demonstravimus Sect. I. Cap. 3. Pag. 291. 295. Cap. 4. Pag. 297. et Cap. 7. Pag. 314. ad 329. Et *Samaritanos Hebraizasse* demonstratum est Cap. III. Art. 3. Pag. 375 376.

4. *Gemmas Abraxeas* tribuendas esse *Sectae*, vel *Genti* originis *Syro-Persicae* vel *Syro-Phaeniciae* vidimus Sect. I. Cap. 5. Pag. 301. ad 311. ad *Lemm. Hierogr.* Sect. I. Cap. I. pag. 202. 206. et *Samaritanos* fuisse revera originis *Syro-Persicae* et *Syro-Phoeniciae* ostendimus Sectione hac Cap. III. Pag. 374. 375.

5. *Gemmae Abraxeae* spectant ad *Gentem* sollertem, intime cum *Gentibus Idololatricis* commixtam, claram, numerosam, ut vidimus Sect. I. Cap. VI. Pag. 311. ad 314, et *Samaritanos Alexandrinos* fuisse huiusmodi testimoniis *Hadriani Augusti*, et *Vopisci* certo arguimus hac Sect. Cap. 4. Pag. 380. 381.

Art. II. *Additur aliud Argumentum ex consideratione ipsorum Hierogrammatum Abraxeorum.*

1. Legitimum *Pantheum Samaritanorum Alexandrinorum* debet necessario constare *Typis Theologicis* tum *Patriae* suae veteris *Syro-Persicae*, tum novae sive *Aegyptiae*, tum signis insuper evidentibus *Religionis Hebraicae*, quam adoptaverant. Atqui in *Gemmis Abraxeis* 1. *Mi-*

les Galliceps. 2. *Hecate*. 3. *Serpens ellipseides*. 4. *Aeon*. 5. *Leo*. 6. *Corvus*. etc. sunt *Typi Syro-Persici*, vel *Syro-Phoenicii*: ut ostendimus ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. 1. pag. 198. 206. Sect. II. Cap. I. pag. 227. et hic Sect. I. Cap. V. pag. 305. ad 312. Contra vero 1. *Harpocrates*. 2. *Anubis*. 3. *Crocodilus*. 4. *Cercophithecus*, 5. *Flores Loti*. etc. sunt *Typi Aegyptii*, sive *Alexandrini*, ut notum est, nosque animadvertimus Sect. hac Cap. I. pag. 366. 368. et Sect. I. Cap. V. pag. 301. 305. Tandem nomina ΙΑΩ, ΑΔΩΝΑΙ, ΣΑΒΑΩΘ, ΕΛΩΗΙ etc. sunt *Nomina Dei opt. max. Hebraeorum*, et ΜΙΧΑΗΛ, ΓΑΒΡΙΗΛ, ΡΑΦΑΗΛ etc. sunt *Nomina Angelorum Hebraeorum*, ut omnes sciunt, nosque adnotavimus Sect.I. Cap. 3. pag. 291. 293. et alibi, tum ostendimus Sect.I. Cap. 7. pag. 314. ad 329. omnium primos *Iudaeos Ethnicophilos Angelolatriam Planeticolam* exercuisse, et tenuisse. Ergo in *Gemmis Abraxeis* servatur proprium et legitimum *Pantheum Samaritanorum Alexandrinorum*. Et quoniam hi characteres et *Typi* nulli alteri sive *Sectae*, sive *Genti* conveniunt, vel possunt aeque convenire, ideo prorsus certo tenendum est *Gemmas Abraxeas* ad *Samaritanos Alexandrinos* unice et necessario spectare.

Art. III. *Alia Argumenta afferuntur ex ipsa analysi Hierogrammatum Abraxeorum.*

1. Primum, quo ostendimus ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. II. Pag. 208. *Militem Gallicipitem* Typum fundamentalem et centralem *Panthei Abraxei* Pag. 276. 277. esse ipsum *Emblema* Dei NERGALIS *Cutaeorum*, ipsum *Stemma Dei* praecipui *Samaritanorum*.

2. Secundum, quo demonstravimus Cap. II. Art. 2. Pag. 210. 211. eumdem *Militem Gallicipitem* habendum esse *Stemma* Gentilitium *Sichemitarum Samaritanorum*.

3. Tertium, quo ostendimus loc. cit. Sect. I. Cap. 3. Pag. 218. vocem *Abraxas* intime respondere *Typo Gallicipiti*, centro *Panthei Abraxei*, et *Stemmati Cutaeorum*.

4. Quartum, quo ostendimus loc. cit. Sect. II. Cap. 3. Pag. 248. 249. *Leonem Abraxeum* habendum esse *Stemma* Civitatis *Hamath*, ex qua alia Colonia *Samaritanorum* deducta fuit.

5. Quintum, quo Loc. cit. Cap. III. Art. 4. Pag. 249. probabile esse vidimus *Leone* et *Capite Tauri* satis commode significari posse *Montem Garizim Samaritanorum*.

Ergo unis *Samaritanis Alexandrinis Gemmae Abraxeae* sunt tribuendae.

CAPUT VI.

Refelluntur Obiectiones.

Art. I. *Refellitur Obiectio prima.*

1. At obiicies: Theodoretus Quaest. 15. in *Genesin* affirmat *Samaritanos* pronuntiare IABE nomen *Hebraicum* יהוה IEVE: Atqui in *Gemmis Abraxeis* scribitur ΙΑΩ, vel alia proxima *Vox*, non IABE, sive IAVE. Respondeo. 1. *Pronuntiationem* Vocum *Semiticarum* esse natura sua mire variam tum secundum loca, tum secundum tempora, tum secundum Gentes, Tribus, Sectas, Scholas: Adeoque nil obstare quin *Samaritanus Palaestinus* Theodoreti coaevus pronuntiasset IABE, vel IAVE; quod *Samaritanus* Alexandrinus secundo vel tertio saeculo pro-

nuntiasset ΙΑΩ : quam vocem Origenes pariter *Alexandrinus Comm.* in *Iohan.* Tom.II. Op.ed. Huet.Pag.48. pronuntiabat etiam ΙΑΩ : S. Clemens aeque *Alexandrinus Stromat.* V. Pag.562. IAOU: S. Hieronymus in *Psalm.* VIII. IAHO : et S. Epiphanius ex Iudaeorum, ut videtur, pronuntiatione IABE , sive IAVE ad *Haeres.* XL. Pag. 296. Praeterea nos animadvertimus ad *Lemm. Hierograph.* Pag. 213. 214. ΙΑΩ *Abraxeographorum* non respondere ipsi יהוה IEVE *Hebraeorum*, sed יהו IEU, IEO , quae vox in Formulis Magicis *Iudaeorum* frequenter occurrere plures iam adnotarunt. Tertio est animadvertendum fuisse iam Gentilibus notum *Nomen* ΙΑΩ, ut ex Diodoro Siculo Libr. I. Cap.94. Pag. 105. Wess. ex Pseudo-Oraculo *Apollinis Clarii* apud Macrobium *Saturnal.* Libr. I. Cap. 18. Pag. 246. constat: et propterea *Abraxeographos*, qui *Gentiles* allicere ad sua conabantur hanc *Vocem* iure debuisse praeferre, quaequae sua vocis huiusmodi pronuntiatio fuisset.

Art. II. *Refellitur Obiectio secunda.*

Obiicies iterum: *Samaritani* ex Libris *Hebraeorum* non susceperunt nisi *Pentateuchum* , Libris ceteris contumeliose etiam reiectis. Atqui *Nomina Angelorum* nullibi leguntur in *Pentateucho* ; sed aliqua leguntur in Libris , quos *Samaritani* prorsus reiiciebant. Respondeo : Systema *Theologicum Hebraeorum* esse necessario *Angelodulicum*, et propterea fieri pon potuisse , quin ab ipsa *Mosis* aetate praecipuis *Angelorum* suum *Nomen*, et sua *Hierologia* fuisset. Et profecto Apostolus *Iudas* in *Epist. Cathol.* v.9. scribens : *Quum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Mosis Corpore.* etc.

aperte ostendit *Hierologium* Archangeli *Michaelis* esse vetustissimam. Praeterea in Libro *Tobiae* Cap. III. v. 25. scriptum est: *Et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos*, etc. et adeo clare indicatum est sancto *Angelo* Dei fuisse iamdiu impositum huiusmodi *Nomen*. et eo pluribus notum. Adeoque tenendum est *Samaritanos* ab eo ipso *Sacerdote Hebraeo*, a quo in *Lege* divina sunt eruditi, et *Nomina* aliqua praecipuorum *Angelorum* audiisse et tenuisse. Quin potuerunt porro audire et recipere ab innumeris *Iudaeis*, qui ad eos se se recipiebant, et una vivebant, ut superius etiam animadvertimus Pag. 376. 380.

Art. III. *Refellitur Obiectio tertia.*

At quid, inquies, tertio, si nonnulli testati sunt *Samaritanos* prorsus negasse *Angelorum* existentiam, quod prae ceteris tueri et defendere conatus est plane pertinaciter *Hadrianus Relandus* Dissertat. *de Samaritanis*? Respondeo: Sanctum Epiphanium diserte testari *Angelos* admitti, et recipi a *Samaritanis Haeres*.XIV.Pag.31. et eos, qui negant, nec auctoritate, nec aetate posse cum isto *Scriptore* conferri; et omnino deceptos fuisse tenendum. Et profecto absurdum est vel cogitare Gentem olim et diutissime et pervicacissime (quidquid visum sit aetate sua *Epiphanio*) *Idololatricam*, *Angelorum* existentiam pernegasse, quum *Dii* Gentium sint species quaedam *Angelorum*, et haud maximis differentiis distincti. Praeterea si *Gnostici Haeretici*, *Samaritani* Secta vel *Gente*, *Angelos* plurimos admiserunt, et praedicarunt: Quidni admisissent Fratres alii, sed *Asterolatrae*? Quin Auctores *Targum Samaritani* non modo veram et distinctam *Ange-*

lorum existentiam clarissime ostendunt, non modo utuntur tantum saepissime *nomine Angeli*, sed plane abutuntur, loco *nominis Dei, Angelum* מלאך MLAK *Dei* saepius supponentes: Et quandoque haeretica sententia: ut *Genes.* V. v. 1. quo versiculo, pro: *ad similitudinem Dei fecit illum*: adpositum est: ad *similitudinem Angelorum* מלאכים MLAKIM: quo loco opinio Adversariorum funditus eruitur. Quod autem *Relando* secus visum sit, factum est, quod is ad naturam et officium *Angelorum* non animadverterit. Nam si cogitasset *Angelos* esse *legatos*, missos Dei, numquam ex propria Persona et propria voluntate iubere, imperare, agere, sed semper Dei: Et Deum contra semper opere et servitio Angelorum uti, omnino intellexisset illas permutationes *Idiomatum* apud *Targumistas* Samaritanos factas, non quod *Angelos* cogitationes et operationes aliquas Animi divini putassent, sed *Ministros*, sed *Servos*, qui non facerent voluntatem propriam, sed facerent אמר AMR *verbum*, et voluntatem *Dei*. Quin si ipse verus *Dei Λογος*, ipse *Sermo*, ipsum *Verbum* est vera et realis *Persona*, quidni essent מלאכים MLAKIM, qui mittuntur, qui adlegantur, qui dicuntur etiam accedere, recedere, venire, abire, servare, tueri?

ART. IV. *Refellitur Obiectio quarta.*

At si *Samaritani* auctores sunt *Abraxeogrammatum*, perges obiicere, et ii tertio saeculo Prochristiano erant iam in *Aegyptia Alexandria* constituti, qui fieri potuit, ut tertium fere saeculum Christianum expectarent, ut sua *Hierogrammata* divenderent et publicarent? Scilicet, respondeo, quia ante hoc tempus non adfuerunt

caussae aequae, vires effectrices sufficientes, ut ea propagarent et multiplicarent. Fuerunt dubio procul *Samaritanis* iam pridem *Emblemata* sua et *Stemmata* sua, sed defuerunt caussae, per quas nota et publica fierent in variis et dissitis Regionibus. At tandem 1. *Astrologiâ Planetariâ* latissime receptâ : 2. *Gemmis Apotropaeis* et Amuleticis avidissime conquisitis : 3. Pantheo *Isiaco*, seu potius *Harpocrateo*, per omnes Imperii Romani provincias diffuso: 4. *Syncretismo Theologico* penes plurimas Gentes probato; non tantum aequum, sed plane necesse fuit, ut tam sero *Gemmae* huiusmodi *Asterolatricae*, *Apotropaeae*, *Harpocrateae*, quoad non parvam partem, et *Syncretisticae* per omnes Imperii Provincias diffunderentur. Ita *Grammata Ephesia* certe vetustiora aetate Plutarchi, et Clementis Alexandrini tum primum celebrari, et late ferri coeperunt. *Pantheum Isiacum* iam sub *Ptolemaeo Lagi* constitutum sub *Vespasianis* primum late suscipi et celebrari coeptum est. *Pantheum Mithriacum* longe vetustius certe aevo *Antoninorum*, tum primum extolli recipi et a plurimis probari coeptum est. Omnium Rerum semina saepius antiquissima diu occulta et ignota manent defectu caussarum impellentium et urgentium; Et si hae non prodeunt, illae non manifestantur, et tum demum hae manifestantur, ubi illae accedunt, et impellunt.

Art. V. *Refellitur Obiectio quinta.*

Si in *Gemmis Abraxeis* continetur *Pantheum Samaritanorum Alexandrinorum* quis facile credet hoc ipsum *Pantheum* expeti, probari, recipi a *Palaestinis*, *Syris*, *Graecis*, *Italis*, *Gallis*, etc. penes quos *Gemmae Abraxeae* pluri-

mae repertae sunt? Facile credet, inquam, quisquis cogitaverit *Pantheum Isiacum*, *Cybelicum*, *Mithriacum* nec illustriora nec vetustiora esse latissime recepta. Quin dato *Syncretismo Theologico*, data *Astrologia Planetaria*, et persuasione virtutis *Amuleticae*, summo potius ardore *Gemmae Abraxeae* quaerendae, et colligendae fuerunt. Nam ex omnibus *Gemmis* veteribus istae sunt, quibus plures et clariores characteres, et criteria et signa adsint potestatis *Amuleticae* et *Apotropaeae*, ut nos abunde ostendimus tum ad *Lemmata Hierographica* Sect.I.Pag.211. ad 222. tum hic Sect. I. Cap. IV. Pag. 295. ad 301.

Certo igitur tenendum est *Gemmas Abraxeas* conditas et exculptas fuisse a *Samaritanis Alexandriae Aegyptiae*.

SECTIO IV.

LINGUA LEMMATUM ABRAXEORUM HABENDA EST SEMITICA, VEL PER GRAECAS LITERAS DEFORMATA, VEL PER ALIAS CRYPTICAS RATIONES IMMUTATA.

CAPUT I.

Lingua Lemmatum Abraxeorum esse non potest Coptica.

1. Primo, quia intima constitutio *Vocabulorum* et *Lemmatum Abraxeorum*, sive literarum ipsarum tum vocalium tum consonarum numerus, dispositio, harmonia longe alia et diversa est a constitutione et oeconomia *Vocum* et *Lemmatum Copticorum*, ut quisque potest per se deprehendere mutua comparatione instituta inter

Lexica Coptica, quae edidit Kircherus, vel illud quod composuit Lacroze, et Lexicum Abraxeum, quod tentavit Montfaucon *Antiq.expliq.* Tom.II. Part. 2. Pag. 376. 377. prosequutus est Passerius in *Gemm. Astrifer.* Tom.II. Pag.280. ad 286, et quod potest quisque conatibus suis augere et absolvere. Et profecto, si quis dato quocumque *Libro Coptico*, attendit, ne unum fere versiculum praeteribit, in quo non occurrant *Vocabula*, quae non habeant aliquam ex Syllabis *mbe*, *mpi*, *mphi*, *mpek*, *empt*, *empsch*, *ngio*, *epgi*, *ntep*, *ntef*, et ita porro, quae numquam in *Lemmatibus Abraxeis* occurrunt. Atqui si unum hoc Criterium adesset, certe hoc Criterium tanti est, ut penitus solvat quaestionem.

2. Secundo, quia etiamsi Salmasius iam ab anno 1647. de *Annis Climat.* agens Pag. 575. 576. etc. visus sit nescio quas miras interpretationes *Lemmatum Abraxeorum* per *Linguam Coptitarum* polliceri, promissis minime deinceps stare valuit; quin nec vanas illas pollicitationes prodidisset umquam, si animadvertisset Linguam Aegyptiam, de qua Iamblichus loquitur, cuius auctoritate innitebatur Pag. 575, non esse Copticam, sed Semiticae Dialectum, quod nos iam in *Fundam. Hermeneut.* Libr. III. Sect.I. Pag. 338. 339. ostendimus. Neque porro inventus est adhuc alius, qui *Lemma* unum *Abraxeum quatuor* tantum *vocibus* constans aequo et rationali modo per *linguam Coptitarum* fuisset interpretatus. Tentavit quidem nuper (1817.1818) Ioachimus Bellermannus, in suo *Bersuch uber die Gemmen* etc. quinque *Lemmata Abraxea* per *Linguam Coptitarum*, at haud feliciter cessit conatus huiusmodi. Nam 1. primum est *Lemma Gemmae Abraxeae*, quae conspicitur apud Salma-

sium de *Annis Climater*. Pag. 573. apud Gorlaeum in *Dactyl.* II. num. 137. apud Montfaucon *Ant.expl.* II. 2.Tab. 145: aliosque plures, *Lemma* primum, inquam, quod legitur perspicue; RAIN XIOIOIOX: ipse falso legit BAINXΩΩΩX, et nescio quod *βραβειον Christi Domini* in monstroso illo *Milite Gallicipite* et *Serpentipede* maluit invenire. At primae vocis primum elementum est R in omnibus *Ectypis*, non est B, et R non B legit Passerius in *Gemm. Astrif.* Tom. II. P. 257. num. 47. nec absurdum est tertio vel quarto Saeculo Christiano usurpatum in *Alexandria Aegyptia* R Latinorum. Vid. supra Pag. 311.312. Quamobrem *βραβειον* illud Copticum evanuit. Et iure, quia longe planius et probabilius ita tentare licet *Lemma* hoc per Linguam Semiticam: O IAO, RAIN רנה RNE *Canens*, quia *Galli* caput adest, רהן REN, RAIN *pignus*. XIO, חיה CIE *vitae*, IOIO, יאה IAE *pulcherrimae*. IOX. יחה ICE, ICHE *festinus celer praebe da*: Quin inverse: XOI חיה CIE *vitam*, OIOX, יחה ICE *festinus*, NIAR, נהר NER *festinus* iterum, *celer, da, praebe.* 2. Secundum *Lemma*, quod per *Linguam Copticam* tentavit Bellermannus Tom. II. Pag. 27. 28. est illud quod ad *Lemm. Hierograph.* Sect. I. Cap. 5. Pag. 226. per *Linguam* Semiticam tentavimus. 3. Tertium est ΩΦEON, ut apud omnes legitur, utque interpretati sumus Loc. cit. Pag. 221. 222. Bellermannus contra corrupit in CΦEON, et fregit in *Siglas* C.Φ.E. O. N. in eis Coφιαν. Φρονησιν etc. haud certe per σοφιαν, et φρονησιν contendens invenire: 4. Quartum *Lemma* Loc. cit. Pag. 31. 32. est illud. quod nos interpretati sumus in *Lemm. Hierogr.* Pag. 223. 5. Quintum Lemma est quod ipse Tom. II. Pag. 32. legit MAI. MVM. VX. LVM. Sed Scriptura in

Ectypis Chiffletii, Montfauconi, Gorlaei est plane alia in prima *Voce*; eaque omnino legenda videtur MΛO, vel MAI: Adeo ut verti posset Semitice מלא MLA *abundanter*, *praebe*, O IAO: MUM, מים MIM *aquam*, UX אח AC *focum*, *ignem* domesticum, et LUM, לעם LOM *cibos*, *escas*.

Quamobrem fuisse adhuc plane irritos Conatus Coptophilorum patet.

3. Tertio si *Lingua Coptitarum* adhibita revera fuisset in *Gemmis Abraxeis*, non Salmasius, non Kircherus, non Bellermannus, non alii plures ita frustra et incassum in eis adlaborassent. Nam, si minus omnia, si minus plurima, certo plura evidenter, plane, et persicue protulissent in lucem, et penes plerosque probassent: Quum Lingua Coptitarum iis ipsis saeculis scripta, quibus *Gemmae Abraxeae* insculpebantur, statim agnoscatur ab omnibus, et haud aegre possit vel a Tirone utcumque explicari.

4. Quarto, quia si adhibita fuisset in *Gemmis* Abraxeis *Lingua Coptitarum* adhibitum etiam in eis fuisset vel *Alphabetum Aegyptium Demoticum*, quod in pluribus Papyris, et in Tabula Rosettana adhibitum fuisse novimus: vel potius ipsum *Alphabetum Coptitarum* iam saeculo secundo Christiano conditum. Nam si *Coptitae* Alphabetum *Graecum* sincerum, genuinum, iamdiu sibi notum eiecerunt, et novum condiderunt, ut Linguam suam Patriam rectius et pressius exprimerent, utique istud ipsum probatum et selectum, non illud reprobatum et reiectum adhibuissent. Neque hoc argumentum potest in sententiam nostram retorqueri. Nam *Samaritanis Alexandrinis*, ut *Lingua Graeca* facta erat Patria et propria, ita etiam *Alphabetum*, et contra *Alphabetum* Scripturae Biblicae ob reverentiam in alios usus non poterat attingi.

5. Quinto, quia in nulla *Urbe Aegypti*, qua *Coptitae* fuerunt, sive in *Thebaide*, sive in *Heptanomide*, sive in *Delta* scimus fuisse adoratos, cultos, veneratos *Typos Abraxeos*, puta *Militem Gallicipitem*, et *Serpentipedem*; *Hecatem Tricipitem* et *Serpentipedem*, *Corvum*, *Serpentem* caudam suam mordentem, *Aeonem* illum *Bacilliferum*, et ita porro. Atqui ubi Religio et *Pantheum* non est, nec *Lingua* et *Vocabula*, nec *Lemmata* esse possunt; quod argumentum penitus invictum est, et palmarium.

6. Sexto tandem, quia demonstratum est, Sectione III. Cap. I. Pag. 366. 368. Auctores Abraxeogrammatum fuisse omnino Cives *Alexandriae*, in qua *Urbe* nec ipsi Reges, qui de munere nosse debuissent *Linguam* Gentis, *Linguam Coptitarum* umquam noverunt, ut testatur Plutarchus in Antonio, et ex qua urbe *Coptitae* erant exclusi, ut non semel testatur Iosephus Flavius.

Qui vero obiiciunt illud ΦPH vel ΦP, quod legitur quandoque in *Gemmis* apud Montfaucon Tab. 155. et 162. quasi vox esset *Coptitarum*, graviter errant. Nam si Auctor *Lemmatis Solem* voluisset indicare, sive *Solis* invocationem, quae una poterat locum ibi habere, non poterat scribere ϕρη, sed necessario scribendum fuisset, ω ρη, quia ϕ, ϕι est Articulus, et Dii non invocantur cum Articulo. Praeterea ϕρ est appositum *Solis* Cyrioschemati: et propterea non potest esse *Sol*, quia Nomina Popularia numquam in *Gemmis Abraxeis* ipsis *Cyrioschematibus* sunt apposita. Atqui Semitis פרח PHRE est *foecunditas*, *fructificatio*, *ubertas*, quae opportunissime in his Gemmis invocatur, פרע PHRO *liberatio*, *tutela*, *vindicatio* a pressura et malis, quae satius etiam congruit.

Quaerere igitur in Lemmatibus Abraxeis Vocabula Coptitarum est prorsus absurdum et irrationale.

CAPUT II.

Lingua Lemmatum Abraxeorum haberi non potest Graeca foede depravata et barbare corrupta in ore Plebis et Vulgi.

1. Primo, quia in *Dialectis* etiam valde corruptis et vitiatis *plurima Vocabula* manent sinceris et genuinis proxima, et quae statim et facillime agnoscantur. Atqui in *Lemmatibus Abraxeis Barbarophonis*, *Vocabula*, quae adferuntur, ab ingenio, harmonia, constitutione *Vocabulorum Graecorum* prorsus discrepant.

2. Secundo, quia certum est *Auctores Abraxeogrammatum* fuisse *Alexandrinos*, qui utebantur Dialecto Graeca, si minus Demosthenica et Thucydidea, certe satis sana, et legitimâ, satis probata; qui vivebant in Urbe, qua Leges, et Praecepta Regia, etiam *Romanorum*, Sermones, Orationes, Poemata recitarentur quotidie *Graeca Lingua* docta et pura: qua viri Literatissimi plurimi erant, et praesertim Grammatici, Critici, Poetae. Quin etiam quarto saeculo Christiano omnes Alexandrini, et ipsi adeo Samaritani, accusantur a Vopisco in *Saturnino* Pag. 718. ut novarum Rerum usque ad *Cantilenas publicas* cupidi, *Versificatores*, *Epigrammatarii*, quibus certe *Lingua Graeca* Lexicorum, ut ut ponatur Soloecismis, et erroribus plena, adhibebatur, non vero voces *Abraxeae* penitus barbarae, et a quacumque Graeca Dialecto remotissimae, et sententiae prorsus in-

compertae. Quin ubi animadvertimus *Iudaeos Alexandrinos*, ut ut Patriorum Morum tenacissimos, plerosque ignorasse Linguam suam *Hebraicam*, et habuisse opus versionis *Graecae* Bibliorum; et Libros suos *Graece* conscripsisse, quisque videt an *Lingua* similis *Abraxeae* potuisset ab *Alexandrinis* in commercio suo, et totius fere Mundi, inque communem et publicum usum adhiberi.

3. Tertio, quia impossibile est invocationes, preces, adiurationes Deorum summorum scribi Lingua plebeia, ac barbare corrupta in ore hominum profanorum, et vilissimorum.

4. Quarto, quia plures *Gemmae Abraxeae* sunt, quarum *Lemmata* constant partim vocibus Graecis satis puris et receptis, partim Vocibus *Barbaricis*. et plene incompertis. Ita in insigni *Gemma Abraxeâ*, apud Montfaucon Tab. 147. pars antica exhibet prolixum *Lemma Barbarophonum*, quod interpretati sumus ad *Lemmat. Hierograph.* Sect. I. Cap. 5. Pag. 224. 225. in posticâ vero leguntur *Graeca verba*: Δος χαριν, νικην, οτι ειρηκα σου το κρυπτον, και αλικαφνον (sic) Ονομα. 2. In alia Gemma apud eumdem Montfaucon Tab. 153. in parte anticâ adscripta sunt haec *Verba Graeca*: Εις Ζευς Σεραπις: In postica haec *Barbarica* ΧΑΒΡΑΧΦΝΕΧCΗΔΦΙΧΔΟΦ etc. et paullo post addita haec *Graeca*: δος χαριν. etc. 3. In alia Gemmâ Tab. 168. legitur ΧVΑΜΑΙ ΑΑΧΟVC ΑΜΟΑVΤΑ ΑΒΡΑCΑΞ ΑΚΕΧΕΙΩΧ etc. etc. quae plane *Barbara*. Et paullo post: παυσατε μοι τον πονον τη φερουση quae *Graeca*, et ita porro. V. supra Pag. 230. 232. Hoc autem argumentum tam certum est, tam evidens, tam invictum, ut numquam potuerim animo capere, quomodo Passerius, et iuniores aliqui dein-

ceps, *voces Graecas* misere et foede corruptas et depravatas voluerint in *Lemmatibus Abraxeis* quaerere et invenire. Quin illud insuper animadvertendum est *Lectiones* propositas ex *Vocibus* graviter et foede corruptis ab imperita et ignara Plebe carere omni fide, et infinitis modis semper improbabilibus posse verti et permutari.

CAPUT III.

In Lemmatibus Gemmarum Abraxearum Barbarophonis una Lingua Semitica potest inveniri.

1. Primo, quia *Samaritani*, auctores *Abraxeogrammatum*, et Patres eorum *Syri*, *Phoenices*, et *Persae Pelhvici* usi sunt semper *Dialectis Semiticis*, ut notum est.

2. Secundo, quia *Hieroschemata Abraxea* condenda necessario fuerunt *Lingua Semitica*, ut demonstravimus in *Fundam. Hermen.* Libr.III. adeoque probabile etiam est *Lemmata* adiecta, quum non sint Graeca, esse omnino *Semitica*.

3. Tertio, quia *Lingua Semitica* habita semper est opportunissima et propriissima ad *Religiosa*, *Liturgica*, et si vis *Magica*, tractanda, ut patet ex Origene adv. *Celsum* Libr. I. Pag. 18. 19. ex Jamblicho de Myster. Sect. VII. Cap. 4. Pag. 153. 154. et aliis.

4. Quarto, quia Voces fundamentales et solemnes *Abraxeae*, ut nomina *Dei*, *Angelorum*, *Semeseilam*, et alia huiusmodi, vel evidenter sunt *Semitica*, vel levi negotio tales demonstrantur: Ex quo intrinsece probabile fit ceteras etiam esse plerumque Semiticas.

CAPUT IV.

Recensentur rationes, per quas Abraxeographi potuerint reddere et efficere Barbarophona, et cryptica Vocabula et Lemmata Semitica in Gemmis suis insculpta.

1. Prima ratio est usus *Alphabeti Graeci*. Nam *Literae* huius *Alphabeti* non plene congruunt *Literis Alphabeti Semitici*: quin plures penitus desunt, et aliae sunt incertae relationis. Quamobrem *Lemma Semiticum Graecis Literis* expressum statim factum est arduum, ambiguum, obscurum, crypticum, et adeo *Barbarophonum* etiam illis, qui *Semitice* docti sunt.

2. Secunda ratio est usus irregularis, vel potius abusus *Vocalium Graecarum*. Si scilicet adponantur tum post simplices *Consonas*, tum loco *Aspirationum vocalium*, vel si insuper cumulantur, et coacervantur loco indebito. Atqui is ipse *Vocalium* Graecarum abusus in *Gemmis Abraxeis* deprehenditur.

3. Tertia ratio est: *Voces Lemmatis* dati nullis signis *Orthographicis* discernere, vel absurde dividere, et separare, adeo ut Lector vel omnino ignoret quomodo *Vocabula* sint mutuo distinguenda; vel potius falsam et erroneam divisionem moliatur, et adoptet.

4. Quarta ratio est *Literas* aliquot *ambiguae formae* describere, ut A, loco. Λ, et Λ pro Λ: ut animadvertimus superius Pag. 230. et ita porro.

5. Quinta ratio est usus *Temurarum*, et compositionis abstrusae et profundae *Vocum* aliquot; ut in voce ABRAXAS vidimus ad *Lemm. Hierog*. Sect. I. Cap. 2. Pag. 212. 213. in voce CEMECEIAAMΨ vidimus Pag. 220. 221. in voce

ABAANAΘANAABA Pag. 221. et ita porro. Atqui adhibitis his rationibus, quae revera in *Lemmatibus Abraxeis* fuerunt adhibitae, quodcumque *Lemma Semiticum*, ut ut clarum et satis purum *Literis* et *Elementis* propriis descriptum, fiet *Barbarophonum*, absonum, ambiguum, et summa difficultate explicabitur.

CAPUT V.

Indicantur rationes praecipuae, per quas aequo et rationali modo possint Lemmata Abraxea intelligi et explicari.

1. Omnes rationes *Crypticismi Abraxei*, et quas modo recensuimus, et alias, si invenies, perspectas habeto.

2. *Alphabetum Semiticum* cum *Abraxeo* componito, et Literarum singularum potestatem definito. *Literas Polydynamicas*, vel obscurae potestatis tibi diligenter adnotato.

3. *Systema Theologicum Abraxeographorum* habeto perspectum, et quae sive ab aliis, sive a nobis prolata sunt non probas, meliora tibi, sed certissimis argumentis demonstrata, comparato.

4. *Hieroschemata* et *Symbola Abraxea* tibi diligenter, et singillatim explica et interpretare. impossibile enim est, quin saepius ad ea *Auctor Lemmatis* non respexerit: tum ex intima necessitate rei, tum ut *Crypticismum* illum inditum imminueret, et faceret saltem pro se, et pro suis amicis, illud intelligibile.

5. Naturam *Averruncam*, salutarem, beneficam *Gemmarum Abraxearum* Veteres tenuisse certum habeto. Hic enim plerumque habendus est *Cardo Lemmatis* interpretandi. etc. etc.

FINIS.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

*

FINIS.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 45. PIIRE	PHRE
52. עלקה	עלמה
75. *Monstrum* adde	*Scyllam*
76. i vel qu	vel . . . qui
118. חרר CRR	חרד CRD
168. speciat	spectat
171. Tura	Tum
180. equia	quia
181. צנח	צנה
199. Cap.I.Art.2.	Cap.II.Art.1.Pag.277.
206. Cap. I. V.	Cap. IV. Pag. 220.
307. adeot	adeo
225. PCEB	PHEB
232. Cap.I.Art.2.	Cap.I.Art.3.Pag.368.
233. Sect. I. Cap. I. Art. 2.	Sect. I. Cap.II. Art. 1. Pag. 277.
238. Sect.I.Cap.II. Art. 2.	Sect.I. Cap.III. Art. 2. Pag. 289.
239. Cap.IV.Art.4.	Cap.V.Art. 4. P.307.
251. *praeb*	*praebe*
265. סבע SBO	שבע SCBO
303. diximus P.282.	diximus Pag. 281.
363. αδιω	αιδιω
381. maximum	maximum et
383. Cercophithecum	Cercopithecum



